This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DH
811
.A6
P2 1

ANNALES ANTVERPIENSES.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
ANTVERPIENSES

AB URBE CONDITA AD ANNUM M.DCC.

COLLECTI EX IPSIUS CIVITATIS MONUMENTIS

PUBLICIS PRIVATISQUE LATINAE AC PATRIAE LINGUAE

IISQUE FERE MANU EXARATIS

AUCTORE

DANIELE PAPEBROCHIO S. I.

AD COD. MS. EX BIBL. REGIA QUAE VULGO BURGUNDICA VOCATUR

EDIDERUNT

F. H. MERTENS

BIBLIOTHECARIUS CIVITATIS ANTVERPIAE

ET

ERN. BUSCHMANN

PROF. HISTOR. IN ACAD. REG. ARTIUM ANTVERPIENSI.

TOMUS QUINTUS.

ANTVERPIAE,

E TYPOGRAPHIA J.-E. BUSCHMANN.

M.DCCC.XLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES ANTVERPIENSES.

ANNUS CHRISTI M.DC.XLVIII.

ARGUMENTUM.

I.-X. Archiducis Leopoldi ad hanc urbem accessus, Gevartii stylo ornatus. XI-XIV. Idem singulari affectu apparatuque excipitur apud Iesuitas, ubi eximia etiam Danielis Zegers pictura donatur, et in Collegio recreatur aptissimo dramate.

ACTA PRIORA.

I. Cum superiori anno LEOPOLDUS GUILIELMUS AUSTRIACUS Bruxellis recipiendus esset Belgii et Burgundiae Gubernator; Hollandis huc ad eam inductionem spectandam venturis, publico edicto oblatus est liber commeatus in diem xviii Martii, quando Archidux Principum ritu Antverpiam ingressus porta Caesarea salutatusque fuit a Consule Extraneo, omnes sex Guldas in occursum ducente.

Inscriptiones, Principis honori positas a S. P. Q. Antverpiensi, consueta sibi elegantia exornavit *Gasperius Gevartius*, typisque Plantinianis excudi fecit. In fastigio portae Caesareae, sub insignibus Serenissimi sic legebatur :

334022

Digitized by Google

Caesaribus, Princeps, bis senis edite Divis,
Ingredere Augusto dictam de Caesare portam,
Caesaris o Germane, Tuis humus ista superbit
Gressibus, exultatque novis, LEOPOLDE, *triumphis.*

II. Ad interius portae vestibulum ANTVERPIA, virguncula habitu, turrito vertice, e curru aurato sindone insigni, Virginum, Virtutes repraesentantium, comitatu, aquali lauream Serenissimo Archiduci Victori venerabunda offerebat, adstante urbis Genio, *Halmali adolescente Consulis filio, atque hos versus pronuntiante :*

Belliger AUSTRIADE, *nuper quem saeva Gothorum*
Agmina, quem gelidis tremuit regionibus Arctos ;
Vindice quo pulsis respirat BELGICA *Francis ;*
Accipe laurigerae viridantia serta coronae,
Paciferas totum frondes quae spargat in orbem.
Non picturatae cernis tibi pegmata pompae
Ulla, nec exstructos spoliis hostilibus arcus,
Virtutis monumenta Tuae : nam celsior ipse
Arcubus, aethereum meritis attingis Olympum.
Te PIETAS, *Te prisca* FIDES, ASTRAEAQUE *Virgo,*
Omnigenumque chorus Virtutum ad sidera tollit,
Inque animis hominum pompa meliore triumphas.
Perpetuum sese pronam submittit in arcum,
Inclinatque Tibi celsas ANTVERPIA *turres.*
Summe Ducum, LEOPOLDE, *Tibi* LEO BELGICUS *ultro,*
Ecce, iubas, mansueta simul prosternit et ora,
Ac sacrae gaudet mitem se subdere dextrae.
Unguibus ille ferox immanes proteret hostes,
Qui fessum exscindunt bellis furialibus orbem.

III. *In tabella ad Domum civicam appensa visebatur effigies*

Digitized by Google

Serenissimi, quem prope adstans Victoria *lauro coronabat.* Leo Belgicus *ad pedes eius se inclinabat, atque ibidem subscripta praefata Genii Urbis oratio : in altera tabella haec legebatur inscriptio :*

« Serenissimo et invictissimo Principi LEOPOLDO GUILIELMO, » Divi Ferdinandi I pronepoti, D. Ferdinandi II filio, Imperatoris Caesaris Ferdinandi III Augusti fratri unico; Archiduci » Austriae, Duci Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, » Wirtembergae; Comiti Tirolis et Goritiae, etc. Caesarianorum » exercituum per Germaniam superiorem nuper Praefecto » supremo, nunc Germaniae inferioris, Belgarumque et Burgundiae pro PHILIPPO IV, Hispaniarum Indiarumque Rege, » Gubernatori auspicatissimo, bono Reipublicae Christianae » nato; quod, Serenitatis suae iubare illato, Belgicas Provincias bello prope saeculari fessas, in pristinae splendoris et » tranquillitatis spem erexerit; ac Armenteriam, Cominium, » Landresium, Dixmudam, de Francis, Duce eorum caeso, receperit. S. P. Q. Antverpiensis, eius Celsitudini, Fortitudini, » Pietati devotissimus, optatissimum adventum gratulatur. »

IV. *Supra tabellam visebatur ingenii Aquila, dextro ungue fulmen, laevo* Anguem *(hoc sonabat Ducis Suecici ad Neoburgum captionem* SLANG) *captivum; ferens utrimque hinc tormenta bellica cum globis ignitis, inde castra hostilia : Aquilae autem subscriptum erat illud Maronis, Aen. II :*

> . . . . *Ducente Deo, flammam inter et hostes*
> *Expedior*. . . . . . .

V. *Ad vestibulum templi Cathedralis sub turri ad latus dexterum :*

« Serenissimo Principi LEOPOLDO GUILIELMO, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Stiriae Duci, etc. Belgarum et » Burgundionum Gubernatori, Militiae Hierosolymitanae Archistratego, ac splendidissimi Ordinis Teutonici, titulo

Digitized by Google

» Deiparae, in Prussia, per Germaniam, Italiam et trans mare
» summo Praefecto : quod incomparabilis et Christianissimi
» Heroi, Gothofredi Bullonii, Belgae-Brabanti, Hierosolymo-
» rum Regis, Lotharingiae Ducis, et S. R. Imperii, Antverpiae
» ad Scaldim, Marchionis, consanguinei sui, insistens vestigiis,
» invictum se et indefessum orthodoxae Religionis propu-
» gnatorem et propagatorem iustissimis armis praestiterit;
» Praesul, Decanus et Canonicorum Cathedralis ecclesiae
» Antverpiensis Collegium, ab eodem Bullonio fundatore
» institutum, civesque omnes, in sacram Deiparae, urbis
» huius tutelaris Divae, aedem felicissimum adventum, qua
» possunt submissione gratulantur. »

VI. *In superiori parte tabulae solio insidet* GODEFRIDUS BULLONIUS, *Marchio Antverpianus, Hierosolymonius Rex, coronam auream recusantis habitu. Epigraphe :*

Absit, ut auratae gestem decus ipse Coronae,
Hic ubi gestavit spinea serta Deus.

Ad dexterum tabulae latus adstabat Balduinus, Gothofredi frater, Hierosolymorum Rex; ad laevum latus Eustathius, frater alter, uterque eodem ad bellum sacrum comes : ad medium utrimque latus bina Victoria cum palmis, sub tabula insignia urbis Hierosolymae.

Sub eadem turri ad laevum latus :

Mutua cur saevos in viscera stringitis enses,
Christicolae? Cohibete manus, irasque nocentes
Ponite : vos sacro Christi madefacta cruore
Terra vocat, diri furiis oppressa Tyranni.
Materies vestris haec est satis ampla triumphis.
Huc fidei ductus zelo BULLONIUS *Heros,*
Ille Ambivariti GOTHOFREDUS *Marchio terrae,*

Digitized by Google

Moenia dum Solymae, templumque arcemque Sionis,
Non sibi, sed coelo vincit, diadema superbum
Sprevit, et oblatae gemmantia dona coronae.
Huc LEOPOLDORUM *virtus animosa tetendit*
AUSTRIADUM; *quorum hic celsa Ptolemaidis arce,*
Vicinique procul Saladinum exegit ab oris,
Barbarico referens sagula alte immersa cruori,
Quo gentilitii rubuere insignia scuti:
Alter Damiatae muros, Nilotica claustra,
Diruit, et Phariis tentoria fixit arenis:
Ambo triumphati spoliis Orientis onusti.
Horum magnanimus modo per vestigia tendit
Austriades, nostri LEOPOLDUS *gloria saecli,*
Cui victrix PIETAS *famulantia dirigit arma,*
Et comites secum deducit in agmina Divos.

VII. *In superiori parte tabulae conspiciebatur* LEOPOLDUS VI, *Austriae Dux, cognominatus* VIRTUOSUS, *qui Ptolemaidem, Palestinae urbem, in sacris litteris dictam Accaren; ad alterum latus* LEOPOLDUS VII, *qui Pelusium, vulgo Damiatam, Aegypti urbem, cepit. Inter Ducem utrumque Palma arbor ingens, ex qua suspensus crocodilus, Aegypti symbolum, ut in Octaviani Augusti nummis cernitur. Epigraphe:* PELUSIO CAPTO; *utrimque duo captivi. Paulo iafra ad latera, hinc Virtus cum parazonio; inde Gloria cum laurea et pyramides. Supra templi vestibulum, sub podio medio spectabantur insignia Serenissimi Archiducis, quae bini utrimque Genii alati sustinebant: subiunctaque erant eiusdem Principis symbola, Crux, Frenum, Oculus, Laurus, Ovis, Leo; subscriptum:* TIMORE DOMINI.

VIII. *Ad vestibulum coenobii D. Michaelis:*

« Serenissimo Principi LEOPOLDO, » *ut supra, ad Portam Caesaream.*

Digitized by Google

« Quod Divi Leopoldi, Austriae Marchionis, Pii, Victoris, » Pacifici, sacrarum aedium conditoris, divinas aemulatus » virtutes, auspice TIMORE DOMINI, invicta animi magnitudine » de hostium ferocia triumpharit, S. P. Q. Antverpiensis » venerabundus posuit. » *Ad dexterum tabulae latus visitur idem* S. LEOPOLDUS, *ad alterum latus*, AGNES, *Henrici IV Imperatoris filia, flammeo divinitus reperto amicta. Ipsi autem tabulae superposita est corona oleagina, cui geminum copiae cornu adiacet; coronae vitta inscriptum est istud Siracidae :* Corona sapientiae, Timor Domini, replens pacem et salutis fructum : *a quo haud abludit istud Plutarchi in vita Themistoclis : Σοφίας ἀριστεῖον θαλλοῦ στέφανος*, sapientiae premium oleae corona.

IX. *In Mera, celebri urbis loco, visebatur Mons Parnassus Apolline et Musis insessus, ex amburbalium processionum machinis eo adductus honorando Principi, Poeseos Musicesque non magis amanti quam perito, virentium laureorum velut nemore quodam undique consitus. Inscriptio :*

Restituis profugas, Victor LEOPOLDE, *Camoenas,*
Arentesque iubes Cyrrha revirescere Lauros.

Transeunti autem Principi ode sequens, insigni vocum atque instrumentorum concentu, accinebatur a Musis :

AUSTRIUM, *salve*, LEOPOLDE, *sidus;*
CAESARUM, *salve*, LEOPOLDE, *germen*,
BELGICAE *salve columen; salutis*
Anchora, salve.
Obruta sicut rate, concitatis
Fluctibus vector timet : at nitentis
Castoris blanda recreatur aura
Spemque resumit;

Digitized by Google

Sic diu bellis prope iam fatiscens
Solis exortu, sibi tot ferarum
Cladium sperat, necis, et rapinae
Cernere finem.
AUSTRIUM *vivas*, LEOPOLDE, *sidus;*
CAESARUM *vivas*, LEOPOLDE, *germen,*
Pacis o vivas, Leopolde, vindex,
Nestoris annos.

X. Hactenus plausus et verba : res fuerunt quod Communitas, ut ex publicis Actis notat Caukerkius, consenserat, ut urbem ingressuro Principi offerretur annuum XL millium florenorum foenori, accipiendo nunc in sexennium ad nummum vigesimum quintum; pro anno sequenti ad usus belli consensit in XLV millia florenorum, octingenta et viginti unum.

XI. Totis duobus diebus continuata per Civitatem universam sunt publicae laetitiae argumenta, dum nunc haec, nunc illa loca spectabiliora, sacra et profana lustrat humanissimus Princeps. Tertium diem proprium sibi sumpsit Societas Iesu, LEOPOLDO multis titulis obstrictissima; quando Professam Domum et Collegium sua praesentia dignatus est. « Feria erat » secunda post Dominicam Passionis, qua in magno Prin- » cipum comitatu templum ingressus est; et solemni sacro, » quod Episcopus canebat, et Archiducalis musica exquisi- » tissima condiebat, per duas propemodum horas interfuit » nixus genibus; eoque pietatis exemplo, quod non minus » spectantium animos afficeret quam oculos recrearet. E tem- » plo itum est ad triclinium, in quo (inquit, unde haec sumo, » Historicus Domus) nobiscum, quibus epulum parari iusserat, » prandere optimus Princeps voluit; iussitque Patrem Prae- » positum, Collegii Rectorem, et Confessarium suum mensae

Digitized by Google

» accumbere; ipse cibi potusque parcissimi, sed prolixissimae » humanitatis. »

XII. « E triclinio rursum sese Princeps contulit ad templum » quod populo iam clausum erat, ut per otium indulgeret sibi, » liberius structuram aedis marmoreae picturasque exquisi- » tissimas, et reliquium divitis Sacristiae ornatum diutius » contemplaturo. Neque famam aedificii praesentia minuit, » cum et id plurimum commendaret, et rebus quas cernebat » omnibus mire recreari videretur. Exinde Bibliothecam am- » plissimam, quam ipsius insignia symbolaque fecerant spe- » ctabiliorem, lustravit; uti denique conclave seu officinam » nostri Danielis Zegers, pictoris, qui in exprimendis ad aemu- » lationem naturae floribus credebatur non habere parem. » Illic curiose inspexit omnia, uti artis illius intelligentissimus » erat, ei familiarissime cum Fratre illo est locutus. Ceterum » placuit et vel maxime imago DIVI LEOPOLDI Austriaci, Sacra- » tissimae Virgini supplicantis; quae expressa in lamina aenea, » quinque fere pedes alta, inter rosas aliorumque florum » pancarpia artificiosissime pictas, dono ei est oblata. Duplici » eam affectu excepit, eo quo artem illam, quoque Societatem » amplectebatur, a cuius alumno hoc arti quoque decus pre- » tiumque accesserat: quem et deinde rogavit ut picturam » similem Caesari Ferdinando, fratri suo, appararet. »

XIII. « E Domo Professa, omni cum satellitio comitatuque » Principum, ad Collegium rheda vectus est; ubi splendidissi- » mum drama, quo studiosa iuventus repraesentatura erat TIMORE » DOMINI concessam divinitus Israeli Sapientiam, Felicitatem, » Gloriam in Regum potentissimo *Salomone*, et eodem TIMORE » DOMINI expressam veneratura in Serenissimi *Leopoldi Genio*. » Primo igitur actu electus in Ducem *Timor Divinus*, Celsitudi- » nis suae Genio exhibuit *Salomonem*, coram Arca foederis infu- » sam sibi divinitus sapientiam Timori Domini adscribentem;

Digitized by Google

» pari erga Deum Religioni attribuens Austriacorum Impe-
» ratorum in moderando Imperio sapientiam : cui actui
» alludens chorus initium sapientiae, quam a timore Domini
» hauserat Salomon, in aequissimo iudicio exposuit; cuius
» incruentum gladium, pietatis ac iustitiae symbolum, ad
» Principis pedes Sapientia deponi iubebat, ut consimili, qua
» Augustissimus Imperium, Belgas ipse pietate ac iustitia,
» sapientissime regere pergat. Secundo actu immensas Salo-
» monis divitias proposuit TIMOR DOMINI: hinc a duodecim
» Tribubus tributo; inde a Regum cum eo paciscentium Legatis
» amplissimis muneribus cumulatas; quibus rerum omnium
» sub sapientissimo affluentiam Belgio portendebat. Ad quod
» per chorum alludebant Panis et Neptuni laetitia, quorum
» ille, reperto in oleae ramo aquilae pullo, tum ex falce mes-
» soria pacis omen agricolis; hic vero Scaldi et Lysae ex
» navali clavo et anchora primam Serenissimi nominis litte-
» ram referente praedicit; quae Mars superveniens non vano
» augurio confirmat. In tertio actu *Regina Saba*, gloriam
» Salomonis intuita, in stuporem rapiebatur : cui actui epi-
» logum subiungens TIMOR DOMINI, aemulam Salomonis gloriam
» in Austriacorum Imperatorum serie praedicabat; quam de-
» nique in Serenissimo suo Principe venerata BELGICA, ex
» nomine bicipitrem aquilam, hinc Victori Laurum, inde
» Pacifico Olivam, bellica in Belgio gloriae ac pacis praemia
» erigendo, scenam universam claudit. »

XIV. Admiratus est Princeps, inquit Domus nostrae annalista, cuius verba prosequor; « admiratus est Princeps theatri
» faciem ad singulas scenas reducto sipario semper aliam;
» quod drama, per sex deinde dies iterandum fuit, ut infinitae
» hominum spectatum currentium multitudini fieret satis. Ipse
» vero Princeps, maximum totius scenae ornamentum, qua-
» tuor ex actoribus, qui concinnius prae ceteris partes suas

» dicendo ac gestiendo egerant, inaurato quemque vase, in » monumentum et pignus honoris perpetui, condecoravit. » E Collegio iam per tenebras in aulicum suum hospitium » rediens, iterumque praeter Domum Professam iter insti- » tuens, opportune spectavit ignes, in area amplissima ante » templum Domumque honori illius accensos, malis quinque » erectis, ad sustinenda picata intus, foris picta vasa. Et erat » loci facies insigniter ornata ad splendorem recreationem- » que : cum ad singulas domus, templi Oratoriorumque Maria- » norum fenestras, quae sursum ac deorsum sunt, plurimae » ardentes introrsum candelae quamdam coeli stellantis spe- » ciem exhibere viderentur. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii, iii *Maii, Dominica* iii *post Pascha, actum* xii *Aprilis*. — D. Comes de Ysenborg, et Dominus Boischot, Cancellarius.

Consules. — Dominus Gregorius del Plano III. — vi. Magister Melchior Haecx III.

Scabini. — Dl. Antonius Sivori. — D. Alexander Goubau. — D. Antonius de Cuellar. — Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Henr. van Halmale. — M. Ioannes Snyers. — Iacobus van Eyck. — Iacobus van Buren. — Dl. Eduardus Sandelin. — M. Philippus Rubens. — Petrus Hanicart. — M. Ioannes Deschamps. — M. Arnoldus de Vooght. — Ioannes 's Meesters. — Dl. Pasch. Franc. vanden Cruyce. — Dl. Franciscus de Beiar. — Domicellus Philippus Halman.

Ammanus. — Dominus Ludovicus Clarisse.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I-VIII. Pax Hispano-Batavica promulgatur insigni totius Civitatis laetitia. Haeretici multi convertuntur. IX. Ordinantur praelectiones chirurgicae in istius Professionis Collegio. X-XII. S. Caroli Borromaei cultus excitatur apud Carmelitas metu pestilentiae imminentis. In ecclesia domus Professae S. I. instituitur vespertina Collatio de Historia ecclesiastica et controversiis fidei. Organum valde spectabile collocatur apud Praedicatores. XIII. Burggravius noster Princeps Auriacus uxorem ducit filiam Regis Angliae, et moritur, coniugem gravidam relinquens. XIV. Escuriacensi Regum Reginarumque Hispaniae Pantheo dedicato, commune omnibus epitaphium suggerit Gevartius. XV. Leopoldo offertur Cento-Virgilianus a Luca Lancelotto, I. C. Antverpiensi.

ACTA POSTERIORA.

I. « Duobus post Serenissimi Leopoldi ingressum mensibus » (ut cum eodem, unde coepi Historico nostrae Domus pro- » grediar) alii micuere ignes, toti Belgio, Catholico pariter ac » heterodoxo, laeti; quia post tot bellorum incendia fuere » pacifice triumphales. Scilicet, die Maii xvi, Monasterii West- » phaliae conclusa Pax, inter Regem Hispaniae et Ordines » foederatos, v Iunii fuit solemniter Antverpiae proclamata, » et eo maiore laetitia excepta, quo votis diuturnioribus » expetita, etsi non ex voto omnium perfecta : quia satius » visum fuit hosti quaedam relinquere quam reliqua vel » manifesto periculo exponere, vel per vim perdere. » Hoc agnoscens Petrus Scriverius, poeta Hollandus, a quo effigies Comitum Hollandiae elogiis epigrammaticis ornatas habemus, ultimum Comitem *Philippum IV,* titulo *Pacifici* quam *Victoris* nomine gloriosiorem, in fine epigrammatis sic loqui facit :

Esto tui iuris, RESPUBLICA LIBERA, *dixi :*
Ut possim regno liberiore frui.

Nempe Status tam diu pro libertate praetensa luctati, neque contenti quod Archidux Albertus inducias cum ipsis iniverat *tamquam cum libera Republica*, abolitum voluerant ingratum istud *tamquam*, et absolute liberam pronuntiari.

II. Ad pacem istam publicandam, stabat ante alam Curiae septentrionalem, sex ultimis fenestris coextensum theatrum sane magnificum et excelsum : cuius totiusque fori, ad audiendum confertissimi, speciem, extemporali excausto coelatam, dedit Wenceslaus Hollar; epigrammata vero et inscriptiones a Gevartio elegantius concinnatas, spatio tam exiguo includere non potuit. Hic ergo eas ex impresso Plantiniano accipe.

III. Theatrum istud, ut alias alia, in modum porticus quinque arcubus distinctum, altum pedes XLV, longum LXVII, supra secundam elevationem in fastigio habebat matronali habitu sedentem PACEM; quae Caduceum suum dextra tenens, fugabat subiectum anguem, belli symbolum; dextra tenebat ramum olivae, et ad pedes cornu copiae, omnis generis fructibus plenum; a dextro eius latere IUSTITIA, a laevo ABUNDANTIA, eratque paulo infra in tympano operis haec e Psalmo LXXI inscriptio : *Orietur in diebus eius Iustitia et Abundantia pacis.* In exedra seu interiori porticus parte, iuxta effigiem Regis, haec :

« Potentissimo et indulgentissimo Philippo IV, Hispaniarum
» Indiarumque Regi, Belgarum Principi, publicae quietis
» Fundatori, Patri patriae; quod instinctu Divinitatis, civili
» bello prope seculari profligato, pacem cum Provinciis Bel-
» gicis unitis terra marique stabiliverit, S. P. Q. Antverpiensis
» ob coeleste munus exultans, hoc Pacis desideratissimae thea-
» trum, perpetuae fidei et gratitudinis testandae ergo, incredi-
» bili laetitia posuit. »

IV. In stylobata fornicis medii, sub effigie *Herculis olivarii*, quo nomine aedem in Regione XI Urbis Romanae posuit Publius Victor, epigraphe erat :

Digitized by Google

Qualis ab undosi longinquis fontibus Istri
Amphitryoniades germen pacalis Olivae
Detulit, et Graias sparsim dispersit in urbes;
Haud secus Austriades patrio LEOPOLDUS *ab Istro*
Palladiae secum nova munera Victor Olivae
Attulit; hinc totum late sparsurus in orbem,
Paciferisque iubet Belgas se cingere sertis.

iuxta illud Pindari, Olymp. Ode III:

Αμφὶ κόμαισι βάλῃ γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας.
Τάν ποτε Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν Ἀμφιτρυωνιάδας.

Circa comas ponat virens ornamentum olivae,
Quam olim Istri ab umbrosis fontibus tulit Amphitryoniades.

V. In stylobata altera eiusdem fornicis, a laeva parte, sub effigie APOLLINIS et MERCURII Paciferi, epigraphe:

Aurea perpetua cum pace renascitur aetas:
Pulsa diu terris coelo descendit ab alto
Alma Themis, Pietasque simul, Candorque Fidesque:
Iam profugae redeunt artes, calcataque Marte
Musae plectra levant, citharamque intendit Apollo;
Arva Ceres secura colit: Neptunus et Hermes
Aliger in totum pandunt commercia mundum.

Ad columnas interiores stabant CERES spicis coronata, NEPTUNUS tridentiger, et LAETITIA PUBLICA, sertum e candidis purpureisque rosis, Urbis Antverpiae symbolum gentilitium, dextra attollens. Supra fornicem primum dextri lateris, adscriptum in tabula illud Silii Italici, viri Consularis:

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est.

Digitized by Google

Supra fornicem primum sinistri lateris, adscriptum ex eodem vate :

Pax una triumphis
Innumeris potior . . . . .

VI. In secunda elevatione, in acroterio angulari lateris dextri sub *Leone* :

Externos tendit in hostes.

sub *Columba*, quae Olivae ramum in ore gestat, in acroterio secundo :

. . . . . *Non semper imbres.*

sub dextris iunctis, ex altera parte :

. . . . *Coeunt in foedera dextrae.*

In acroterio angulari lateris sinistri, sub *Aquila* legebatur :

Altior invidia, virtutum attollitur alis.

Supra fornicem lateralem, versus podium Domus civicae, epigraphe :

Pax homini coeleste bonum. Felicia regna,
Felices populi, quibus est concordia curae.
Effera barbarici stimulatrix terra Gradivi
Secum bella gerat.

Uti tunc gerebat Francia, factionibus scissa, neque concitandis in Caesarem Turcis quidquam proficiens. Supra fornicem lateralem, versus vicum DE BRADERY STRAET, epigraphe ex Philone Iudaeo :

Τὸ μέγιστον ἀγαθὸν ΕΙΡΗΝΗ, ὃ μηδεὶς ἱκανὸς ἀνθρώπων παράγειν, ἐπεὶ θεῖον τοῦτο δῶρον.

« *Maximum bonum* PAX, *quod nullus mortalium praestare* » *potest : divinum etenim hoc donum est.* »

Digitized by Google

VII. « Quod itaque per annos amplius septuaginta continuos » (si duodenos induciarum exceperis) terra marique arserat » bellum, tot partium studiis, tot regnorum submissis in » Hollandorum subsidium copiis, hoc demum anno exstinctum » est. Neque defuit Domus Professa communi laetitiae, sub- » missaque ad eam, uti et ad alias Religiosas familias, a » Magistratu picata vasa, per quinque stipites digesta, accen- » dit, eo fere modo apparatuque, quo in priori Archiducali » solemnitate; nisi quod in mediae arboris cacumine, PAX et » PALLAS, non iam bellica, sed erudita, mutuae concordiae » symbolum, iunctis medio in scuto manibus exhiberent, » quibus illucere missiles ignes, et pyroboli flammae suae » strepitu plaudere videbantur. »

VIII. « Sed victoria animorum potior fuit, quam triumphus » corporum fuisset, si bellum durasset. Per eam enim occa- » sionem plurimi ex haereticorum partibus adveniebant; » adeoque pax publica populorum, bellum privatorum facta » est, et ex bello salus plurimorum; quia bellum erat citra » sanguinem, in quo argumentis et exemplis, quam ferrum » et armamenta potentioribus, res agebatur. Videbatur effundi » Batavia tota : quare in hasce partes, atque imprimis Ant- » verpiam, milleni et milleni adventabant, quos urbis fama, » magnificentia templorum, rituum ecclesiasticorum insolens » iis spectaculum, exciverant. Gratulabantur sibi advenae iis » ex partibus Catholici, quod libere haec viderent; et maxime, » quod intrepide ac palam sacra usurparent, quae alibi tan- » tum furtim tractarent. Mirabantur heterodoxi, simpliciores » praesertim sincerioresque, cum cernerent maiestatem eccle- » siarum, splendorem ornamentorum, caeremoniarum gravita- » tem atque decentiam, quas veluti ioculares simiorum ludos » Calviniani ministelli ipsis depinxerant. »

XI. « Et sane Domus Professae templum, ut de aliis taceam,

Digitized by Google

» paria fere de singulis cogitanda relinquens, illiusque superiores porticus, per plures hebdomadas patere debuerunt » a primo mane usque ad vesperam; cum assidue viri feminaeque, summi et infimi, spectatum venirent, qui columnis » altaribusque marmoreis, picturarum copia excellentiaque, » uti et reliquo aedis sacrae apparatu perculsi, fatebantur » famam veritate superari. Magno quoque numero heterodoxi, » per interiora Domus, per oratoria Sodalitatum, per amplissimam instructissimamque Bibliothecam benevole deducti, » omnia exspectatione sua maiora praedicabant. Universim vero » viri, feminae, pueri aspiciebant, suspiciebant, circumspiciebantque Iesuitas; cum eos, quos monstrorum instar fingi » audierant, non tantum homines esse, sed et humanos; ac » tanta se ab iis benevolentiae significatione tractari excipique » sentirent: quae res frequenti per Hollandiam sermone celebrata, uti admirationis plurimum excitavit, ita nomini famaeque non leve incrementum adiecit. »

X. « Neque intra solam admirationem famamque res tota » constitit, fructu etiam est comprobata. Quippe cum rebus » iis quae recensitae sunt, tum concionum fervore atque frequentia, privatis colloquiis, doctrinae firmitate, aliis alia » de Societate iniecta mens est, aliis non leves erga veram » religionem igniculi, aliis cetera convictis sola impedimento » erat pertinacia. Quamquam fuere, qui devicti etiam dedere » manus, atque, haeresi abdicata, sese fidei Catholico-Romanae » adiunxere. Inter hos fuit iurisconsultus egregie doctus, et » duae eius quas animi causa secum adduxerat sorores. » Hactenus Annales nostrae Domus, ex quibus eiusmodi conversiones prosequi nolo. Caukerkius scribit ad hunc annum, complures tales sibi fassos, nulla alia re magis ad deserendos, quibus erant innutriti, errores se fuisse adductos, quam quod hic audirent, viderent, experirenturque alia omnia, quam sui

Digitized by Google

sibi Praedicantes inculcarent. Unum hic addidero, quod tali occasione Historiae ecclesiasticae lectio, rogatu Reverendissimi Nemii, annis abhinc non multis haberi coepta in ecclesia Domus Professae, sub quintam postmeridianam in hieme, sub sextam in aestate, per horam dimidiam, et magno concursu virorum praesertim frequentata, conversa fuerit in collationem de controversiis fidei, ut scirent Catholici, earum hactenus parum curiosi, quid identidem supervenientibus heterodoxis hospitibus, semper dubiis et interrogantibus, possent ac deberent respondere.

XI. Die XIII Iulii, constitutum est, et a Philippo Valkenisse subsignata ordinatio, de Chirurgica lectione in professionis istius Collegio, supra novam Libram, habenda a die II Maii ab hora sexta matutina usque ad ultimam diem Augusti; atque ut nemo ad artis istius exercitium recipiatur, nisi qui duobus annis consequenter eam frequentaverit : quod si externus quispiam, alibi admissus Magister, hic quoque admitti postulet, teneatur quatuor mensibus ante et totidem post excipere scripto dictanda istic praecepta.

XII. Fuisse interim aliquem pestilentiae metum, indicat Diploma Episcopi Nemii, XXV Augusti, ea de causa instituentis apud Patres Carmelitas, Confraternitatem S. CAROLI BORROMAEI, Cardinalis et Archiepiscopi Mediolanensis, dignum omnino hic etiam legi :

« GASPAR, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Antver-
» piensis, omnibus Christi fidelibus, praesentes litteras lecturis
» vel audituris, salutem in Domino. Attendentes iracundiae
» Dei flagella peccatis nostris provocari, quodque verendum
» sit ne immittat Dominus alium Angelum, qui extendat
» manum suam super nos, et pestilentiae gladio percutiat, si
» tranquillitate pacis ac remedio correctionis non utamur; ex
» pastorali sollicitudine erga commissi gregis salutem, omnes

» Dioecesis nostrae subditos duximus hortandos et obsecrandos,
» ut, a peccatis aversi, et ad Deum ex toto corde conversi,
» humiliter et unanimiter divinam obsecremus clementiam,
» quatenus ignoscendo conservans, ab iracundiae suae ter-
» roribus liberos nos faciat et securos. Quod ut efficaciter
» a nobis postuletur, uberiusque divinae bonitatis largitas
» redundet, praeter alia Sanctorum patrocinia, censuimus
» imprimis S. CAROLI BORROMAEI suffragium implorandum,
» confisi eum qui in terris opem nemini negavit, plenius de
» coelo impetraturum auxilium, pro recolentibus merita sua
» intercedendo. »

XIII. « Igitur venerationem erga manifestum hunc afflicto-
» rum Patronum, pestisque ob specialem praerogativam propul-
» satorem, promere cupientes, simul etiam impense rogati,
» pro parte R. P. Prioris Carmelitarum Observantium conven-
» tus Antverpiensis, ut quod in Bruxellensi aliisque eiusdem
» Ordinis conventibus, de consensu Ordinariorum, feliciter
» et utiliter factum est, in urbe quoque nostra Antverpiensi,
» Congregatio seu Sodalitas utriusque sexus fidelium, sub
» eiusdem D. CAROLI BORROMAEI titulo et invocatione, rite et
» legitime apud ipsos institueretur. Nos piae eius supplicationi
» facile et libenter annuimus, visis praesertim Regulis et
» Statutis ab Illustrissimo Domino Mechliniensi Archiepiscopo
» simili Confraternitati praescriptis; iuxta quorum tenorem
» dictam utriusque sexus fidelium Sodalitatem in praedicti con-
» ventus ecclesia erigendam atque instituendam iudicavimus,
» prout erigimus et statuimus per praesentes; Regulas et
» Statuta per omnia approbantes; atque ut Christi fidelium
» devotio magis accendatur, de benignitate Dei ac nostra,
» ceteris Indulgentiis a Summis Pontificibus eiusmodi Confra-
» ternitatibus concessis aut concedendis, quadraginta dies de
» vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concedimus,

Digitized by Google

» omnibus et quibuscumque quo Albo inscribuntur die, et
» die recurrentis festivitatis S. CAROLI BORROMAEI, atque omnibus
» aliis, quibus Sodales contriti ac sacra communione refecti,
» ad altare Patroni devote oraverint pro exaltatione S. Matris
» Ecclesiae, exstirpatione haereseon, Principum Christianorum
» concordia, ac denique contagionis a populo nostro aversione.
» In quorum fidem, etc. » Idem Episcopus sequenti anno approbavit reliquiam de sanguine et intestinis eiusdem Sancti, a Cardinali de Monte obtentam; permisitque venerationi publicae exponi in loco perquam decenter cavato inter altare Crucifixi et portam sacelli Mariani, sicut legitur in Chronica Petri Wemmers, ecclesiam Carmelitanam describentis, pag. 882.

XIV. Hoc etiam anno in ecclesia Praedicatorum, super marmoreo ad frontispicium ecclesiae portali constructum est organum, opere scriniario tam grandi tamque formoso quam uspiam videre est civitate tota : sed, eheu, conflagravit incendio anni M.DC.LXXIX.

XV. Die VI Novembris, Princeps Auriacus, WILHELMUS HENRICUS, vacuum ab anno superiori patris sui morte Burggraviatum Antverpiensem, iuxta iam publicatae pacis conventa, adiit, futurus suo in ordine XXIII, per *D. Constantinum Huygens*, Toparcham de Zuylegem, Consiliarium suum; obiit autem anno M.DC.L, VI Novembris, ex eoque paucis post mortem eius diebus, atque ex Maria, Caroli, Magnae Britanniae Regis, et Henriettae Francicae, sororis Ludovici XIII, Francorum Regis, filia unica, natus est haeres et successor in nostro Burggraviatu de quo pluribus postea.

XVI. Spectat ad hunc annum, quod in famoso Escuriacensi apud Hispanos monasterio perfectum sit augustissimum Pantheon, condendis Regum Reginarumque eo translatis Granata corporibus pridem exstrui coeptum: cui commune omnibus epitaphium impressum reperio inter huius generis opuscula plura,

Digitized by Google

a Gevartio nostro composita, Plantinianisque typis excusa, et ab illo insimul compingi curata, nullo alio, quod alterius auctoris sit, in eam collectionem assumpto; ut plus quam verosimile mihi sit, ipsum quoque, licet nec locus impressionis, nec nomen auctoris addatur, esse ipsiusmet Gevartii : cuius cum stylum ex Ferdinandeo introitu, illuc perlato et cupide lecto, probassent eruditi quotquot erant Madriti, rogatus ille sit, etiam hac occasione commodare calamum; atque hoc suggesserit ea forma eoque ordine quo volebant insculpi laminae istic ponendae :

D. O. M.

« Aeternae memoriae Catholicorum et supra omnes retro » Principes potentissimorum Hispaniae Indiarumque Regum, » Philippi I, Pulchri; Imperatoris Caroli V, Maximi; Phi- » lippi II, Prudentis; Philippi III, Pacifici; Austriadum, Maio- » rum suorum; pietatique eorum in orbe non uno, ob » Religionem orthodoxam ad ipsos usque antipodes propaga- » tam, bene meritae; virtuti Divis additae coeloque receptae; » nec non Reginis coniugibus et Augustae soboli, mauso- » leum hoc, a Philippo III coeptum, Philippus IV filius, » in utraque fortuna magnus et invictus (quem Superi terris » longum sospitent) perfecit ac dedicavit, Aerae Christianae » anno M.DC.XLVIII. »

Quorum vix potuit Titan, oriensque cadensque,
Imperii late sparsos deprendere fines,
Hic vitae finem Hesperii reperere Monarchae.
Ipsum nec mirum est solem pallere sub axe
Hesperio, dum posse mori tot sidera cernit.

XVI. Porro hunc, tot titulis memorabilem annum Centone Virgiliano ornavit stupendus eo in genere Poeta, *Lucas*

Digitized by Google

Lancelottus, Antverpiensis, I. U. D. *Serenissimo Leopoldo, Principi optimo, Duci maximo gratulans, quod suorum in Belgio armorum primitias strenue, prudenter, feliciterque delibaverit.* Argumentum his verbis conceptum percurrens Deorum interpres Mercurius, a Iove ad sopitam somno BELGICAM delegatus, venturi temporis clementiam et felicitatem Serenissimi Archiducis adventu nascituram, auguratur. Illa vero experrecta, somno suo non satis acquiescens, solitis moeroris nebulis obducitur, donec Austriaci iubaris exortu, Divis comitantibus, illustratur: cuius pedibus cum SEPTEMDECIM PROVINCIIS advoluta, auxilium implorat, atque a PALLADE comite solatia ventura intelligens, recreatur. Specimen operis accipe ab exordio quod huiusmodi est :

E.	I. 18.	Fronde super viridi * nudoque sub aetheris axe,	Ae.	II. 512.
Ae.	X. 237.	Tela inter media et * florentes aere catervas;	Ae.	VII. 804.
G.	III. 204.	Belgica *, cum medio volvuntur sidera lapsu;	Ae.	IV. 424.
Ae.	XII. 160.	Incertam * nigra carpebat nocte quietem.	Ae.	VII. 414.
Ae.	IV. 556.	Huic se forma Dei *, de coelo lapsa per umbras,	Ae.	II. 693.
Ae.	IV. 558.	Omnia Mercurio similis *, pernicibus alis	Ae.	IV. 108.
Ae.	II. 19.	Detulit in terras *, fuditque has ore loquelas :	Ae.	V. 582.
Ae.	II. 241.	O Patria, o Divum domus * et coelestis origo,	Ae.	VI. 730.
Ae.	XI. 537.	Cara mihi ante alias, * animo gratissima nostro;	Ae.	XII. 142.
Ae.	XII. 800.	Desine iam tandem * lacrymis aequare labores;	Ae.	II. 326.
Ae.	XII. 801.	Nec te tantus edat tacitam dolor *, o Dea! certe	Ae.	I. 332.
Ae.	V. 726.	Imperio Iovis huc venio * Cyllenia Proles,	Ae.	IV. 258.
Ae.	VI. 76.	Praescia venturi : * tu condita mente teneto	Ae.	III. 388.
Ae.	IX. 301.	Quae tibi polliceor * duri solatia casus.	Ae.	VI. 3.

Digitized by Google

A. C. M.DC.XLIX.

ARGUMENTUM.

I-III. Carthusiani, ex Silvaeducensi districtu Antverpiam tempore Induciarum translati, cum Foederatis transigunt pro bonis suis, in eorum ditione iam positis.

ACTA PRIORA.

I. CARTHUSIANIS Antverpiensibus peculiariter laetus hic annus fuit, quo redierunt in usum bonorum, ipsis ab anno M.DC.XXIII, exstincta Vuchtensi prope Silvamducis Carthusia, attributorum, quando civitas adhuc sub dominio Regis Catholici erat; occupata illa anno quinto post a foederatorum Ordinum exercitu, eadem bonorum istorum conditio fuit, quae aliorum in Maioratu, ad Ecclesiasticos Regi Catholico subditos pertinentium, nec quidquam proprii iuris in ea sibi praetendebant Status, usque ad annum M.DC.XLIV, quando hominibus, lucrum undecumque et quocumque praetextu captantibus, placuit praetendere, ea bona adhuc esse Carthusiae Vuchtensis, Statibus una cum ipso pago *Vucht* iure belli acquisita. Non defuerunt sibi Patres, quin probarent, exhibitis translationis instrumentis, attestationibus item Antverpiensis ac Lyrani Magistratuum, de Antverpiensi Carthusia Lyram, cum omnibus suis bonis, deque Vuchtensi Antverpiam similiter cum bonis suis transgressa; eiusdem proinde se cum aliis Catholico Regi subditis esse conditionis; et, saltem pace iam conclusa, restituendos in integrum. Negari ius non poterat, pro quo etiam fortiter intercedebat Hispanus Legatus D. Stephanus

Digitized by Google

de Gamarra : sed apud inimicos iudices caro redimenda iustitia est; et male usurpati dominii cessio redimenda fuit quinquaginta quinque mille florenis : et huius qualiscumque transactionis approbatio, iusque alienandi quidquid commode administrari hinc non poterat, ad primum quemque belli motum rediturum in hostium potestatem, a Priore et Capitulo generali fuit sequenti decreto expeditum.

II. « Nos FR. IOANNES, Prior Carthusiae ac totius Ordinis » Carthusiensis Minister Generalis, notum facimus universis, » quod, viso contractu inter Serenissimos et Potentissimos » Status Generales Provinciarum Confoederatarum, et Venerabilem Patrem Iosephum Doutellair, Priorem Carthusiae » Antverpiensis, die XXVIII Augusti nuper elapsi, super proprietate Carthusiae S. Sophiae, in Parochia de Vucht quondam » prope Silvamducis consistentis, tenore praesentium et auctoritate nostri Capituli generalis qua super annum fungimur, » eumdem contractum laudamus, probamus, ac pro rato, firmo, » ac stabili habemus, in omnibus ac singulis suis articulis. Atque ut citius suum sortiatur effectum, et quinquaginta quinque millia florenorum, in eodem contractu mentionata, » promptius absolvantur, praefato Venerab. Patri D. Iosepho » Doutellair, qualitate qua supra, damus plenam potestatem et » irrevocabilem auctoritatem, ad (cum consilio et consensu Ven. » Patris D. Aegidii de Liverloz, Prioris Carthusiae Leodiensis, » tamquam Provinciae Teutonicae convisitatoris) vendendum, » commutandum et quolibet modo alienandum, cuncta et » singula bona, terras, pascua, silvas, agros, census, reditus » annuos, res, actiones, iura, nomina, et alia generaliter » omnia, absque ulla reservatione, quae ullo modo praefato » Carthusianorum monasterio, in Vucht, ut praefertur, quondam existenti, competunt, vel partem eorum; quibuscumque personis, et pro quocumque sibi bene viso pretio; prout

Digitized by Google

» ipsis magis expedire videbitur; et ad ipsorum talium bono-
» rum pretium recipiendum, quitanciam dandam, ipsorumque
» corporalem possessionem emptoribus dandam, tradendam,
» et concedendam.

» Ita tamen ut pecunias, ex dicta venditione seu alienatione
» provenientes, ultra praefatam summam quinquaginta quin-
» que millium florenorum, ut praefertur, impendendam, in
» emptionem aliorum fundorum, possessionum aut censuum,
» futurorum propriorum Carthusiae Antverpiensis, sive in
» praedicta civitate Antverpiensi quantum fieri poterit, sive
» in circuitu eius sitorum, impendere teneatur; et generaliter
» ad omnia et singula faciendum, quae in simili causa fieri,
» geri, et peragi solent ac debent. In quorum fidem praesen-
» tibus, manu nostra subscriptis, sigillum nostrum, per scri-
» bam nostrum et Capituli nostri generalis, apponi fecimus.
» Carthusiae, die v Octobris, anno M.DC.LVIII.

Fr. Ioannes, Prior Carthusiae.
Fr. Ioannes Chauvet, Scriba R. Patris et Capituli Gener.

III. Adest exemplum contractus lingua Hollandica scripti, et novem sigillis nominibusque firmati Hagae Comitis; ubi definiuntur ex praenotata summa LV millium florenorum, duo millia, danda Diaconiae maioris ecclesiae Silvaeducensis, et mille Domui pupillari: indulgetur etiam Priori et Procuratori Antverpiensi, ad hoc ut venditioni praefatorum bonorum debite possint intendere, commeatus salvus (nam absque eo nulli Ecclesiastico, etiam pacis tempore, licet ditiones foederatas ingredi) pro tribus mensibus. Neque cunctati sunt Patres, venditis quae volebant bonis, exhibere summam praenotatam pro eaque acceperunt quitantiam, a Quaestore seu Receptore Statuum generali, *Philippo Doublet*, et quatuor collegis eius signatam, XXI Ianuarii, M.DC.LIX.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii *iidem*. — Nisi quod Cancellarius *Boischot* incipiat comparere cum pluribus titulis, ut Comes de Erps, Baro de Saventhem, Nestegem, Steerbeeken, etc., a Consilio Status, Cancellarius Brabantiae, et supremus Feudalis Curiae Brabantiae Locumtenens.

Consules xx *Maii, Feria* ii *ante Pentecosten, actam* xxv *Maii.* — Dominus Henricus van Halmale III. — Dom. Alexander Goubau.

Scabini. — Dominus Antonius Sivori. — Dom. Lucas van Opmeer. — D. Gregorius del Plano. — Dl. Wilh. des Pommeraulx. — Dl. Philippus Schoyte. — M. Melchior Haecx. — Dl. Ioannes Maria Charles. — Dl. Ioannes della Faille. — M. Iacobus van Buren. — M. Aegidius Fabri. — Petrus Hanicart. — M. Ioan. Deschamps. — Dl. Io. Anton. Tucher. — Dl. Simon van Tulden. — Dl. Franc. de Beiar. — Dl. Florent. van Berchem. — Ioannes van Meurs.

ARGUMENTUM.

I-III. Calceata suburbana per Luthagas, usque ad sacellum Veteris Dei producitur. IV. Coniugium Regis Philippi IV cum filia Caesaris Ferdinandi. V-VII. Compositus in eas nuptias Thalassio Virgilianus. VIII. Exceptus rex Carolus, caeso per Parlamentarios patre, ab Anglia profugus. IX. Convictoribus emitur Curia Episcopalis in Beerschot ad recreationem. Ab iisdem erigitur ibi aedicula Deiparae, unde locus Mariaeburgum dictus. X. Moritur David Teniers, Rubenii discipulus, celebrior per synonymum filium.

ACTA POSTERIORA.

I. « Hic erat rerum status, quando Consules, Scabini, The-
» saurarii, Quaestores et Consiliarii supplicarunt Regi, in suo

Digitized by Google

» Brabantiae Consilio, exponentes quod diu instanterque
» requisiti sint, ut serio intenderent promovendae calceatae
» novae, ducendae a fine calceatae hodiernae trans campum
» dictum HET ROYERVELT, in pago Berchemiensi, per Luthagas,
» usque ad capellam, *Veteris Dei* vulgo dictam; cuius calceatae
» commoditate, non solum ad hanc Civitatem, sed etiam ad
» Lyranam et Mechliniensem, accessus expeditior fieret, prae-
» sertim hoc tempore pacis constitutae. Quia autem ad huius-
» modi opus necessario requirenda esset notabilis summa
» pecuniae, propositum supplicantibus erat, per quosdam Com-
» missarios suos agere cum Rectoribus pagorum circumiacen-
» tium, fundorumque in iis sitorum possessoribus praecipuis.
» Hi autem ad opus tam utile et necessarium omnes ac singuli
» consenserunt, et instanter rogaverunt ut quamprimum pos-
» tularetur indultum legitimum, pro instituendo super nova
» illa calceata plateatico, ad annuos canones assumendae eo
» fine pecuniae solvendos: videlicet, ut in singulos currus
» seu rhedas, quibus merces hominesve vehuntur, duobus
» coniunctim equis trahendos, stuferi tres solvantur; in
» currum autem unius equi, similiter onustum, blancae duae
» seu sesquistuferus; quibus vero equi plures iuncti fuerint,
» solvant pro singulis stuferum unum. Rustici vero, duobus
» cum equis venientes ad mercatum, stuferos duos; item pro
» singulis equis sellariis, vel aptis currum trahere, stuferus
» unus solvatur; item pro quavis ove aut porco quadrans
» unus; pro vacca autem, bove, iuvenco, tauro vel alio
» iumento, quod venum agitur ad mercatum, medius assis:
» quod plateaticum solvatur in pagis Mortzela et Luthaga ab
» omnibus qui praedicta nova calceata volunt uti. Id vero cum
» nequeat firmiter constitui absque indulto Regio, petitum
» est, ut supra. »

II. Audita porro super eiusmodi supplicatione sententia

Digitized by Google

Procuratoris generalis, in dominiis quarterii Antverpiensis, Rex indulsit et permisit quod petebatur, die XVIII Septembris; « ea tamen conditione, ut rusticorum equi vel currus, vacui » a mercatu revertentes, nihil pendere teneantur; et ut » pecuniae, ex eiusmodi plateatico colligendae, tradantur » Commissariis redituariorum, qui inde singulis solvent pro » ratione ipsorum redituum; neque sinant per alias manus » ipsam pecuniam transire. Pensio autem plateatici talis inci- » piet currere, et continuabitur per duodecim proximos annos; » ita scilicet, ut, si intra id tempus sumpta ad foenus pecunia » non fuerit restituta, ipsum sit prolongandum per novum » indultum; si vero contingat summam ex tali plateatico » provenientem non sufficere solvendis canonibus praedictis, » poterit potestas peti ad ipsum augendum, sub novo indulto » desuper concedendo. Quod si contingat, detractis detrahen- » dis, abundare quidpiam, id impendetur exstinguendo debito » summae capitalis, per ipsius Civitatis et Financiarum Depu- » tatos. Totius autem administrationis ratio, de biennio in « biennium, reddetur Deputatis praedictis, coram Deputatis » pagorum praefatorum, citra dispendium aut gravamen ipsius » plateatici; et obligabuntur supplicantes ex ipso solvere Nobis, » inquit Rex, aut Quaestori generali quotannis sex florenos » Rhenenses in recognitionem indulti accepti; et duplicatam » harum litterarum remittent ad Cameram rationum in Bra- » bantia, ut earumdem ibi servetur notitia. Praecipientes caro » nostro et fideli Cancellario Provinciae Brabantiae, ceterisque » nostris in eodem Consilio hominibus, atque Officialibus, » Iustitiariis et Vasallis, ut supplicantes faciant frui prae- » senti indulto pacifice atque imperturbate. In quorum fidem » sigillum nostrum hisce appendi fecimus, in nostra civitate » Bruxellensi, etc. »

III. Ita ecgraphum authenticum, signatum manu *Gerardi*

Digitized by Google

de Witte, *Graphiarii*, atque a iuniore Valkenisse mihi commodatum, cum grandi fasce similium instrumentorum, ad suburbana Antverpiensia spectantium, et eo fine hic productum, ut sit specimen formularum in tali causa et occasione usitatarum : ut enim hoc anno Civitati permissum fuit calceatam producere usque ad capellam Veteris Dei, DEN OUDEN GODT, sic eadem calceata anno M.DC.... producta fuit usque in Contich Mechliniam versus, quando sperabatur Mechlinienses suam quoque per Waelhem eodem usque protracturos; et fecissent, nisi maior necessitas suasisset impensas facere in viam sternendam usque Vilvordiam, per fundum hactenus pene impermeabilem, prius factum perfectumque est anno.... ex Contich vero usque Mechliniam anno.... de aliis porro circa Antverpiam viis a portis Rubra Kipdorpiaque ductis ulterius producendis, similia cogitantur et exspectantur.

IV. Die VII Octobris, Rex PHILIPPUS IV, pridem viduus, et masculo haerede orbatus, auspicatissimo connubio, uxorem duxit MARIAM ANNAM Austriacam, Ferdinandi III, Caesaris, filiam. Miror, si tali occasione nihil S. P. Q. Antverpiensis, nihil fecerit Gevartius speciali memoria dignum : nihil certe ego vidi hactenus. Solum invenio, quod Lucas Lancelottus, cuius Centonem Virgilianum Serenissimo Leopoldo oblatum supra laudavi, thalassionem similiter Virgilianum ediderit, ad eamdem severissimam regulam Ausonii de Centonibus, versibus pluribus quam quadringentis contextum; quo nihil Regiae utriusque Sponsi Maiestati dignius offerri posse iudicavit Christianus Voochts, Canonicus, Archipresbyter et librorum Censor ordinarius : *cumque doctissimorum in arte poetica hominum iudicio nihil centonibus miraculosius excogitari possit*, miratur ille *Auctorem, omnia in hoc genere antiquitatis monumenta, ingenii vivacitate, intellectus excellentia atque iudicii pondere transcendisse.*

« Praefatur Auctor ille quod praesentissimis honorum et

Digitized by Google

» favorum stimulis a Serenissimo Archiduce Leopoldo Guiliel-
» mo, Sponsae avunculo, incitatus, poemation istud composuit
» exemplo Ausonii, qui tale quid fecerit rogatus ab Imperatore
» Valentiniano, viro erudito etiam ipso, et quondam in eius-
» modi nuptiis sic describendis versato; variis de locis sensi-
» busque diversis quamdam carminis structuram solidando
» in unum versum ut coeant, aut caesi duo, aut unus et
» sequens cum medio: nam duos iunctim locare, ineptum
» est, inquit Ausonius, et tres una serie, merae nugae. »
Argumentum thalassionis Regii (lubet enim etiam hoc tran-
scribere) tale praeponitur :

V. « A *Iove* et *Iunone*, connubiorum auspicibus, pro divi-
» norum consiliorum publicatione venia petita, in *Apollinis*
» et *Musarum* invocationem exordium extenditur, atque in
» defunctae Reginae et *Balthazaris Caroli*, unici tot regno-
» rum quondam heredis, apotheosim terminatur: cuius fatis
» commota *Venus*, Hispaniae sospitatrix, verita ne Rex, tantus
» rerum Dominus, sine masculo herede languidus, vitam
» praecipitaret; secundas ei ab *Iove* nuptias enixe sollicitat:
» cui petitioni annuens ille, futura aperit; heredis quoque
» spem facit, ac *Mercurium* super id Deorum consilium
» sacrosanctum cogere imperat: qui, sumptis extemplo tala-
» ribus, iusso paret.

» *Venus* interea *Cupidinem* iisdem quibus Iovem telis adorta,
» auxilium implorat, isque omnem genitrici operam addicit.
» Deorum consilium coit, in quo Regis iniquam sortem
» exponens *Iupiter*, ac mentem suam de futuris nuptiis insi-
» nuans, urnam omniumque Superum mentes explorat; coniu-
» gium omnium votis ac, nemine refragante, ratificandum
» consummandumque concluditur. Quibus auspiciis laetatur
» *Venus*, iam voti compos; atque ab omnibus ei Diis Semi-
» diisque velut ovanti acclamatur et plauditur. Paphum deinde

Digitized by Google

» revisum *Cupidinem* amplexa, monet ut faciem filii Caesaris » indutus, amorem futurae sponsae inspiret; sese interim » Regis amori procurando invigilaturam; eo astu delectatus » *Cupido*, illico Septemtrionem versus; *Venus* autem in Hi- » spaniam contendit, ac Regem in coniugalem Augustissimae » *Mariae Annae Austriacae* amorem compellit : quo stratage- » mate inardescens Rex semisopitus, oratores ad Caesarem, » filiae coniugium petituros, delegat, dum *Cupido Ferdinandum*, » Caesaris filium, mentitus, praesentissimum Regis, qua licet, » amorem inspirat.

» Regis ergo Legati Caesarem conveniunt, ac Natae coniu- » gium exorant : quibus exactis, in Hispaniam reduces, Regem, » ex ore Caesaris, voti compotem renuntiant. Nec diu moratus » Rex viduus, alios remittit Proceres Reginam accercitum. » Legati autem armato, ut solet, concubitu, aliisque caeremo- » niis defuncti, in Hispaniam cum Regina iter adoriuntur; » quae res per *famam* ubique divulgatur. Discessus deinde » Reginae, extremum parentum vale, ac *Ferdinandi* fratris » comitatus in Italiam, perfunctorie recensetur. »

VI. « Interea *Iupiter* allegat Mercurium ad littus Italiae » classem aptaturum, qua Regina in Hispaniam devehatur. » Eodem deinde tempore regalis Sponsa Mediolanum adventat : » cuius et Ferdinandi fratris inauguratio, Palatina exercitia, » extremum utriusque vale, huius in Germaniam recessus, » illius in Hispaniam discessus leviter delibantur. Regina » itaque in portum Italiae delata, classem felicibus auspiciis » conscendit : cui *Venus*, mari iam medio, cum *Cupidine* et » solito Nereidum Tritonumque exercitu, itineris se ducem » praebet, donec Hispaniae portum contingat. Hinc appulsus » ad Hesperium littus, tormentorum bellicorum fragor, populi » concursus, magnatum conventus et gratulatio, atque ad pri- » mam quietis stationem adventus, enarratur.

Digitized by Google

» Regis inde ad Reginam adventus, et ad S. Laurentium » (vulgo *in Escuriali*) deductio; vicorum populorumque cir- » cumiacentium effusio, ceteraque id genus publicae laetitiae » indicia atque argumenta, nec non sacramentalis coniugii » solemnitas; apparatus deinde et splendor convivalis; proce- » rum frequentia et acclamatio, nec non Regales epulae » proponuntur. Inter has *Iuno* et *Venus* consilium ineunt, ut » *Hymenaeus* Regis et Reginae edulia poculaque suo medi- » camine condiret, quo utrimque amor conciliaretur : quod » solitis flammis et facibus ille aggreditur facere. Sub finem » denique epularum, *Iupiter* coniugibus ex alto bene precatus » gratulatur : *Iuno* amborum animos conciliat : *Venus* lectum » et mentes praeparat; ac stirpis aeternitatem prole mascula » procreanda, longa periodo utrique vaticinatur. »

VII. Sic ibi *Venus;* nunc huius vota operis specimen dent, notatis utrimque Virgilii locis, cum astericis ** hemistichia secernentibus :

Ae.	VIII.	399.	Et nunc * se quantis attollet gloria rebus	Ae.	IV.	49.
Ae.	IV.	400.	Hesperidum *, duplicem gemmis auroque coronam	Ae.	I.	655.
Ae.	VIII.	486.	Componens! * medium Video discedere coelum	Ae.	IX.	20.
E.	IV.	7.	Iam nova progenies coelo * prolesque virilis	Ae.	VII.	50.
G.	II.	326.	Coniugis in gremium laete * dimittitur alto,	E.	IV.	7.
Ae.	I.	673.	Quocirca * repetens iterumque iterumque monebo	Ae.	III.	436.
Ae.	IX.	641.	Macte nova virtute *, genus qui ducis Olympo,	Ae.	VI.	835.
Ae.	IX.	642.	Dis genite, et geniture Deos *, Tu maxime Rector,	Ae.	VIII.	572.
C.	III.	522.	Purior electro *, tuque o Sanctissima coniux.	Ae.	XI.	158.
E.	VIII.	32.	O digno coniuncta viro, dum despicis omnes.			
Ae.	IV.	80.	Post, ubi * longa decem tulerunt fastidia menses	E.	IV.	61.
Ae.	VI.	784.	Felix prole virum * (Lucinae experta labores	G.	IV.	340.
G.	III.	165.	Dum faciles) * pulchra faciat te prole parentem,	Ae.	I.	75.
Ae.	X.	668.	Omnipotens *, hominum Divumque aeterna potestas.	Ae.	X.	18.

VIII. Hoc etiam anno *Carolus II,* magnae Britanniae Rex (cuius pater Carolus I, iudicante Parlamento, publice fuerat securi percussus, die IX Februarii stylo novo, veteri XXX Ianuarii; Rex, inquam, Britanniae Antverpiam venit, patria profugus

Digitized by Google

et magna honoris publice significatione exceptus; transiitque in Hollandiam, ubi sororem habebat Principis Auriaci viduam. Idem deinde, in spem regni revocatus a Scotis, et praelio victus atque iterum profugus, nec receptus a Francis, unde matrem habuerat, Regis eorum amitam; ab Hollandis etiam exesse iussus, denuo refugit in Belgium, sub Regis Hispani umbra exspectaturus regressum fortunae, contra perduelles subditos, qui sese erexerant in Rempublicam, sub Protectore Oliverio Cromwello, absque diademate, absque satellitio, cunctis formidabili, et, quod mireris, in pace defuncto : post cuius denique mortem praedictus CAROLUS, Hispanico auro consilioque reductus in regnum, nulli minus gratum se praestitit quam quibus maxime obligatur, Catholicis, ipse nihilominus, o miram Dei clementiam! mortuus in fidei Catholicae professione, adnitente fratre ac successore IACOBO II, qui cum eo olim in Belgio communes latebras refugiumque habuerat.

IX. Societatis Iesu Convictoribus, quibus, post Hulstum ab Hollandis captum anno M.DC.XLVI, tutum non erat recreationis causa in Wasiam excurrere; patente autem per nuperam pacem in Brabantiam commeatu, longe consultius visum est huc exire; quaesita est inventaque optima commoditas in *Beerschot*, ubi venale offerebatur suburbana domus, quam istic sibi exstruxerat Malderus Episcopus. Locum, et coelo salubri et Scaldis non ita procul praeterlabentis cursu, et vicinis locis dense consitis amoenum, amoeniorem fecere Patres, arboribus, sepibus, topiariis operibus, fossis, areisque ad puerorum lusum accommodis. Passibus quoque a domo fere octoginta sacellum Virginis ab eisdem erectum est, elegans, et ornatum ara, tabulis, odeo; unde loco factum nomen *Mariaeburgi;* stat autem sacellum in planitie, quam fossa, et huic interiori in ripa praetexta tonsilis sepes cingit. In aditu ponticuli quo

Digitized by Google

illuc intratur, descripti versus, annum fundationis litteris suis numeralibus indicant :

VIrgInIs, o IUVenes, gratos Intrate reCessUs :
gaUDIa pUra DabIt, sUperos DabIt Ipsa faVores.

Nam, ut alibi sua sunt Virgini nomina, quibus ad cultum conciliandum salutatur, ita placuit ut, ea hoc loco *Causa nostrae laetitiae* diceretur. In sacelli ambitu plutei quinque sunt positi, quorum imagines totidem exhibent Virginis *Mysteria*, quae vulgariter dicuntur *Laeta*. Ex his Visitatio, quae Elizabetham gravidam, conclusum utero puerum, universam Zachariae domum coelestibus implevit laetitiis, cultu praecipuo honoratur, concurrentibus ex urbe civibus, ex agro colonis, pietatis et voti causa : cuius indicium sunt complura ex argento anathemata ad geminum arae latus appensa. Sed et Dominico ante Virginis Visitationem die, quotannis plenaria a Summo Pontifice, ab Episcopo, hebdomade reliqua quadragintadialis concessa est indulgentia. Mox etiam accessit hebdomadaria Catechesis sub sacro, maioribus minoribusque circum habitantibus magno cum fructu ibidem instituta : ad quam habendam cum conciuncula, Missam dicendam, confessiones audiendas, etiam pridie vesperi pluribus annis illuc solebat excurrere, et quidem pedibus, R. P. Iacobus *Wallius,* poeta (ut hoc ad modestissimi viri laudes adiiciam), dum inter convictores morabatur, recognoscendis ad iteratam impressionem poematis suis liberius vacaturus.

X. Denique hoc anno excessit e vivis non indignus magistro Rubenio discipulus, DAVID TENIERS, qui in Italiam profectus causa perficiendi se, rediit per Germaniam, totoque decennio Francofurti haesit apud celebrem tunc ibi pictorem Adamum Elsenhamer; cuius Adami effigiem cum elogio habes in

Digitized by Google

Pinacotheca, pag. 491; ipsius vero Davidis, pag. 141. Hunc, quantumcumque bonus fuerit, et penicillo suo ad numerosam familiam alendam honeste sufficeret, arte tamen et fortuna multum superavit synonymus filius, cum se feliciter insinuasset in aulam Bruxellensem, ubi Serenissimis Leopoldo et Ioanni Austriacis impense carus, utriusque Domesticus, Pictor, Camerarius et Pinacophylax fuit. Ex huius elogio, quod legitur pag. 335 libri iam saepe citati, discimus, Regem Hispaniae tanti eum fecisse, ut, erecta ad recreationem insigni porticu, eidem ornandae putaverit sufficere solius iunioris Teniers picturas, quibus considerandis se oblectaret. Auspiciis autem Archiducis Leopoldi collegit, aerique incidendas et grandi volumine vulgandas curavit rariores omnes Italicorum pictorum tabulas, supra trecentas (ut Belgarum, Francorum et Germanorum opera taceam), quorum copia abundabat Princeps ille, et nunc omnia apud Caesarem Carolum VI, fratris sui Leopoldi successorem pronepotem, Viennae servantur. Hunc sibi donatum librum Sereniss. Christina, Sueciae Regina, Bruxellis transiens, remunerata est aureo effigiei suae numismate aureaque catena; Princeps autem Ioannes, ut erat non solum artis amans, sed etiam peritus, volens ostendere quanti Davidem faceret, sua ipse manu eius filium dignatus est delineare. Comes quoque de Fuensaldania, secundus bellicarum ac publicarum rerum in Belgio remunerator, misit eum in Angliam, quascumque ibi posset venales pictorum Italorum tabulas coempturum, una cum aliis hic collectis devehendas in Hispaniam.

XI. Haec omnia cum celebrem longe lateque Davidem facerent, et civibus suis non minus carum, quam si praesens semper fuisset, gratanter ab his excepta fuit eius icon delineata per Petrum Tysens (in saepe dicta Pinacotheca laudatum, pag. 328) cum hac epigraphe:

Digitized by Google

Herois faciles aditus in limina Regum
Sanguis habet : faciles fecit oliva tibi :
Artificesque oleo ducti fecere colores;
Nec tamen in dubio stat tua fama loco.
Sors metuenda aliis, oleo pax gaudet amica;
Pax oleo semper gaudeat illa tuo.

Et gavisa est, dum mansit vita, quam dimisit Bruxellis. Nobis autem reliquit propria manu pictam sui ipsius effigiem, ut est in Pinacotheca, sculpta a *Petro de Iode*, Antverpiensi, iuniore, perito valde tunc temporis chalcographo, sed minus felici quam pater suus, qui moriens anno M.DC.XXXIV, die IX Augusti (sicut exprimitur, pag. 493, de manu filii) hunc artis haeredem reliquit, non item fortunae, facilior mereri eam quam servare.

A. C. M.DC.L.

ACTA PRIORA NULLA NOTATU DIGNA.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, II *Maii. Feria* II *hebdomadae* III *post Pascha, actum* XVII *Aprilis.* — Albertus de Ligne, Princeps Barbanzon, Comes d'Aigremont et de la Roche, Vicecomes d'Are, Eques Velleris Aurei etc. — Franciscus de Kinschot, Eques Ord. S. Iacobi, Toparcha de Rivieren, Ietten, Ganshorn etc. Regi a Consilio Status, Brabantiae Cancellarius.

CONSULES. — Dominus Henricus van Halmale IV. — II. Dom. Alexander Goubau II.

Digitized by Google

SCABINI. — Lucas Opmeer. — D. Gregorius del Plano. — M. Ioannes Sneyers. — Dl. Ioannes della Faille. — M. Iacobus van Buren. — Dl. Eduard. Sandelyn, *renunt.*, *suff.* — Dl. Wilh. van Halmale. — Dl. Henric. vande Werve. — Petrus Hanicaert. — M. Arnoldus Voochts. — Dl. Pasch. Fr. vander Cruyce. — Dl. Simon van Tulden. — Ioannes van Weerden, *Thes. suff.* D. Antonius Sivori. — Ioannes Meurs. — M. Maximinus Gerardi †. — Dl. Dominicus de Raedt. — M. Nicolaus Noyts.

ARGUMENTUM.

I. Deprecatur Magistratus ne Caesarum statuae, dono suo ad Palatium Bruxellense translatae, venumdentur. II-IV. Moriuntur eruditi viri tres, Balthasar Corderius, Christophorus Butkens, Franciscus Zypaeus : hi ex suis epitaphiis laudantur, iste ex Graecolatinis illustratis. V. Obit Bruxellis Ioannes van Hoeck, Caesaris et Archiducis Leopoldi pictor aulicus, Romae et Viennae celebris, natus Antverpiae.

ACTA POSTERIORA.

I. DIE I Septembris, per litteras ad Aulam Bruxellensem datas deprecatus est Magistratus, ne venderentur duodecim Caesarum Austriacorum marmoreae statuae, ad ingressum Principis Cardinalis, sub temporario quidem et ligneo, sed omnium speciosissimo et maximo in Mera arcu collocatae, et dono Civitatis ad Palatinam porticum Bruxellas translatae, in aeternum magnificentiae Antverpiensis monumentum; ut autem venderentur postulabant ii, in quorum aere positus Princeps e vivis decesserat : quibus quomodo et unde factum sit satis, ignoro : suspicio interim erat, ipsummet Leopoldum, si licuisset, empturum fuisse, in Germaniamque devecturum ornandae porticui, quam meditabatur iuxta ideam Antverpiensem Viennae exstruere.

Digitized by Google

II. Viros interim tres, in sua quemque facultate eruditissimum, qui omnes patriam hanc suam civitatem editis voluminibus praeclaris illustrarunt, hic annus abstulit. Primus, linguarum variarum, sed imprimis Graecae scientissimus, BALTHASAR CORDERIUS, e Societate Iesu, Doctor Theologus in Viennensi Austriae Academia creatus; cum esset in reddendis Latine scriptoribus Graecanicis aeque promptus ac felix, eaque de causa praecipuas Europae Bibliothecas per Germaniam, Galliam, Hispaniam et Italiam perlustrasset, ex Plantiniana Balthazaris Moreti typographia luci dedit Sanctorum Graecorum Patrum Catenas in Lucam, Ioannem, Psalmos et Iobum, tomis sex, omnibus in folio; similibusque duobus magni Dionysii, vulgo crediti Areopagitae opera, praeter symbola Graecorum Patrum in Matthaeum, collata cum Petro Possino, opera, Tolosae, et S. Dorothei institutiones Asceticas, praelo Cnobbariano; item in Hieremiam homilias XIX S. Cyrilli, cuius Apologos morales antea Viennae vulgaverat. Iterum deinde in Italiam eadem de causa reversum mors Romae invenit, finemque eruditis commentationibus attulit viro annos dumtaxat LVIII nato, quorum XXIV in Societate egerat.

III. Alter Cisterciensis Monachus, S. Salvatoris Prior, saepe nobis ex tropaeis suis Brabanticis nominatus, dum ibi occasione pactae pacis Hispano-Batavae obiit; itaque Hagae Comitis in Hollandia satagit rerum monasterii sui, opulenti nisi potior possessionum pars in Foederatorum potestate per conventa maneret, tam suis lugendus quam tunc maxime necessarius. Inde Antverpiam delatum est corpus, et iuxta summum altare suae ecclesiae sepultum, cum hoc, quod ei frater germanus, vir etiam eruditus, posuit epitaphio :

« Siste, viator, lege, lauda et luge. Iacet in tenebroso hoc
» sarcophago, ex nobilissima familia DE BUTKENS CHRISTOPHORUS,
» qui millenas et mille millenas familias, de Republica bene

» meritas, nec non sanctitate insignes, e mortis tenebris tulit
» ad lucem, Praelatus S. Salvatoris; non habens per Europam
» in scientia Nobilitatis facile sibi parem, in Belgio primus :
» eheu ! carne exutus, sed anima salvus, sed scriptis immor-
» talis, in aeternum cum S. Salvatore regnet in coelis, qui
» in terris per annos viginti praefuit laudabiliter Monasterio
» S. Salvatoris. Obiit trigesima Septembris, aetatis suae anno
» sexagesimo, Iubilaei secularis M.DC.L, ad supremum iubilum
» migrans. Piis fratris manibus lubens et lugens frater posuit. »

IV. Uno post istum mense, die IV Novembris, etiam obiit Papinianus noster Belgicus, ZYPAEUS, cuius in choro ecclesiae Cathedralis hoc legitur epitaphium :

D. O. M. S.

« Reverendo admodum Domino FRANCISCO ZYPAEO, IC.
» Protonotario Apostolico, huius ecclesiae Canonico, pridem
» Iurisdictioni Sacrae praefecto, Archidiacono, et Episcopatus
» Vicario generali, Domino de Cowendale et Oudermeulen;
» doctrinae elegantia, vitae morumque integritate, iurisdicendae
» solertia, editisque ingenii sui monumentis bene de sua,
» bene de postera aetate merito Petrus Florentius et Guiliel-
» mus Zypaei, fratri bene merenti hoc monumentum poni
» curarunt. Decessit anno salutis M.DC.L, pridie Nonas Novem-
» bris, aetatis suae LXX. Piis manibus, lector, bene apprecare. »

V. Hoc etiam anno Bruxellis obiit IOANNES VAN HOECK, Antverpiensis pictor, et discipulus Rubenii, admodum carus Serenissimo Leopoldo, qui eum, ob aestimationem artis, ab aula Caesarea, quam multis modis ornaverat, reduxit in Belgium; multis hic laudatur in Pinacotheca, ut qui Cardinalibus, picturae novae veterisque amantibus, tam gratus Romae fuerit, ut nemo esset quin libenter ei suas rariores picturas exhiberet,

Digitized by Google

non solum spectandas, sed etiam exemplandas, quod alias raro et aegerrime patiuntur, qui rebus talibus pretium a raritate ponunt.

A. C. M.DC.LI.

ARGUMENTUM.

I. Novus ad S. Salvatoris Prior ornatur titulo et insignibus Praelati. II. Moritur Gerardus Zegers. III. Floret Adrianus van Utrecht, Antverpienses, pictores eximii.

ACTA PRIORA.

I. Episcopus nemius, qui sub anni prioris exitum denominatus a Rege ad Cameracensem Archiepiscopatum, die xviii Decembris una cum Iudoco Gillis, Abbate S. Bernardi, ex mandato Sereniss. Leopoldi collegerat vota Religiosorum S. Salvatoris, pro novi Praelati electione; sic electum loci Suppriorem *Petrum Spers* commendavit, ut hic, illo mox electionem confirmante, ab eodem Abbate, die xxix Ianuarii, Musseto, Cruce, Annulo, aliisque huius Praelaturae insignibus ornatus sit; anno sequenti donandus etiam titulo et gradu Abbatis.

II. Mensis Martii die xviii, gerardus zegers, Antverpiensis, pictor, extremum suum diem obiit. Iuvenis hic in Italiam profectus, ibique annos non multos contemplandis optimorum artificum vetustis operibus immoratus, et nomen aliquod pingendo consecutus, in Hispaniam transiit, Regique et Aulae ita se probavit, ut Nobilis domestici titulo et torque donatus, beneque nummatus redierit in patriam. Plurima hic pinxit,

Digitized by Google

in ecclesiis praesertim spectanda : qualia sunt in nostrae domus Professae altaribus, S. Francisci et B. Stanislai Kostkae tabulae duae; duae etiam sub fenestris sacelli Mariani, quarum una repraesentat Christum a resurrectione apparentem matri, contemplandis Passionis instrumentis intentae; altera Deiparam, de manu Evangelistae Ioannis communicantem, coram mulieribus Evangelicis Martha, Maria etc. Tum grandior una pro summa ara, spectari solita intra tempus Paschale, et usque ad finem Iulii, haud cedere iudicata duobus Rubenianis, Ignatium et Franciscum Xaverium repraesentantibus, et circa ipsorum festa succedere eodem loco solitis. Expressam illa habet Crucifixi erectionem operosam, laborantibus molienda tam grandi trabe Iudaeis militibusque Romanis, et in recessu spectantibus Deipara cum suo comitatu. Eiusdem altitudinis est alia praegrandis apud Patres Carmelitas, Christum exhibens quasi post resurrectionem gloriosum supra mundi globum, de eoque triumphantem per institutionem Eucharistici sacrificii : cuius typum videntur exhibere hinc sacerdos Melchisedech, inde Elias propheta; supra caput autem volitat geniorum coelestium nubes, portans omnia Sacri Mysterii instrumenta. Est etiam in Aula Sodalitatis Marianae, supra ostium sacristiae, inter utramque Deodati praelaudati tabulam, Christi in Cruce nudi morientisque effigies, tota spirans pietatem, nullique operi eius cessura. Reliquit autem diuturnam sui memoriam in speciosa valde domo, quam media in Mera, platea civitatis totius amplissima, e regione viae ad Clarissas ducentis, aedificari fecit ad normam Italicorum palatiorum, ex albo et caeruleo saxo; sed et effigiem suam ipsemet pinxit, quam aeri incisam habet Pinacotheca, pag. 97.

III. Ibidem, pag. 107, repraesentatur, et hoc anno dicitur obiisse, ADRIANUS VAN UTRECHT, sive ab ULTRAIECTO, natus Antverpiae anno M.D.XCIX; ob singularem in feris avibusque et

Digitized by Google

fructibus pingendis industriam carus Hispaniae Regi, multisque Principibus, per Germaniam et Franciam, lustratas ab eo Provincias, tabulisque suae manus ditatas; sed ubinam obierit, non exprimitur, nec aliunde discere potui.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, I *Maii, Feria* II *hebdomadae* IV *post Pascha, actum* IX *Aprilis.* — Dom. Petrus Ernestus de Gavre, Marchio d'Ayseau, Comes de Beaurieu. — Dom. Ioannes van Tulden, supremi Brabantiae Senatus Consiliarius senior, loco Cancellarii infirmi.

CONSULES. — Domicellus Philippus Schoyte. — VI. Magister Iacobus van Buren III.

SCABINI. — Dom. Antonius Sivori. — Dom. Henr. van Halmale. — Dom. Alexander Goubau. — Dom. Gregorius del Plano. — M. Ioannes Sneyers. — Dl. Iustus van Spanghen. — Dl. Henr. vande Werve. — M. Ioan. Bapt. Zegers. — Petrus Hanicaert. — M. Ioan. Deschamps. — M. Arnoldus Voochts. — M. Thomas Neupoort. — Dl. Ioannes Happaert. — Dl. Florent. van Berchem. — Ioannes Meurs. — Ioannes Carolus van Vlierden. — Michael Huyghens.

ARGUMENTUM.

I. Ecclesiae Iesuitarum accedit nova sacristia. II. Eorumdem Bibliothecae circumducitur superne podium pensile. III. Obiit Bruxellis P. Hadrianus Crommius, Theologus eximius, Ianseniomastyx : eius epitaphium.

ACTA POSTERIORA.

I. Hoc anno ad ecclesiam Domus Professae Societatis Iesu accessit sacristia, quae nulla hactenus, sed merus sub turri

Digitized by Google

ad altaria transitus erat. Structura ampla est, et turri ex latere septentrionali sic adhaeret, ut civitati quoque ea parte non parvo ornamento sit : quod tamen maius foret, si ex altero quoque latere similem condere permisissent tempora, vel etiam cogitare experientia, quae docuit quam incommodus sit talis ad tumultuosissimam viam situs, non patiens quemquam, ante vel post sacrificium, suae istic devotioni cum quiete et animi collectione vacare. Providebantur etiam difficultates a plebe, haud facile consensura in abolitionem privatarum istic aedium. Quapropter cum annis post secutis iacta sunt fundamenta alterius sacristiae commodioris et quietioris futurae, ductae sunt ad ipsam viam concinnae domunculae, secularibus elocandae, post quas novum opus exsurgeret. Sed hoc ultra primarum fenestrarum limina hactenus non surrexit, neque ante redditam Belgio pacem facile ulterius surrecturum speratur, quamvis alias necessarium digerendis pretiosioribus ecclesiae ornamentis.

II. Bibliotheca, licet spatiosa, angustior quoque erat capiendis tam multis, quot paulatim accesserant, libris. Igitur, quo pluribus, ad suprema usque laquearia elevandis, locus esset, et facilius ad minores libros ascenderetur (hos enim tali occasione placuit a maioribus, non ita facile auferendis, dividere), excogitatae sunt quasi pensiles porticus, circum tria praecipua eius membra sic ducenda, ut prima aula libros sacros, secunda secularium disciplinarum codices, tertia scriptores Societatis Iesu, discretos a ceteris, et in similes ab iis classes divisos, complectatur : quibus nihilominus una succedit et intrantium oculos, per tres portas ductos, blande fallit quarta, ubi libri Hispanici, Gallici, Italici, Germanicique colliguntur, spatio quidem et altitudine minor ceteris; similem tamen illis ideam prospicientibus offerens, per ostia uno tractu ducta, oculosque fallentia, ne spatiorum in progressu semper arctiorum

Digitized by Google

inaequalitatem notare possint nisi ipsa introgressi. Denique spatium quod eatenus vacabat ad transitum versus cubicula Patrum Sodalitatis curantium libris quoque impleri coepit, per sua similiter loculamenta ibidem circumductis, nec aliam aptam stationem invenientibus.

Verumtamen necessarius eo loco domesticis externisque transitus, a Bibliotheca ad Aulas Sodalitatum Marianarum et conclavia interposita, mox ostendit, quam parum tuti istic essent libri, oculis manibusque doctorum indoctorumque expositi; quapropter anno M.DCC.XI translati illi alio sunt, donec commodior securiorque locus inveniatur.

III. Hoc eodem anno Bruxellis obiit P. Adrianus Crommius, cui nostra Flandro-Belgica Provincia vix parem habuit ad exponendos difficillimos quosque Scripturarum locos, cum esset Hebraicae, Graecae atque Arabicae linguarum scientissimus. Huic sub annum M.DC.LI migranti Lovanio Bruxellas, coeperant itineris comites iocalariter quasi epitaphium condere, perficiendum, quando obiisset; quod annis quinquaginta post, insomnes propter morbum noctes fallens, sic absolvi, novis versibus in initio et fine adiectis. Epitaphii initium aliquod dare coeperant anno M.DC.LI, conficere placuit insomnes propter morbum noctes ducenti, in hunc modum :

Milleno, sexcenteno uno quinquaquegeno,
Ante Idus Maii quinta vix luce restincta,
Hadrius in cista est tumulatus Crommius ista,
Annis ter denis Grudiis qui vixit Athenis.
Doctor profundus, totus teres atque rotundus,
Hebraico, Arrabico, Graecoque idiomate promptus.
Solvere perplexos sacro in volumine textus,
Dona Redemptoris cum libertate laboris
Conciliare sciens reprobando sphalmata gentis,

Digitized by Google

Nomine sub Sancto Calvini dogma tuentis.
Ast cum Doctores coeperunt vertere mores,
Et veluti nullas Urbani spernere Bullas,
Lovanii Caulam prudens mutavit in Aulam;
Factus Confessor quantus fuit ante Professor,
Principibus gratus, populo Sociisque probatus,
Sic servus fidus fulsit velut aethere sidus,
Hac dum sub fossa requiescunt molliter ossa.

A. C. M.DC.LII.

—

ACTA PRIORA NULLA.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Feria v *hebdomadae* v *post Pascha, actum* xxxi *Martii.*

Commissarii ii *Maii.* — Dom. Albertus de Ligne, Princeps Barbanzonius, etc. — Dom. Ioannes van Tulden, qui supra, loco Cancellarii.

Consules. — Dominus Alexander Goubau, Toparcha de Gyseghem III. — iii. Dom. Gregorius del Plano, † *die* xxx *Octobris cui suffectus.* — viii. Mag. Iacobus van Buren, xxv *Novembris; in patris autem Scabinatum suffectus est filius* *.

Scabini. — Dom. Antonius Sivori. — Dom. Henricus van Halmale. — Dl. Ioannes del Plano. — M. Wilh. Despommeraulx. — Dl. Philippus Schoyte † *suff. filius synonymus* *. — M. Melchior Haecx. — Dl. Io. Maria Charles. — M. Ioan.

Digitized by Google

Bapt. Zegers. — Petrus Hanicart. — M. Ioannes Deschamps. — Dl. Pasch. Franc. vande Cruyce. — Dl. Simon van Tulden. — M. Antonius Anselmo. — Dl. Franciscus de Beiar. — Dl. Flor. van Berchem. — Dl. Carolus van Vlierden. — Dl. Ioannes della Faille †. *In cuius* I *Ianuarii defuncti loco suffectus est nemo, eo quod, assumpto Dl. Ioanne del Plano, numerus plenus habebatur.*

ARGUMENTUM.

I. Mutatur et dilatatur pompae amburbalis circuitus : eius ordo. II. Moritur Abbas S. Michaelis Chrysostomus Vander Sterre. III. Praelatus S. Salvatoris ordinatur Abbas. IV. Moritur Bonaventura Petri, tempestatibus rebusque maritimis exprimendis felicissimus pictor.

ACTA POSTERIORA.

I. Die XXIII Maii, nomine Magistratus, affixae ad omnes angulos platearum sunt schedae impressae, cum nomine Philippi Valkenisse, Secretarii, quibus significabatur, quod amburbalis pompa, ducenda in Dominica Sanctissimae Trinitatis (tunc cadente in XXVI Maii, sub cursu litterae Dominicalis E.), initium sumptura erat a Veteri frumentario foro, per Forum maius, eiusque exitium de KEESRUYE; unde, dimissa via, eatenus servata (per plateam Portamque Vaccinam, ac fossam Minorum), posthac deflexura esset ad viam Lanariam DE WOLSTRATE, indeque per Kipdorpiam vertenda ad vias, ecclesiae S. Iacobi et Monasterio Clarissarum praetensas; hinc vero, per Meram viamque Coriariorum, ad Triangulum, DEN DRYHOEK; et hinc, per Hospitalariam breviorem, reditura in viam consuetam per fossam Lombardicam et Lapicidariam ad pontem Ioanniticum; sicque per viam Altam ad forum reducenda. Additur autem quod haec eadem ratio fuit observata,

Digitized by Google

in devota illa processione, quae absque machinis et profano ullo apparatu, pro more, ducta est in festo Corporis Christi. Pro amburbalibus vero alteris, per octavam Assumptae Virginis, cuius Dominica tunc casura erat, sub cursu litterae E, in diem XVIII Augusti, publicatum fuerat pridie festi, eamdem viam tenendam deinceps in omnibus maioribus processionibus, quocumque titulo institutis vel posthac instituendis. Atque ex hoc tempore coeperunt vulgari usu loquendi distingui *Maior* et *Minor Circulus;* quorum minor, Parochiam Marianam non excedit, solumque ambit veteris urbis, sive secundi incrementi fossas; Burgoque excluso, a foro maiori procedit ad pontem Vaccinum, indeque gyratus ad Ioanniticum, et sic ad Cathedralem redit: maior etiam involvit Parochiae Iacobeae bonam partem.

II. Dum sic ordinata amburbalia latius circumducuntur, die XXVIII Iulii obiit Abbas S. Michaelis, CHRYSOSTOMUS VANDER STERRE, postquam annis XXIII Monasterium rexisset, ipsumque variis modis auxisset et decorasset. In ea enim aula, ad quam per primos gradus domus Abbatialis ascenditur, et unde ad disposita utrimque conclavia datur ingressus, decessores suos omnes pingi fecit, ex vultibus eorum quos tunc habebat Religiosorum, quando verae decessorum effigies non amplius supererant; et ante caminum grandiori in tabula exprimi fecit se ipsum, sed in persona B. Waltmanni, pedum cum benedictione Abbatiali accipientis ante aram de manu S. Norberti, adgeniculantibus post eum Praelatis Tongerloensi, Everbodiensi et Middelburgensi, ex Antverpiensi Abbatia progressis. Eiusdem quoque opus est sacellum palatii, *Divino amori* nuncupatum, quo vix aliud elegantius conspici possit, ita totum auro, picturis, staticulisque, loco proportionatis, ornatur et fulget. Nec praeterierim propylaeum, ex Rubenii designatione alboque et caeruleo saxo, instar theatralis proscenii, praetensum

Digitized by Google

areae, quae viam Regiam inter et ecclesiam iacet ad orientem, dispositis utrimque aedibus novis, pulchro ordine et uniformi structura, ad commoditatem civium, illic longius ab urbano strepitu vivere eligentium; quae tamen necdum omnes habentur perfectae, sed hinc inde dumtaxat quaternae; ceteris, quae tabula scenographica repraesentat, in quietiora tempora reservatis; una cum nova porta, ad alteram aream Monasterio et Abbatiae praetensam. Chrysostomi quoque opus est doxale seu odeum marmoreum, supra quod conspicitur Christi nobilis statua, sub schemate boni Pastoris, ovem humeris gestantis, SS. Apostolorum Petri et Pauli figuris stipata; quibus utrimque in pronao respondent per intercolumnia circumductae reliquorum Apostolorum effigies, privata eorum liberalitate qui sub earumdem basibus sibi suisque ibi sepeliendis epitaphia scribi voluerunt; quae omnia et reliquum ecclesiae sic instructae ornatum etiam hic ex aere spectandum exhibere censui. Sepultus iacet *Chrysostomus, sui Praemonstratensis Ordinis per Circarias Brabantiae et Frisiae Vicarius Generalis, et Visitator Apostolicus* (ut habet eius epitaphium) iuxta latus altaris maioris, e regione decessoris sui sub simili marmore. Habet etiam ibidem similiter pendulam ex columna effigiem, devotissime pictam, sicut vivens toto vultu pietatem spiraverat. Notitiam plurium librorum, ab eo elucubratorum, partimque iam editorum, partim praelo paratorum, effert Bibliotheca Valerii Andreae. Chrysostomo successit NORBERTUS VAN COUWEREN, Antverpiensis, postquam in hac civitate per plures quam XXV annos verbum Dei frequenti concursu praedicasset, subinde etiam Monasterii Prior,

III. Post haec nova accessit Civitati dignitas, S. Salvatoris Prioratu in Abbatiam converso, per hoc quod Topographia loci recitat diploma : « Nos FR. CLAUDIUS VAUSSIN, Abbas Cistercii, » in Cabilonensi Dioecesi, Sacrae Theologiae in Parisiensi

» facultate Doctor, Christianissimi Regis in supremo Burgun-
» diae Senatu primus Consiliarius, universi Ordinis Cisterciensis
» Caput ac Superior generalis; eiusdemque Capituli generalis
» plenaria potestate fungentes, universis praesentes litteras
» inspecturis salutem in Auctore salutis.

» Quae maiori divinae gloriae accessioni, nostrique sacri
» Ordinis Cisterciensis decori et incremento apprime condu-
» cunt, ea gratiosis libenter prosequimur favoribus. Cum
» igitur Conventualis Prioratus eiusdem Ordinis nostri, in
» urbe Antverpiensi, fundatus anno Domini M.CCCC.XXXIII a
» generoso piae memoriae Domino Petro Pot, Equite Aurato,
» ad haec usque tempora sub regulari instituti nostri obser-
» vantia permanserit, ac maximopere tam facultatibus tempo-
» ralibus, quam Religiosorum numero excreverit, spesque non
» mediocris affulgeat fore, ut ad ulteriorem splendorem
» nostrique Ordinis amplius ornamentum deducatur, si in
» Abbatiam erigatur; ac propterea venerabiles omnes Religiosi,
» Conventum praedicti Monasterii S. Salvatoris constituentes,
» supplice libello porrecto nobis supplicarunt, quatenus, ad
» praedicti nostri Ordinis splendorem ac decus, maioremque
» Dei gloriam, antedictum Prioratum in Abbatiam erigere,
» Priori moderno et successoribus eius usum pedi pastoralis ac
» abbatialia privilegia concedere dignaremur.

» Nos attendentes, quod S. Stephanus, tertius Abbas nostri
» Cistercii, praedecessor noster, S. Benedictum, Legislatorem
» nostrum, in fundandis Abbatiis imitatus, in primordiis Ordi-
» nis nostri miserit venerabilem Bertrandum ad Firmitatem,
» B. Hugonem ad Pontiniacensem, S. Bernardum ad Clare-
» vallensem, et Patrem Arnoldum ad Morinundensem Abba-
» tias, Cistercii quatuor primarias Filias erigendas; singulos
» Abbates, cum duodecim Cistercii alumnis Conventum con-
» stituentes; quod idem eorum successores passim in Ordine

Digitized by Google

» in Abbatiarum fundatione servarunt; perpendentes etiam, » quod supradictus Prioratus S. Salvatoris sufficientes habeat » proventus temporales ad alendos viginti quatuor Religiosos, » et ad sustinendam dignitatem Abbatialem; supradictas ob » causas, supplicationi adm. Reverendi Coabbatis nostri de » Dunis, nostri per Belgium Vicarii generalis, et praefa» torum Conventualium Religiosorum praedicti Monasterii » S. Salvatoris, nobis in hac parte porrectae, benigne an» nuentes, saepedictum Prioratum S. Salvatoris, de nostra » paterna et plenaria sacri Cisterciensis Ordinis nostri et » Capituli generalis eiusdem, qua fungimur, auctoritate, in » Abbatiam, praesentium serie convertimus et erigimus; » adeo ut, suppressis Prioratus et Prioris nominibus, in po» sterum et perpetuis futuris temporibus, Abbatia, et mo» dernus Prior illiusque successores, dicti loci Superiores, » Abbates nominentur et sint; possintque benedictionis Abba» tialis munus suscipere, uti Museto, Pedo pastorali, Annulo, » aliisque insignibus abbatialibus, Mitra excepta; nec non » denique dicta Abbatia seu Monasterium S. Salvatoris, ipsius» que loci Superior seu Abbas hodiernus et successores, » omnibus et singulis iuribus, privilegiis, gratiis, honoribus, » titulis et gradibus, nunc et futuris perpetuis tempori» bus, frui et gaudere valeant, quibus Abbatiae et Abbates » nostri Ordinis sine mitra, uti, frui, et gaudere solent » et debent.

» Mandamus propterea omnibus et singulis Ordinis nostri » regularibus personis, quacumque dignitate fungentibus, ut » praefatam Abbatiam S. Salvatoris illiusque Abbates, moder» num ac successores, huiusmodi privilegii nostraeque supra» scriptae confessionis beneficio gaudere et tranquille uti » sinant, iisdemque Abbatiae et Abbatis titulum attribuant. » Datum Cistercii, sub nostra subscriptione maioris nostri

sigilli appensione, et nostri Secretarii chirographo, VII mensis Novembris, anno Domini M.DC.LII.

Subsignatum erat : Fr. Claudius, Abbas Cisterc. gener.
Fr. Bougeret, Secretarius.
Et sigillo dependenti praefati D. Generalis in cera alba.

IV. Hoc quoque anno diem extremum obiit Antverpiae, patria sua urbe, natus in ea anno M.DC.XIV, BONAVENTURA PEETERS, coelo Wenceslai Hollart, chalcographi, figuratus in Pinacotheca, pag. 171, odeque tetrasticha eleganti honoratus, ac laudatus ab eximia felicitate in exprimendis navigationum mari vel tempestuoso fortunis variis, arcibusque et oppidis in recessu conspiciendis.

A. C. M.DC.LIII.

ARGUMENTUM.

I. Obitus et epitaphium Iacobi van Eyck, publice privatimque Eleemosynarii eximii.

ACTA PRIORA.

I. SACELLUM Eleemosynariorum, sub turri meridionali positum, altare habet veteri more ligneum, ornatum tabula perquam elegante, Christi extremum iudicium repraesentante. E regione cernitur monumentum marmoreum, supraque illud Salvatoris effigies, crucem manu tenentis et stantis inter duos itidem marmoreos Angelos, ipsius monumenti cornibus insidentes, subter quos hoc epitaphium legitur :

Digitized by Google

D. O. M. S.

Paucis, viator, mortuus tecum loquor.
Ut certa mors, incerta tempus ac locus :
Anversa patria et fixa mihi sedes fuit,
Gandamque profectum inopina febris abstulit.
Corpus, referri quod potuit, hic conditum.
Ut et anima sita in patria sit, vove.
Et, dum incolumis egrederis, ut redeas, time.

« Hisce, lector, te compellat IACOBUS VAN EYCK, Petri filius, » dum vixit, Dominus de Biest, singulari vir comitate, pru- » dentia, candore animi, ac probitate morum : qui privatim » in pauperes liberalissimus, eleemosynis etiam publicis prae- » fuit ; deinde Aedilis huic templo, posteaque huic urbi » pluribus annis Senator, atque interim quoque eidem a » Thesauris. E tribus uxoribus Maria Roose, Ioanna Cant » et Elizabetha van Horne, matronis lectissimis, XIII liberos » tulit; novem simul cum tertia coniuge superstites reliquit, » qui patri optime merito et suae quoque matri, moesti hoc » monumentum posuerunt. Decessit ille, uti vixerat, pie, » III Non. Februarii, anno salutis M.DC.LIII, aetatis LX. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, I *Iunii, ipsa die Pentecostes.* — Dom. Philippus Franciscus Dux Arembergae, Arschot et Croyaci, Princeps Porceau et Rebeque, Eques Aurei Velleris etc. — Dom. Robertus Asseliers, Eques Auratus, Regi a Consilio Status in Hispania, et in Belgio Cancellarius Brabantiae.

CONSULES. — Dom. Alexander Goubau, Toparcha de Gyseghem IV. — VI. Magister Iacobus van Buren IV.

Digitized by Google

Scabini. — Dom. Antonius Sivori. — Dom. Henr. van Halmale. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — M. Ioannes Snyers. — M. Melchior Haecx. — M. Ioannes Deschamps. — Dl. Io. Henr. vande Werve. — Petrus Hanicart. — M. Arnoldus Voochts. — Dl. Ioan. Ant. Tucher. — Ioannes Smeesters. — M. Thomas Nieupoort. — Dl. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Michael Kugens. — Dl. Philippus Schoyte. — Dom. Philip. Aug. Cano. — Ioannes Baptista Batkin.

ARGUMENTUM.

I-X. S. P. Q. Gandensis Leopoldo Archiduci, pro Flandria, iugo Francico liberata, curat Antverpiae ordinandum, sculpendum, imprimendum, arcum triumphalem, cuius hic ectypon datur. XI. Amburbalia op 't schelleken, in contemptum Mechliniensium ab aurigis huiatibus adornata, prudenter impediuntur. XII. Cistercienses ad Salvatoris quintum sui S. Bernardi Iubilaeum celebrant. XIII. Novum ludi campanarii tympanum evectum in turrim.

ACTA POSTERIORA.

I. Ad posteriora huius anni *Acta* ingressum satis commodum dabit *Arcus triumphalis*, quem *Serenissimo Principi Leopoldo Guilielmo, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, etc. Belgii pro Rege Gubernatori, Flandriae Vindici, Pio, Forti, Felici, ex voto publico, obsequio privato, communi cultu, ad venerationem praesentium, ad memoriam futurorum, posuit anno* M.DC.LIII; expressum grandi quatuor laminarum aenearum tabula, hic intra spatium minus contracta, et meis verbis sic descripta :

II. Supremum apicem obtinet ulnarum pene sex FLANDRIA LIBERATA, inter quatuor Genios, quorum duo attollunt capiti eius imponendum pileum, *Libertatis* symbolum; alter coronam *Gloriae* offert; quartus brachiis stringit viridantium palmarum,

Digitized by Google

victorias denotantium, manipulum grandem. Ad singulos autem quadratae molis angulos assurgunt tropaea militaria, spoliorum ab hostibus relatorum : in eodemque limbo (coronicem vocant) dispositi Genii duo conspiciuntur, quorum unus iugum quoddam frangit dicens, *iugum confregit* (videlicet Archidux); alter Cornu copiae ostentat cum addito, *ubertatem reddidit.* Ex alia parte aerem serenum illuminat radiosus *sol*, medio in disco complexas litteras PL., *Philippi* Regis nomen, sustinente; et in circulo circumducto septies repetitas litteras G.L., id est, *Guilielmus Leopoldus;* quorum etiam scuta armaria in zophoro sculpta cernuntur, cum subscriptis hinc inde verbis *Concordibus Armis.* Exteram partem aeris, tenebrosam totam, occupant diffugientes harpyiae aliaeque nocturnae volucres, cum subscripto : *Exactis belli furiis;* sub quibus in infima et extima parte tabulae cernitur fugiens bellorum Deus, gladium fractum conculcans, et humi prostrata sanguicoma Invidia, cum rapaci Tyrannide, pretiosis spoliis onusta, rescissumque ac sanguine stillans caput tenente.

III. Sub ipso sole videre est Aquilam praegrandem, quae, alis pedibusque expansis, oculis irretortis illum intuens, *Agnoscit suum,* verbis his capiti circumductis : altero autem ungue tenet haec verba : *solo cognatus prospicit imo, ortus in excelso;* altero extremum angulum membranae, in aere suspensae, tenet, adiuta a duobus Geniis, ipsam explicantibus, et hoc epigramma legendum offerentibus :

Austriaco Te celsa dedit Germania partu,
Cognatum radiis, magne PHILIPPE, *heis :*
Inferior, per Te, venientem a sidere tanto,
Rebus in angustis Belgica sensit opem.
Sic alto exoriens, imo sol prospicit orbi,
Signaque naturae dat generosa suae.

Digitized by Google

Altorum est prodesse humili : sic parva iacensque
Belgica, sublimem Te, LEOPOLDE, *probat.*
Et probat esse aliquem, cui sint etiam infima curae :
Illius o ! quantum lumen et instar habes !

Qui una cum Aquila membranam istam explicant Genii duo, nominibus praeferunt LANDRACUM atque CAMERACUM, dominii Hispanici urbes; et subvolantibus ad illos, ex latere machinae triumphalis, sex aliis oppidorum, iure belli Francis ereptorum, *Antonii*, *Rhetelii*, *Castelleti*, *Rocroyae*, *Capellae*, *Montcorneti*, clamantibusque ex intercurrente rotulo, *superamur ab illo ;* ex simili rotulo respondent, *et nos servamur ab illo.*

IV. Per reliquum inter solem et Oceanum aerem diffusi radii in subiectam *Flandriae Occidentalis* tabulam, loca eadem geographice expressa attingunt. Inferioris machinae intercolumnia occupant duo hinc et inde aquatici Dii urnis suis incumbentes; et quinam et cur ibi locati sint, exponitur his verbis : *Oceano pacato : Lysa restituto.* Per portam egreditur, equo superbe phalerato insidens, ARCHIDUX, deducente *Iustitia*, sequentibus *Fortitudine*, *Prudentia*, *Moderatione*, cum reliquo Virtutum agmine. Egredienti occurrit Gandavum pro tot, quot ille Francico iugo liberavit, urbibus oppidisque lauream coronam offerens. Sunt autem totidem Geniis circumfusis expressa : *Armentaria*, *Furnae*, *Mardica*, *Burburgum*, *Casletum*, *Lillerium*, *Gravelinga*, *Sanvenantium*, *Ostenda*, *Cominium*, *Motta*, *Ipre*, *Dunkerka*, *Winociberga*, *Menenae*, *Cortracum*, *Dixmuda*, quae inter accumbit *Leo Belgicus*, innixus saxo, cui scriptum : *Sub Te vigilante quiesco.*

V. Tum proxima inter duos Genios tabula, sic inducit loquentem Patriam :

Digitized by Google

Tota quidem, LEOPOLDE, *heis secura sub armis*,
Te Servatorem BELGICA *terra vocat :*
Sed tamen ante alias Patriae Te Flandria Patrem
Ultoremque mei sanguinis una colo.
Pene fui sine Te, Gallo dominante, subacta,
Te sine iam, vereor, tota subacta forem.
Nunc omnes per Te, quantum Lysa continet, urbes
Ad Dominum specto laeta redisse meum.
Sic age, sic, LEOPOLDE, *suum te Belgica Patrem*
Plus etiam exemplo discat amare meo.

VI. Universae tabulae sensum plenius explicat dedicatoria Epistola, inscripta, ut supra, *Serenissimo Principi Leopoldo Guilielmo etc.*

SERENISSIME PRINCEPS.

« Magnae et coelestis est animae, sine ulla ostentatione » vel strepitu exhibere se beneficam, subditis sibi rebus; vilis » et coelestium inanis est indolis, ubique proclamare dona » sua; et gratitudinem, illorum causa sibi debitam, non tam » muneris magnitudine, quam exageratione metiri.

» Sol, mundi totius oculus, et quaedam velut mens atque » vita, in res omnes suaviter influit, et tacite rorem suum » vividum virtutemque dispensat : quae vero expertes concre- » tione telluris in altum coactae nubes sunt, quoties in humum » se explicant atque diffundunt, faciunt id cum vocali pro- » cella et fomite imbrium percellente terram.

« Non Tu in Belgio nostro, instar nubis imbriferae, vento » impellente provectus; sed velut beneficum et salutare sidus, » imo quasi sol aliquis, certe cum sole et a sole, Rege, inquam, » nostro, tuae lucis et virtutis auctore, motu quidem rapido, » sed silente, deductus es. Tu a Flandria praesertim nostra

Digitized by Google

» umbras omnes ac pestes depulisti luce tua; Tu ubertatem
» agris, securitatem urbibus, sospitatem omnibus Tua prae-
» sentia reddidisti; et cum illa tot ac tanta placide faceres,
» ad fructum unicum vitae nostrae, non ad commendationem
» famae tuae, beneficia in nos a Te collata sentiri magis a
» nobis, quam agnosci palam et praedicari voluisti. »

VII. « Quid ergo? Nos, tui muneris fructu tacito sensuque
» contenti, ridebimus in sinu tantum? Nec ipsum quoque cor
» nostrum explicabimus in vocem, beneficii testem Tui. Alia
» generosi animi, dum munus praebet, alia mentis ingenuae,
» dum beneficium accipit, conditio est. Illi silentium virtus
» imperat, huic ostentationem claram et manifestam accepti
» muneris gratitudo praescribit; auget illa munus, quod
» ignorari vult; haec minuit, quod negligit praedicare. Illapsum
» placidissimae lucis et roris a tacente sole et coelo terra
» suscipit : at non tacito fovet in sinu, quando illum et cantu
» avium, et florum ac frondium versicolore velut emblemate,
» et eorum, quae vita sunt praedita, non uno gestu et voce se
» suscepisse testatur. Testamur etiam nos, et quae a Te
» in hanc nostram *Flandriam*, sine strepitu et ostentatione,
» collata sunt bona, ea nos et gestu et voce et opere, qua
» licet per imbecillitatem nostram exaggerato praedicamus.
» Eramus, heu miseri! (depulsus enim periculo adhuc infixus
» animis haeret timor). »

VIII. « Eramus hinc Batavis ab Oriente, inde Gallis ab
» Occidente prementibus, velut in saxum et saxum, inter
» malleum et incudem; utrimque iam imminebat portis no-
» stris hostis et victor; atque urbibus reliquis, velut membris,
» a bello tamquam ferali peste correptis, extrema denique
» Gandavo ipsi, quasi capiti ac cordi, hoc est arci salutis
» ac vitae nostrae, minabatur : cum ex insperato, certe inex-
» spectato, a Deo et a Rege submissa periclitantibus virtus

Digitized by Google

» Tua, nos, utrique fideles subditos, certam fortunae melioris » reduxit in spem; hostes autem in eius, quam animo iam » devoverant, victoriae ac praedae desperatione profligavit. » Diceres, ad conspectum Tui, tamquam benignissimi sideris, » imo solis, vitam reddi subito et vigorem bonis omnibus; » obscoenis autem animalibus, in fugam actis ac latebras, » horrorem Tuae lucis, non secus ac pondus aliquod immane, » totius nisu virtutis incumbere. Pacem itaque, cum Te vidit, » Batavus patienter admisit; istam dico pacem, quam ad » illam usque diem severe contempserat; veritus nimirum, » nisi concederet, extorqueri illam sibi conditionibus minus » aequis a virtute Tua posse. Gallus autem, cum tecum experiri » bello mallet, tot munitissimas urbes Flandriae (quas suorum numero militum et armorum gravi pondere obruerat » ille, potius quam expugnarat, et in quibus iam sedem » fixerat sui regni et belli), omnes ad te exiguis omnino copiis » et apparatu, ac tempore prope nullo, sibi eripi vidit et » stupuit; praesertim tum, cum intelligeret, egressus aliquando urbe capta, fuisse obsessos suos milites, Tuis obsidentibus et numero et apparatu omni bellico potiores. » Sed enim, quod nondum tunc Gallus agnoverat, alebatur » et augebatur et animabatur a Tua unius virtute miles Tuus; » nec damnum numeri sui, nec stipendii vel annonae perquam parcae inopiam, imo nec pugnantia non semel adversum se elementa (cum Tuo spiritu vigeret et viveret) sentiebat. Eras profecto illis unus instar omnium ad terrorem » hostium atque ad amorem et ardorem Tuis. Eras, qui, etiam » confitente invidia, nec tamen hoc sibi arrogante modestia » Tua, usurpare posses ex merito imperatorium illud: Veni, » Vidi, Vici; venisti sane, quod felicitatis; vidisti, quod » laetitiae; vicisti, quod salutis nostrae fuit. Haec ipsa, » dedicata Tuo nomini verba ac vota nostra, aeri iam aut

Digitized by Google

» marmori incisa starent apud nos triumphalibus notis, si Te, » Flandriae nostrumque vindicem, aut aera aut marmora ubi» que loqui; vel certe si audiri illa ab omnibus aut videri » saltem possent. »

IX. « Nunc, quo nostrae in Te pietatis et venerationis » signa haec exigua toto, qua patet, orbe spargantur, incisam » in aes speciem Flandriae, Tuum se vindicem agnoscentis, » omnium etiam remotissimorum oculis exhibemus, ob hono» rem, obsequium ac cultum Tui nominis sempiternum. »

SERENISSIMAE CELSITUDINIS TUAE

Demississimi Clientes S. P. Q. Gandavensis.

Nicolaus Ignatius de Beer, Eques Auratus, Toparcha de Meulenbecq, Cauborne, Severen, Hasselenbosche, Ter Borcht, de Vorse Ouderícx, etc. summus Gandavensium Praetor.

Ioannes Borluut, Eques Auratus, Toparcha d'Assemburch, Noortdonck, etc. Primi subsellii Consul.

SENATORES. — Ioannes van Scheyngen, Toparcha de Wineghem. — Maximilianus van den Berghe, Toparcha de Berghe. — Dionysius de Vaernewyck, Toparcha de Diepenbroeck. — Guilielmus Massin, Toparcha de Gosegenee. — Christophorus de Vilain, Toparcha de Vergier. — Henricus vander Varent. — Hieronymus de Mesmaeker. — Iustus Billet. — Cornelius de Keysere. — Iustus vander Straten. — Marcus vanden Kerckhove. — Ioannes van Horne. —

A CONSILIIS. — Ioannes Baers, Eques Auratus, Toparcha de Ruddersvoorde. — Iacobus de Laurii. — Franciscus vanden Vivere.

A SECRETIS. — Gerardus van Overwalde. — Thomas Ghyselinx. — Michael van Horne. — Ioannes Odemaer. — Lucas van Horne.

Digitized by Google

Ioannes Gerardus de Pouillon, secundarius Gandavensium Praetor. — Emmanuel de Courteville, Toparcha de Leacke Incourt, etc. Secundi subsellii Consul.

Senatores. — Henricus vanden Eeckhoute, Toparcha de Pumbeke. — Emmanuel Ballet, Eques Auratus, Toparcha de Leeuwenburg, Schilde, etc. — Franciscus de Baenst, Toparcha de Wulfskerke, Baerle, ten Hove. — Adrianus le Prevost, dictus de Basserode, Toparcha de Desmarez. — Petrus van Driel. — Paulus Iacobus van de Putte. — Adrianus Elias. — Ioannes van Daele, *Doctor Medicinae.* — Paulus d'Hamere. — Ioannes van Hauweghem. — Franciscus le Febure — Anthonius Bras, *Doctor Medicinae.*

a Consiliis. — Franciscus de Cuysere.

a Secretis. — Rochus Cruyl. — Franciscus Blancquaert. — Bernardus d'Oosterlinck. — Iudocus Compin. — Ioannes vander Vinckt.

Quaestores. — Anthonius Gillis. — Oliverius Weesaert, *operum publicorum Praefectus.* — Ioannes vanden Berghe, *Quaestor exagogicus.*

X. Ne autem quis putet, nihil haec Antverpiam nostram spectare, faciunt subiecta senatoriae seriei nomina, *Erasmi Quellini,* inventoris, post Rubenii excessum, ad similia opera servire soliti Senatui Populoque Antverpiensi, et *Scheltae Bolswertii*, Sculptoris eximii, utriusque Antverpiensis : quibus licet accedat nomen *Balduini Manilii,* Bibliopolae et typographi Gandavensis, in cuius officina prostitura erant venalia exempla, evidens tamen est ex ipsis typis, Antverpiae impressas esse tabulas et Epistolam dedicatoriam : et hanc quidem typis *Ioannis Meursii*, apud quem antea iidem Gandavenses imprimi Antverpiae fecerant *Triumphalem introitum Serenissimi Principis Ferdinandi Cardinalis in suam Flandriae Metropolim, Gandavum, auctore Guilielmo Becano, S. I.* versibus, prosa,

Digitized by Google

imaginibus adornatum; cui gratiam addiderat elegantiae iuncta celeritas operis, intra triennium absoluti, anno M.DC.XXXVI, dum interim sub eodem praelo Meursiano haereret similis eiusdem Principis *Introitus in Urbem Antverpiensem, auctore Gevartio,* non nisi post sex annos, mortuo iam Principe, absolvendus, sicut supra apparuit.

XI. Hisce praemissis de Triumphali Gandavensium Arcu, Antverpiae, ut dixi, praeformata, sculpta impressaque, forma et charta plane regia, typisque elegantioribus quam tunc Gandavi haberi poterant; idque ante conservationem nostri Magistratus. Transeo ad reliqua anni praetitulati Acta, minus quidem speciosa, sed propius nos spectantia: in quibus primo invenio, quod die VI Iulii, Dominica post festum S. Rumoldi, Patroni Mechliniensium, tunc feria III, sub cursu litterae Dominicalis E celebratum; cum ab ipsis essent eadem Dominica acta consueta amburbalia, et portae diutius quam par erat clausae mansissent, sic ut Antverpienses, non solum qui pedites, sed etiam qui curribus vecti advenerant, non potuissent redire ad tempus claudendarum ex more portarum; aurigae nostrates, qui plerique habitant ea in via, cui a Nolula, HET SCHELLEKEN, nomen est, quippe ex ea vectura lucrum facere solent, hanc suam praecipue iniuriam rati (nam et equos aliquot nimium festinando amiserant) conspirarunt ad encaenia Mechliniensia ludrica imitatione exprimenda, multusque in eam rem fieri dicebatur apparatus: erant enim iam conducti, et monstrabantur nautae duo, statura quam communis est, multo grandiori; quorum unus gigantem repraesentaturus, curru fimario inveheretur; alter Christophorum cum puero in humeros sublato acturus, conto nautico praelongo, loco baculi, uteretur; ipsique et alii induerentur similiter personati habitu quam maxime ridiculo procedentes. Ea res cum multis ubique rumoribus iactaretur, nec levia ab irritato hinc inde

Digitized by Google

et bene paeto vulgo timerentur incommoda, rogavit Mechliniensis Magistratus Antverpiensem, ut huiusmodi imitamentum et irritamentum, neutris bene cessurum, dignaretur impedire. Non indormivit negotio sic monitus noster Senatus: sed ipso quo Schellekenses erant prodituri die, mandavit ut se domi continerent, indicta, ni parerent, poena. Hi vero, posthabito mandato, processerunt, sed exiguo cum plausu. Multi enim qui nomina dederant, prohibitione intellecta, subduxerant sese; ceteri, quem de Mechliniensibus facere volebant risum, ipsi tulerunt; et quidam ex procacioribus noctu sequenti de lecto suo in carcerem sunt abducti. Inde in vulgo natum proverbium, quo dicitur, cum notare volumus rem, magno auctorum molimine, et populi exspectatione maiori inchoatam, successuque et plausu sperato frustratam:

'T IS SCHELLEKENS OMMEGANCK,
GROOT GERUCHT EN CLEYNEN DANCK.

Sunt Nolulae encaenia,
Magnus strepitus et parva gratia.

XII. Laudabiliori studio et conatu, successuque feliciori, celebravit ordo Cisterciensis apud Petropotzianos S. Salvatoris, die xx Augusti, annum quingentesimum ab obitu sui melliflui Doctoris S. Bernardi; interque alia piae laetitiae argumenta erexit arcus triumphales duos, ad utrumque caput viae Petropotzianae; in quorum altero *Sanctus Ordinis Amplificator* exhibebatur, *Charitate vulneratus, Castitate dealbatus, Verbo vitae laureatus, et tandem sublimatus in gloria*; in altero licebat intueri *Antemurale fidei, haereticorumque ac schismaticorum insectatorem, ore, stylo, miraculis admirabilem,* sicut et specimen chronicarum atque epigrammaticarum inscriptionum,

quarum aliquas legere etiam nunc licet in Chorographia loci per Sanderum.

XIII. Die VII Octobris evectum in turrim Marianam est ferreum tympanum, cuius rotatu dispositae per gyrum claviculae faciunt horarium praeludium, multo quam antea concinnius personare. Pondus est librarum quater mille; et, quando haec notabat Caukerkius, adhuc laborabatur in perficiendo campanario lusu, in quo mirabili harmonia nunc concinunt maiores minoresque nolae triginta duae.

A. C. M.DC.LIV.

ARGUMENTUM.

I. Moritur Lyrae ecclesiae istic collegiatae Decanus, Carolus Gevartius; et epitaphio istic per fratrem germanum posito honoratur.

ACTA PRIORA.

I. Idem Gasperius Gevartius, qui patrem suum Ioannem condigno epitaphio honoravit Antverpiae, pii officii consorte usus germano fratre suo, Lyrensi Decano; huic superstes, eumdem simili prosecutus honore est, tale cenotaphio elogium inscribi faciens :

D. O. M. S.

« Et Memoriae admodum Reverendi Domini, D. CAROLI
» GEVARTII, Iurisconsulti : qui, postquam Collegio Canonico-
» rum oppidi Turnoltae Decanus annos XV praefuisset, a
» Philippo IV, Hispaniarum Indiarumque Rege, Belgarum

Digitized by Google

» Principe, ad Decanatum Canonicorum ecclesiae oppidi Lyrae
» evocatus, singulari pietatis et vitae morumque integritatis
» exemplo, eo munere per annos VIII functus est; et in omnes
» benevolus, in egenos munificus, in hanc ecclesiam bene-
» ficus, decessit magno sui relicto desiderio, anno salutis
» M.DC.LIV, octavo Kal. Aprilis, aetatis suae LXIII; atque in
» chori huius ingressu conditus, resurrectionem exspectat.
» Gasperius Gevartius, Iurisconsultus, sacrae Caesareae Re-
» giaeque Catholicae Maiestatis Consiliarius et Historiographus,
» Archigrammateus Antverpianus, fratri optimo hoc monu-
» mentum moerens posuit.

Quisquis ades, tu morte cades: sta, respice, plora.
Sum quod eris: modicum cineris: pro me, precor, ora.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, XXVI *Maii.* — Dom. Procopius de Lalaing, Comes de Rennebourg, Baro de Gaesbeek, Regi a consiliis belli etc. — Dom. Cancellarius Asseliers.

CONSULES. — Dom. Henricus van Halmale V. — III. Magister Ioannes Sneyers.

SCABINI. — Alexander Goubau. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — Dl. Iustus van Spangen. — Dl. Henr. vande Werve. *Thesaur. suff.* Dl. Wilh. van Halmale. — Petrus Hanicart. — Dl. Io. Ant. Tucher. — Ioannes 's Meesters. — Dl. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Ioannes van Weerden. — Dl. Philippus Helman. — Dl. Florent. van Berchem. — Michael Huyghens. — Dl. Philippus Schoyte. — M. Ant. Maria Frarin. — M. Aegidius Mertens. — Petrus Muytincx. — M. Ioannes Deegbrot.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I. Carolus IV, Dux Lotharingiae, captivus ex arce Antverpiensi evehitur in Hispaniam. II. Census domorum indicitur, comparantur siphones contra incendia. III. Ferdinandus IV, Rex Romanorum, patri Imperatori praemoritur, sodalibus Marianis Antverpiae lugendus. IV-XI. Christina, Sueciae Regina, abdicato causa Religionis regno, Antverpia Romam transit quasi incognita; interimque Iesuitis scribentibus Acta Sanctorum commodat suos codices Mss. et Missam apud illos ex occulto audit honoraturque centone Virgiliano Lucae Lancelotti. XII. Episcopo Nemio, Cameracum translato, succedit Ambrosius Capello. XIII. Convenit Civitas cum fusore aerario de novo lusu campanario nolarum. XIV. Pars dimidia ex cerebro S. Norberti, Michaelitis donatur, et argenteae arcae praegrandi includitur.

ACTA POSTERIORA.

I. Dux Lotharingiae et Barri, CAROLUS IV, extorris ditionibus suis per Francos occupatis, propter repudiatam uxorem legitimam, et aliquammultis annis in Belgio commoratus, atque regiam sub Archiduce Leopoldo militiam professus, cum suis non contemnendis copiis agnitus tandem infideliter agere, et sufflaminare conatus omnes, tam ipsius Archiducis quam Principis Condaei, tunc etiam ad partes Hispanas transgressi, captivus in arcem Antverpiensem adductus est x Februarii; et die v Martii, confectum hic fuit inventarium mobilium omnium, ad ipsum pertinentium; indeque die XXII sub fida custodia abductus ipse in Hispaniam.

II. Mense Iunio, venit D. Cancellarius Brabantiae, cum Finantiarum Commisso Domino Kinschot, petiitque institui voluntariam contributionem vel mutuationem : quo facto, inventa est summa viginti octo millium sexcentorum triginta trium florenorum, ut liquet ex libro Ms. A, fol. 230. Sic etiam, fol. 232, notatum invenitur, quod ex taxatione elocatarum domorum conflata sit summa tredecim millium trecentorum et octoginta septem florenorum.

Digitized by Google

Sicut antea XVII Aprilis omnium tota civitate domorum, ad viam publicam sitarum, fundi dimensi sunt; indictusque in singulos latitudinis pedes est dimidius assis, unde conficerentur siphones, nuperum ad incendia restinguenda inventum; et emersit summa, iuxta eumdem librum, fol. 232 v.°, quinque millium quadraginta octo florenorum. Confecti autem sunt eiusmodi siphones octo: quorum primus locatus est sub Curia; II. apud Libripendem ferri; III. apud Augustinianos; IV. apud Minores; V. in Halla tapetiariorum; VI. post hortum Nonnarum; VII. in Domo Hessorum; VIII. in domo Osterlingorum; praeterita per invidiam aemulorum Domo Professa Iesuitarum, quae vel maxime propter viarum circumiectarum angustias domorumque frequentiam, eiusmodi praesidio in tales casus indigebat: et anno demum M.DCC.X provisum huic necessitati fuit, sicut antea provisum fuerat aliis pluribus monasteriis.

III. Mensis Iulii dies IX lugubris fuit Marianae iuvenum Antverpiensium Sodalitati, sublato e vivis FERDINANDO, Rege Romanorum quarto, futuro etiam, si patri supervixisset, Imperatore eiusdem nominis et numeri quartus. Is etiamnum undennis, anno, ut supra dictum, M.DC.XLIV eorumdem iuvenum Praefectus legi dicique dignatus fuerat, et hoc anno praemature mortuus epitaphium meruit, quod Mausolea Velleris Aurei, pag. 597, tale exhibent:

« Quicumque vos estis, Imperator, Reges, Principes, hic » gradum sistite. Muneris vestri spectaculum sub hoc mar- » more iacet. Luxit vobis natis brevi tempore, et in seram » posteritatem nascituris, FERDINANDUS IV, Ferdinandi III » Caesaris filius, Romanorum, Hungariae, Bohemiaeque Rex, » aetatis annum nondum vigesimum primum, coronationis » Caesareae quatuordecim menses, sed virtutum actu secula » implens, ea vitae morumque sanctitate, ac praematura in » gestis prudentia, ut in amorem admirationemque sui, vel

Digitized by Google

» ignotos solo aspectu raperet. Ne coelebs orbi decederet sol, » virtutum genitor, genitorem suum filii loco reliquit super- » stitem, simulque imitandum. Hoc facite. Ita vovet, qui » a cunis ad tumulum usque mortuo, fidelis ad proprium » usque erit; et hoc monumentum in lacrymarum otio me- » rito posuit I. W. P. ab A. » (Io. Wichardus, Princeps ab Aversperg, Praefectus Aulae, Eques Aurei Velleris).

IV. Mense Augusto, Serenissima CHRISTINA, Gothorum, Suecorum, Wandalorumque Regina, unica filia Regis Gustavi Adolfi, anno M.D.XXXII in praelio ad Luzam caesi, anno post mortem patris secundo, cum ageret aetatis annum octavum, coronata; regnum, quod tenere non poterat ex patris testamento, nisi consobrino nuberet et avitam superstitionem retineret, Catholicae Religionis veritatem exploratam per se habens, illud cedere ipsi maluit, ut vivere posset extra patriam libera et innupta; dissimulataque persona ac sexu, Antverpiam appulit. Hic illa cognoscendam privatim dumtaxat dedit, mansitque aliquamdiu eruditis studiis occupata: die autem Septembris VII ad eam salutandam Bruxellis venit Archidux Leopoldus. Ipsa vero necdum Catholicam se profitebatur; qualis tamen animo esset, satis declaravit Patribus Societatis, quorum unum P. Carolum Alexandrum a Manderschert secum ducebat; quando lustrata eorum ecclesia, petiit sibi monstrari locum commodum unde solennis Missae caeremonias omnes, necdum alibi sibi visas, inobservata ipsa posset cognoscere. Hunc cum illi ostendissent in lateralibus ad maius altare odeis, et in crastinum apparuissent officiantes, solemni cum musica decantaturi Missam, adfuit, et in unum odeorum ad Evangelii cornu deducta, sub tempus sacrosanctae Elevationis genua religiose flexit. Dum autem Roma exspectat hominem suum, illuc legatum ad S. D. Alexandrum Papam VII, super caeremoniis in fidei professione servandis, mansit hic Antverpiae

Digitized by Google

frequens apud Patres, Acta Sanctorum colligere professos, eorumque omnem in eam rem apparatum curiose lustravit, praesertim Codices Mss. qualium etiam copiam bene magnam ipsa adduxerat, Bibliothecae Vaticanae, quando moreretur, inferendam. Interim hanc quoque voluit praedictis Patribus exhiberi totam, Bibliothecario suo Vossio mandans, traderet eis inspiciendum transcribendumque quidquid in rem suam facere crederent : quod ipsi per menses aliquot strenue fecerunt, intermissa tantisper Februarii sui, tunc sub praelo sudantis, impressione.

V. Noluit illa, hic dum fuit, aliquid honoris sibi ut Reginae haberi a Magistratu et Civitate; gratanter tamen accepit centonem Virgilianum, quam, Serenissimi Leopoldi hortatu, contexuerat idem qui suam in tali re operam, ut vidimus, iam bis Archiduci probaverat, Lucas Lancelottus, Bibliothecarii Regii titulo auctus, appellans ipsam in *pace, bello, terra marique incomparabilem Heroidem; linguarum, scientiarum, et totius eruditionis omnium seculorum Phoenicem.* Hic ille, sicut et in Thalassio Regio fecerat, proposuerat sibi sequendum Petronii praeceptum, in Satyrico docentis, res gestas versibus comprehendendas non esse eo, quo Historici solent, stylo; sed per ambages Deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum ornamentum, praecipitandum liberum spiritum, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides. Ergo, deposita propria, personam afflictae Belgicae induit poeta; quae nominis ac Maiestatis tantae magnitudine suspensa, optatissimaque eius praesentia in spem pacis erecta, sola loquitur per totum librum, cuius haec praemittitur elucidatio :

VI. « Submisse devoluta Belgica ad solium Regiae Maie-
» statis, duas potissimum virtutes eius, belli laborem Marte se-
» cundo finitum, et pacis studium Palladis auspicio promotum,

Digitized by Google

» delibando, allocutionem auspicatur, querens, se toto » terrarum orbe fatali sua calamitate esse famosam, cum » propter exhausta olim intestina dissidia, tum etiam ob » novissimas adversae fortunae iniurias : quae nihilominus, » inter lacrymas et suspiria, versus subsequentes, honori et » amori suae Maiestatis, concinnaverit. Neque id iniussu, at » Serenissimi Archiducis Leopoldi palam hortatu : quem non » tantum Gubernatorem suum, ob commissum ei pacis et » belli arbitrium, verum et spem et solatium appellat : spem » et absolutae et universalis pacis exspectationem, per eum » cum Regis Catholici et Belgicae hostibus revocandae; sola- » tium vero, ob ingruentes bellorum turbines, per eum partim » depulsos, partim sopitos, ac Flandriam universam vindica- » tam, assertam, et Regi suo atque libertati pristinae restitutam.

» Ipsius ergo Archiducis instinctu hoc sese carmen medi- » tatam, et velut enthusiasmo ab Apolline concitatam testatur » eadem Belgica ut id, maxima qua potest reverentia, Reginae » repraesentet; quod ea, deposito Maiestatis supercilio, Musas » et poesim subinde complecti videatur. »

VII. « Quocirca se non vulgare aut triviale amoris monu- » mentum exhibere, hoc praecipue tempore, quo, stimulata » curiositate supra sexum heroica, omnes per urbis Antver- » piensis vigilum excubias nocte intempesta adivit, duce » Murrano, Vigiliarum Praefecto; quapropter non indecore » eam cum bellatrice Camilla, aut venatrice Harpalyce com- » parat. Morum deinde venustate et formae elegantia attonita, » dubitat et disputat, num Venus, Iuno aut Diana sub cor- » poris eius specie delitescant. Sed Veneris libidines et adul- » teria, Iunonis iram atque incestum nec non dubiam Dianae » pudicitiam abominans atque reiiciens, solam Palladem, » sapientiae, pacis et belli Deam, Reginae in praecordiis » domicilium sibi posuisse suspicatur.

Digitized by Google

» Facta deinde dubitanti interrogatione, an Mercurio, » Phoebo aut Baccho sit procreata, eam solius Iovis filiam, » sympatheticis ducta rationibus, declarat. Nam, veluti olim » Iupiter sese in varias formas transfiguravit, sic Reginam » cum primum Antverpiam ingrederetur, in virilem speciem » conversam, multos fefellisse ait, eiusque prudentiam et » ingenium ad quaecumque rerum maximarum obiecta sese » applicare posse; praestantissimas eius animi dotes designans, » quibus a natura est exornata; neque dubitandum coelesti » eam origine procreatam, cui *Augustus* (qui anagrammatice » *Gustavus* est) sit Pater, veteribus heroibus virtute aequalis, » et a Iove ipso originem trahens. »

VIII. « Nobilitatis deinde antiquitatem delibat, dicens, eam » e vetusta alicuius Dei genealogia originem ducere, sumpto » argumento a nomine patronymico *Sued.* quod retrograde » DEUS est; sed vetustatis iniuria auctorem generis ignorari. » Reginae tamen originem ab Iove ipso (Musis quas invocat » faventibus) se deducturam promittit.

» Ait enim Iovem, bellicam nuper Septentrionalium popu- » lorum virtutem admiratum, gentem coram Iunone extollere » solitum, ac Regem prolè mascula carere miseratum, propo- » suisse filiam ei sufficere, quae, in adolescentiam provecta, » artium et scientiarum heroicarum prodigium appareat; » coelesti potissimum providentia omniumque virtutum ge- » nere ornatissimam, et tam paci quam bello pro nata occa- » sione incubituram. Hinc se ei prospecturum, ut feliciter » imperet, pollicetur : summamque vitae ab ea traducendae » rationem complectitur. Futuram namque regiminis principio » bello atque armis inclytam ; miseriarum deinde et vulgi » laborum pertaesam atque miseratam, pacem inter Caesa- » rem aliosque Germaniae Principes ratificaturam; ardentis- » simo denique sui relicto Proceribus desiderio, se Regno

Digitized by Google

» abdicaturam, nomenque suum aeternitati consecraturam; » donec, iure mortalitatis exuta, a Iove, immortali parenti suo, » inter sidera collocatur.

» His a Iunone probatis, Mercurium ad Venerem delegat » Iupiter, ut Regios ad generationem animos disponat : quae » biiugis per aerem cycnis ad septentrionem devolans, primo » ad Reginam, deinde ad Regem in castra delapsa, Iovis » imperio obsequitur, eos in amorem stimulando. »

IX. « Interea Iupiter, Regis Suecorumque Procerum et » popularium virtute illectus, ut eos coram intueatur, Nobilitati » bellicosissimae nube tectus se immiscet : iamque Gustavi » Regis corpus, somno inter arma sopitum, nocte ingressus, » et veluti augusto domicilio inhabitans, militiae recensionem » aliaque castrorum exercitia contemplatur. Gustavo denique » in hiberna se recipienti immixtus Iupiter, Stockholmium » proficiscitur; unde marito Regi obvia Augusta coniux et » futura mater, superbo Nobilitatis et matronarum comitatu » redeunti honorifice gratulatur. Palatii hic adornatio, Regales» que epulae describuntur. Hinc Veneris stimuli, geniales » Regis ac Reginae, Iove interveniente, complexus, Iovisque » in conservando foetu cura atque sedulitas, nec non Augustae » Christinae nativitas proferuntur.

» Infantem autem dormientem, iussu Iovis, Mercurius in » coelum sustulit, eamque, post Iovis oscula, et Iunonis, » regnorum Praesidis, munera, ad templum Palladis portavit » Apollo; et afflatis eis quibus praesidet artibus, lauro, victo» riarum futurarum auspicia, coronavit. Musae autem, Dryades, » Naiades, Oreades, et id genus Nymphae, ad Palladis delu» brum, infantis visendi studio, confluentes, in signum et » argumentum laetitiae exercent choreas, versusque et car» mina concinunt. At Pallas ad templum suum delata, et » infanti sese devovens, Aegidem, Hastam, Clypeum omniaque

Digitized by Google

» arma, ac ramum olivae, futurae pacis symbolum, ei sacri-
» ficat. Hisce peractis, Mercurius rursus correptam infantem
» in interiora genetricis penetralia cito reportat. »

X. « Pueritia deinde Reginae, atque per omnes scientias
» et artes transacta adolescentia celebratur : et, resumpta
» salutatione, Belgica Reginam, veram Iovis prolem, multo
» honore compellat; oratque, ut pacem inter Reges, Catho-
» licum scilicet et Christianissimum, componere aggrediatur;
» sic autem exorditur allocutionem per septingentos et plures
» versus deducendam :

Ae.	VIII.	696.	Regina *, antiquam virtutem animosque viriles,
Ae.	X.	160.	Eventus belli * varios experta labores;
Ae.	IV.	99.	Quin potius pacem *, ramis insignis olivae,
Ae.	II.	163.	Palladis auxiliis * terraque marique secuta;
Ae.	VIII.	301.	Salve, vera Iovis proles * coelestis origo.

Denique communia, et fausta Deum atque hominum vota sic concludit, eadem, quae coeperat, Belgica :

Ae.	X.	875.	Sic Pater ille Deum *, coeli cui sidera parent.
Ae.	IV.	693.	Tum Iuno omnipotens * faciat sic altus Apollo;
Ae.	XI.	228.	Et te * per coeli iucundum lumen et auras,
Ae.	X.	3.	Sideream in sedem * virtus et gloria tollat.

XI. Neque Musam suam tali occasione mutam voluit Gevartius, sed effigiei ad vivum exsculptae subiecit hoc epigramma :

Martis Hyperborei soboles, Regina, serenum
Sic CHRISTINA *suo spargit ab ore iubar.*
Deposita mitis galea, post praelia, qualis
Sudantes tergit Penthesilea comas.
Quin spreto triplicis proavito culmine regni,
Imperium maius iam tenet ipsa sui.

Digitized by Google

Divitiisque animi, sceptra et diademata supra
Eminet, et solium, Cyre superbe, tuum.
Virtutum haec cunctas regali pectore dotes,
Musarumque simul possidet et Charitum.
Huic prisci illustres cedant Heroides aevi,
Quasque tulit Latium, Graecia quasque tulit;
Cedat et e Libyca Tritonia nata palude :
Nam belli spectes, seu mage pacis opus.
Balthica praecellunt quantum collata paludi
Aequora, CHRISTINA *haec Pallade maior adest.*

XII. Die VIII Septembris, FR. AMBROSIUS CAPELLO, ex ordine Praedicatorum, et urbe atque conventu Antverpiensi, antehac ad Episcopatum Iprensem nominatus, deinde ad Antverpiensem, e praedicto suo conventu deductus est ad ecclesiam Cathedralem a decessore suo Gaspare Nemio; ab eodemque et aliis duobus rite consecratus Episcopus Antverpiensium septimus. Alium solemnem actum idem *Nemius* nullum deinceps apud nos exercuit; sed Cameracum transiit, numquam amplius hic revidendus : quare congruum censeo, epitaphium, quod istic mortuus accepit, hic ponere :

ATTENDE TIBI ET DOCTRINAE.

D. O. M. Hic iacet illustrissimus Dominus GASPAR NEMIUS, e sexto Antverpiensium per XVII annos Episcopo, novus Cameracensium Archiepiscopus et dux, S. R. I. Princeps, et Comes Cameracesii, omnibus suis dignitatibus ipse ornamentum : vir, religione in Deum, vigilantia in gregem, liberalitate in pauperes, suavitate in omnes, eximius verbo; habes omnia, Viator. Hic tumulus Antistitem claudit, in quo nihil desideres. Obiit octogenarius, XXII Novembris M.DC.LXVII. Requiescat in pace.

Digitized by Google

XIII. Die XVIII Novembris, convenit inter Civitatem et Magistrum Franciscum Hemoni, fratremque eius Petrum, fusores aerarios, Zutphaniae commorantes, pro lusu novarum triginta duarum campanarum ad tonum campanae maioris. Opus hi confectum tradiderunt, secundo post hunc anno, uti notavit Valkenisse ex Ms. cuiusdam Munninx, insignis musici et pulsandarum eiusmodi campanarum peritissimi, cuius iudicio crediderim aestimatum illud probatumque fuisse. Eximium prorsus opus et nescio an aliud ullum in Europa praestantius: ipsos autem artifices fratres tanti fecerunt Amstelodamenses, ut, alia in Provincia iniuriam passos propter fidei Catholicae professionem, ad se incitaverint, attributo in nova civitate fundo vacuo variisque privilegiis. Subductis autem postea anni M.DC.XXVIII rationibus, comparatisque cum rationibus anni LVI, inventa est summa expensarum, eatenus in rem istam factarum, ascendere universim ad sedecim millia florenorum et octingentorum, ex Ms. E., fol. 199. Conventum est etiam cum horologista, lusum istum pulsaturo, de stipendio annuo; sed summa nulla exprimitur

XIV. Pars dimidia cerebri S. Norberti, Michaelitis dono missa ab Abbate Strahoviensi, qui ipsum in capite adhuc integrum, sed exunctum repererat, novae eiusdem festivitati instituendae occasionem dedit, postquam confecta erat praegrandis ex argento arca, arte pretiosior quam materia, et Sedis vacantis Vicarii sacrum pignus recognitum approbaverant. Litterae Strahoviensis Abbatis, ipsum mittentis, neque in arca illa neque alibi amplius reperiuntur: ad fidem tamen faciendam sufficit Vicariorum testimonium, Kalendis Maii signatum. Ut autem singulis annis solemnius recoleretur Memoria festivae Translationis, electa est III post Pentecosten Dominica, sub titulo *Triumphi Norbertini* de Sacramentaria Tanchelini haeresi, proxima scilicet post Octavam Sanctissimi, ad debitum sibi

Digitized by Google

cultum Antverpiae a Norberto restituti. Ita pompam Eucharisticae circumlationis seu Theophora per omnes urbis Parochias sigillatim ductam, extrema denique claudit Michaelitarum cum venerabili Hierotheca processio. Quam decenter autem praedicta arca in proprio Sancti sacello servetur, et quam magnifice medio in templo quotannis exponatur, deduxi in Commentario Norbertino, capite ultimo, de translationibus numer. 155 et seqq.; unde hic resumo sacelli Pragensis et arae Antverpiensis iconismos.

A. C. M.DC.LV.

ARGUMENTUM.

I-VI. Monasterium Vener. Sacramenti Virginum Norbertinarum, sub regimine Abbatis Michaelitae, ab Episcopo nostro et Ordinis Generali confirmatur. VII. Ordinatur secundus Abbas S. Salvatoris. VIII. Moritur in Zelandia insignis pictor, Henricus Andreae, vulgo MANKEN HEYN, Antverpiensis.

ACTA PRIORA.

I. PRIMO huius anni mense, Episcopus noster confirmat Parthenonem Praemonstratensem insigni bulla, principia et progressum fundationis complexa, dignaque hic apponi ex ultimo capite Coenobiographiae Michaeliticae. Ea sic habet :

« FR. AMBROSIUS CAPELLO, Dei et Apostolicae Sedis gratia,
» Episcopus Antverpiensis, omnibus has visuris salutem in
» Domino.

» Cum Rev. adm. et Amplissimus Dominus Abbas S. Mi-
» chaelis, et Moniales Ordinis Praemonstratensis, hic in
» refugio degentes, Nobis exposuerint, quod in civitate

Digitized by Google

» Bredana, dioecesis Antverpiensis, dictae Religiosae habuerint
» antiquum Monasterium, in quo, post ultimo interceptam
» ab Hollandis civitatem, adhuc aliquot annis vixerunt sub
» execrando heterodoxorum iugo; qui, ex inveterato Catholi-
» cae Religionis odio, quaelibet sibi licere arbitrati, clau-
» strum Monasterii infringere ausi sunt, et gravissimas mole-
» stias huic religiosae familiae inferre : quae proinde cum
» videret se contra tantam frementium luporum rabiem, sine
» evidenti maioris mali periculo, diutius illic non posse con-
» sistere, a R. D. Balthazare Cruys, eiusdem Monasterii
» Praeposito, anno M.DC.XLVII educta fuit in municipium
» Oosterhout, duobus milliaribus distans a civitate Bredana,
» ubi tum temporis liberum vigebat Catholicae religionis
» exercitium; et eodem in loco permanserunt, donec, inscru-
» tabili Dei providentia permittente, ut Ecclesia sua sancta ab
» infestissimis nominis sui hostibus, in quibusdam Belgii
» partibus, ulterius ad tempus protereretur, ac nominatim
» in Baronia Bredana, ubi superbia eorum ascendit semper,
» et eo usque exaltavit cornu suum, ut nihil sit tam sanctum
» quod non profanet, nihil tam religiosum quod non audeat
» proscribere et exstirpare; prout pessumdedit pleraque mo-
» nasteria, in omnibus illis Brabantiae partibus, in quibus
» nuper limites suos dilatarunt, Religiosis inde eiectis ac
» dispersis. »

II. « Unde praedictus D. Praepositus anxie tunc temporis
» coepit circumspicere, quo, in funesto eiectionis casu, Deo
» sacratae Virgines refugere, quoque loco tuto subsistere
» possent; ac de consilio et consensu Perill. ac Reverendiss.
» D. Gasparis Nemii, tum Episcopi Antverpiensis, praede-
» cessoris nostri, et superiorum Ordinis, tres Moniales et
» unam Conversam ex dicto conventu de Oosterhout in
» hanc Civitatem transtulit ad domum conviviis nuptialibus

Digitized by Google

» celebrandis servire solitam, sitam iuxta locum, dictum vulgo
» D'YSERE WAEG; ibidemque huic plantationi Pater coelestis
» tale dedit incrementum, ut ad numerum novem Monialium
» et trium Conversarum professarum, cum aliquot Novitiabus,
» excreverit; et locum hunc visitans Perill, ac Reverendiss.
» Dominus Nemius, praedecessor noster, omnino approbaverit,
» ac dictis Monialibus licentiam aperiendi templum, et faciendi
» publice divina officia concesserit, in bona fiducia (uti de-
» clarabat) quod futurum aliquando esset insigne monaste-
» rium : sicque in praefato loco sexennio iam commoratae
» exercitia sua spiritualia et regularia continuarunt.

» Quapropter praedicti exponentes humiliter Nobis suppli-
» carunt, cum praedictae Moniales ne vel minimum gravamen
» adferant, vel sint allaturae, sed potius utilem consumptio-
» nem; et constet per Diplomata originalia Summi Pontificis
» ac Ducis Brabantiae, quod Moniales Ordinis Praemonstra-
» tensis hic Antverpiae antiquitus habitaverint; ut easdem
» auctoritate ordinaria admittere, earumque admissionem
» firmare vellemus ac dignaremur. Nos, omnibus mature per-
» pensis, illas certe commiseratione et Christiana charitate
» dignas, in hoc deploratissimo rerum suarum statu, iudi-
» cavimus; et, ut iuxta institutum Regulae suae, in loco, ubi
» modo sunt, vivere, subsistere et commorari, et mansionem
» facere possint, auctoritate nostra ordinaria, sine praeiudicio
» iurium et praeeminentiarum ecclesiae nostrae Cathedralis,
» aut Parochialis ecclesiae S. Andreae, et aliorum quorum-
» cumque interesse habentium, concedimus et largimur, ut, a
» timore inimicorum suorum liberatae, Deo, sponso suo, in
» Religione secure deservire possint, et germinantes quasi
» palmites, manentes in vera vite faciant fructum multum
» in patientia, et quasi candida lilia convallium, in hac
» valle lacrymarum, dent purae, integrae et innocentis vitae

Digitized by Google

» odorem; ut cum virginibus prudentibus, habentes oleum
» virtutum bonorumque operum cum vasis suis et lampadibus,
» exspectantes sponsum, aliquando mereantur cum illo in-
» troire ad nuptias Agni immaculati, in coelesti Ierusalem
» aeternum celebrandas. Datum Antverpiae, in Palatio nostro
» Episcopali, die XXIV mensis Ianuarii, anno M.DC.LV. »

III. In hanc fundationem consenserat Magistratus Antverpiensis, anno M.D.XLIV die XIX Aprilis. Quamvis enim solum peteretur refugium, Antverpiae constituendum Virginibus Oosterhoutanis, prudenter tamen animadverterant, tam Episcopus Nemius quam Abbas Chrysostomus, periculosum fore, si tale Refugium erigeretur in civitate catholica, subdita Regi Hispaniarum, dependens a coenobio Oosterhoutano, sub potestate Statuum Hollandicorum constituto, et illi ex civitate Antverpiensi novae accederent Virgines : ideoque visum fuit expedire, ut novum erigeretur coenobium, ab Oosterhautano independens. Sed quaestio aliqua fuit inter Praepositum praefatum et Abbatem nostrum, quis esset immediatus ipsarum futurus Superior : qua ad Reverendiss. D. Augustinum Scellier, totius Ordinis Generalem, delata, et per hunc Abbati Parchensi commissa, per eumque et alios tres coassumptos Abbates amicabiliter composita fuit Bruxellis, die XXII Augusti, anno M.DC.XLIII; quando, coram Parchensi et collegis, praefatus Praepositus omne ius et actionem, quod vel quam praetendere posset ad praenominatam novam fundationem, ex quocumque capite ea excogitari possent, a se et conventu suo Oosterhoutano in perpetuum abdicavit. Quibus intellectis, rogatus idem Generalis, anno M.DC.XLIV, die IV Iulii, ipsam concordiam confirmare, tandem hoc anno LV, die X Iulii, expositis, quae eatenus acta fuerant;

IV. « Nos, inquit, quibus summe cordi est, sacri Ordinis
» nostri ac solidae inter illius membra pacis incrementum,

Digitized by Google

» praememoratam concordiam seu transactionem, cum suis
» (prout exprimuntur) clausulis, approbavimus et confirma-
» vimus, prout vigore praesentium approbamus et confirma-
» mus, volumusque ut primarios suos effectus sortiantur; nec
» sit licitum utrivis partium ab iisdem resilire. Porro ante-
» fatum R. D. Norbertum, Abbatem S. Michaelis Antverpiae,
» eiusque successores Abbates, in dicti coenobii Monialium
» veros et perpetuos Patres Abbates, seu superiores imme-
» diatos, instituimus et confirmavimus, prout per praesentes
» instituimus et confirmamus; dantes et conferentes ipsi
» D. Norberto et successoribus illius Abbatibus omnimodam
» potestatem, dictum coenobium eiusque personas omnes,
» iure paterno secundum Ordinis statuta regendi, guber-
» nandi et visitandi; salva tamen nostra et Capituli Generalis
» auctoritate; praecipientes in virtute salutaris obedientiae
» et sub excommunicationis poena, omnibus dicti coenobii
» regularibus personis, ut praed. D. Norbertum et successores
» ipsius Abbates S. Michaelis Antverpiae veros et indubitatos
» Patres Abbates agnoscant et revereantur; atque ut talibus,
» prout praefigunt Ordinis statuta, obedientiam praestent et
» exhibeant. Datum in Archicoenobio nostro Praemonstratensi,
» die x Iulii M.DC.LV. »

V. Iam quod attinet virgines Norbertinas, eas Antverpiae fuisse iam inde a tempore ipsius S. Fundatoris, et conventum atque ecclesiam prope virorum monasterium habuisse, probavi tomo I Aprilis, pag. 439, allegatis Diplomatis Nicolai Episcopi Cameracensis, de anno M.C.LV; Godefridi Ducis, de anno M.C.LXI; et Alexandri Papae III, de anno M.C.LXXIX; de disciplina autem earum egi in Comment. praevio ad Acta S. Norberti, § 3. Commorabantur illic, ut chronologus Parchensis antiquus ait, seorsim a viris, neque in choro et ecclesia cantabant, sed tantum in silentio orationi vacabant, Psalteria sua et Horas

Digitized by Google

Canonicas vel B. Virginis secreto et cum omni humilitate et devotione legentes, et in aliis operibus Ecclesiae et Fratribus suendo, nendo, texendo, lavando servientes; tanto numero, ut auctor gestorum Episcopi Bartholomaei (eius qui S. Norbertum induxit in Praemonstratum, auctorque ipsi fuit etiam feminas recipiendi) dicat, se credere, quod intra talis institutionis Monasteria contineantur plus quam decem millia feminarum; et Parchense numeret coenobia Sanctimonialium quingenta, etiam postquam in Capitulo anni M.C.XXXVII, visum est illas removere, et ad serviendum Deo longinquius collocare. Cum autem post separationem iam non amplius possent Psalmodiae Fratrum interesse, videtur illa quoque illis esse permissa: hoc enim indicant Ordinis statuta, distinct. IV, cap. XV, praescribendo, ut nulla mulier recipiatur in Sororem, nisi in illis locis quae sunt ab antiquo cantantibus sororibus deputata.

VI. Quid autem factum sit iis quae erant Antverpiae *ad Fossatum*, utriusque monasterii fundo interiectum, nemo est qui sciat dicere. Exstinctas omnino, vix possum credere; sed quo traductae sint, quis divinabit? Mihi consideranti earum ecclesiam fuisse S. Mariae Magdalenae consecratam, quodque S. Michaelis Abbates, una cum decimis Santflitanis curent eiusdem Sanctae ibidem in Santfliet ecclesiam, aliquando incidit suspicari, Antverpienses nostras illuc olim fuisse translatas, ubi manserint usque ad annum M.CC.LXIX, quando Woudam transierint, Bergizomensis territorii municipium, novo istic fundato Monasterio, grandi leuca longius a Scaldi quam Santflita, eius frequentibus incursibus obnoxia, nec tamen ibi diu substiterint, sed post XXV annos commigrarint Bredam; unde expulsae Oosterholtum; videri tandem possint postliminio Antverpiam regressae, si de Santflitensi migratione coniectura aliquo argumento confirmaretur. Interim esset id verosimilius, quam opinio quae S. Iulianam Corneliensem (cuius acta

Digitized by Google

illustravi v Aprilis) Norbertinis adscribit, eo solum fundamento, quod Leprosoria Leodiensis agri, quorum illa tenuit institutum, habuerint sub eadem S. Augustini Regula communiter ministrantes aegris viros feminasque, sicut Praemonstratenses initio Ordinis. Hoc tamen cum intellexissent eae, quae apud nos ab eiusmodi ministerio vocantur TER ZIEKEN, fundatae anno M.CC.XXXV, paulo ultra Croneburgicam turrim, petierunt Ordini Praemonstratensi uniri, quasi ab eo olim avulsae; sed iustis de causis receptae non sunt. Habent interim Norbertinae nostrae, cur Patronam colant praefatam *S. Iulianam*, per quam Deus dignatus fuit Sanctissimi Sacramenti festum inducere in Ecclesiam; quandoquidem ipsarum Monasterium ab ipsa Sanctissima nomen suum habeat.

VII. Obierat XXVI Septembris anni praeteriti D. PETRUS SPERS, *Monasterii S. Salvatoris Praelatus decimus tertius, nec non primus Abbas denominatus ab Ordine;* ante summum altare inhumatus sub aerea lamina, cum insignibus et epitaphio, totidem, quot iam retuli verbis, expresso. Pro successore eligendo collecturi suffragia, deputati sunt ex parte Statuum, Capello Episcopus; et S. Bernardi Abbas, Iudocus Gillis, ex parte Ordinis; qui denuo convenientes initio sequentis anni, ex diplomate Regio, dato XXI Decembris, die XII Ianuarii, Abbatem declararunt D. Benedictum Blommaerts, quem Abbas generalis Claudius Vaussin confirmavit, per datas XXII Iunii; sed ipse, Prioris titulo et insignibus contentus usque ad annum M.DC.LIX, Pedum cum solemni benedictione primum accepit die XXIX Iunii, in Heisterbacensi D. Petri dioecesis Coloniensis Abbatia, a Domino Ioanne Blankenberg, B. Mariae in Veteri monte Abbate, Ordinis Cisterciensis ibidem Vicario generali, coram Abbatibus Heisterbacensi et Coloniensi B. Mariae, nec non Hemmenrodensi Praelato infulato. Sub istius auspiciis Antonius Sanderus, anno M.DC.LX, imprimendam

Digitized by Google

curavit iam saepe citatam loci S. Salvatoris Coenobiographiam; eumdem D. Benedictum (dum cetera tacere cogebat viri modestia) laudans non solum ab aucto Religiosorum numero, et a disciplina egregie resuscitata; sed etiam ob studium Philosophicum ac Theologicum introductum, optimo cum successu; prout utrumque hactenus laudabiliter exercetur in dicto monasterio.

VIII. Obiit hoc circiter tempore in Zelandia, ibi et hic operibus suis famosus pictor Antverpiensis, HENRICUS ANDREAE, a claudicantis cruris vitio vulgo dictus MANKEN HEYN; quem adeo agnominis huius non puduit, ut eius notam voluerit omnibus picturis suis imprimere, ut qui sciret, simili ex nota fieri subinde posteris notiores illos, quos communis saepe pluribus appellatio non satis in hominum usu distingueret ab aliis.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, II *Maii, Feria* II *hebdomadae* VI *post Pascha, actum* XXVIII *Martii.* — D. Philip. Franc. Dux Arembergius et Arschotanus, etc. — Dom. Cancellario Assiliero, ut supra.

CONSULES. — Domicellus Florent. van Berchem, Toparcha in Tongerloo. — III. Magister Ioannes Snyers II.

SCABINI. — Dom. Antonius Sivori. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — M. Melchior Haecx. — Dl. Io. Maria Charles. — Dl. Iustus van Spangen. — Petrus Hanicaert †. — *Suff.* Dom. Henr. van Halmale. — M. Arnoldus Vooghts. — M. Thomas Nieupoort. — Dl. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Dl. Franciscus de Beiar. — Dl. Philippus Helman. — Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Phil. August. Cano. — M. Ant. Maria Frarin. — M. Ioannes Deegbroot. — M. Gregorius Mertens. — Dl. Aegidius Happaert.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I. Tredecim Martyrum Romanorum corpora ad ecclesiam Domus Professae festivissime transferuntur. II. Coercetur pervicacia braxatorum. III. Disceptatur de ordine sessionis in Senatu, Equitibus primas praetendentibus, sed frustra. IV-XII. Convictores migrant ad domum Straliam sub tutela B. Aloysii Gonzagae: eorum ibi disciplina.

ACTA POSTERIORA.

I. Die xxv Iulii, a Patribus domus Professae Societatis Iesu ducta est solemnissima, qualis hic numquam visa fuerat, processio, in honorem tredecim Martyrialium corporum, ex Romanis cryptis adductorum; quibus quam decentissime collocandis, totus sub porticu circumeunte paries, scriniario confessionalium sedium operi imminens, nigro candidoque marmore convestitus fuerat, cum loculis item marmoreis quatuordecim, quorum numerus, altero mox allato Sancto corpore, impletus fuit. Ducebatur ea processio a Basilica Mariana, ubi eadem Sancta corpora suis in thecis holosericis noctu praecedenti steterant, in extemporaneo et splendidissime adornato altari sub tholo seu cupala ecclesiae, ad vas aquae lustralis cum hac chronica inscriptione:

ALtare seDes sanCtorUM.

Ducebatur, inquam, processio illa a Cathedrali, per medium forum, viasque Lanariam, Kipdorpiam, Iacobaeam, Clarissarum, Meranam, et fora Ovarium atque Lacteum, in ecclesiam Societatis, stipantibus utrimque et faces gestantibus Sodalitatum omnium Confratribus; feretra autem singula baiulantibus Patribus duobus, tunica dalmatica diaconaliter indutis; et per intervalla trahebantur currus triumphales quindecim, praecipuis Sacrarum istius ecclesiae Reliquiarum lipsanothecis

Digitized by Google

alte evectis instructi; cum scenico et quibusque Sanctis proprio puerorum ac puellarum comitatu. Agmen claudebat Episcopus, praecedentibus Clero et Magistratu, tam pulchro ordine omnia, ut hoc in genere nihil simile meminerint cives se umquam vidisse Antverpiae.

II. Eodem anno, ut notavit Caukerkius ex publicis Actis, magnus a braxatoribus excitatus est tumultus, eo quod in pleno Communitatis totius Consilio esset statutum, ut in singula vasa melioris cerevisiae penderetur schellingus unus : dum enim contra hoc decretum actio ab illis instituebatur Bruxellis, nolebant civibus vendere cerevisiam. Eapropter xxix Decembris prodiit edictum, mandans, ut, quam habebant coctam cerevisiam, extraderent civibus, grandi eius penuria laborantibus; idque addita poena non parituris, qua privarentur iure et privilegiis nationis Braxatoriae. Quibusdam nihilominus obedire detrectantibus, necesse habuit Magistratus ipse, ad eorum officinas accedere, obedientiamque extorquere : cum autem ne sic quidem responderent, pervicaciam ipsorum ulta est Civitas, permittendo ut quaecumque foris cocta cerevisia introduceretur in urbem. Mox coeptum id fieri, accisia, sicut statutum fuerat, soluta : quin imo cuilibet permissum cerevisiam coquere : quod aliud non erat quam totam Braxatorum nationem dissolvere. Hinc factum ut variae novae braxatoriae intus et foris conderentur; atque ita domita demum sit braxatorum internorum protervia, et sine contradictione ulteriore solutus, quem Civitas exigebat, schellingus.

III. Notant ad hunc annum Fasti Mss. quod *D. Franciscus de Beiar*, hactenus inter Scabinos relatus cum titulo *Domicelli*, nunc *Eques et Toparcha de Westacker et Oosterhoven*, die xi Maii supplicavit supremo Brabantiae Consilio, dignareter in favorem Equestris Ordinis decernere Equitibus praesidentiam in Collegiali consessu, saltem provisionaliter, donec causa

Digitized by Google

plenius esset discussa. Sed rescribens pro se aliisque non Equitibus *Domicellus Wilhelmus Despommeraux*, obtenuit IV Iunii sententiam contra supplicantem, pro veteri consuetudine, qua declarabatur ipsum non esse in sua petitione audiendum: itaque omnes perseverant sedere eo ordine, quo fuerunt ad iuramentum praestandum admissi.

IV. Porro cum locus, convictoribus iuxta Gymnasium concessus, pro numero qui tunc erat, et maiori qui sperabatur per pacem universalem affluxurus, arctus nimium esset, et venales offerrentur aedes, quae olim fuerant Stralii Consulis, iussu Albani capite plexi, placuit occasionem arripere; et pretio illi qui emerat refuso, ipsas ad usum alumnorum aptare, atque sacellum ad privatam adolescentium Patrumque commoditatem adornare, dicandum

BEATO ALOYSIO CASTIMONIAE PRAESIDI.

Sicuti ad indicandum annum aditae possessionis, legitur supra portam eius areae, in qua se pueri lusu recreant, et unde ad scholas educuntur. Ordo autem et disciplina loci sic describitur:

V. « Mane, signo dato, aestate hora quinta, plerumque » hieme media hora serius, a famulis expergefacti, e strato » surgunt, eo silentio et modestia, qualis in religioso coetu » maior esse vix possit. Diem aut studia cum Deo auspicaturi, » iamque loti, ad preces primum; iis persolutis, ad musaea » conveniunt. Terna haec sunt : in quorum primo trium » scholarum superiorum auditores, ad suos quisque pluteos » distributi consident; inferiorum, in altero; tertium occu» pant, qui in primordiis rudimentorum adhuc haerent, sin» gulari instituendi cura et modo; musaeis singulis praesunt » Patres singuli; suorumque studiis invigilantes, eorumdem » scriptionibus limandis emendandisque operam et manum

Digitized by Google

» admovent. Liberum arbitris locum, et quam altissimum
» silentium maxime scribentibus convenire, nemo est qui
» dubitet; at in musaeis tanta est modestia et quies, ut ille
» tot iuvenum, pariter studiis intentorum conspectus, inten-
» dere potius cogitationem videatur, quam remittere. Qui ad
» minora musaea pertinent, quod pueritiae innata quaedam
» incuria sit, corporisque et cultus negligentia, prius pectun-
» tur a famulis, quam ad ientaculum vocantur. Eo ab omnibus
» sumpto, ad scholas proceditur, Patribus comitantibus,
» decori ac silentii eximia commendatione. »

VI. « Domum post reversis et animo paulisper recreato,
» mensae signum datur, syntaxeos, poeseos et rhetorices
» auditoribus primum accubituris : deinde ceteris alterum,
» nullo tamen (quod quia per se patet, nihil attinet dicere)
» ferculorum discrimine. Convenitur ad lavacrum : abluuntur
» manus : itur ordinata serie ad triclinium : pronuntiantur ab
» uno Convictorum solitae accumbentibus adhiberi preces :
» bene precanti respondent ceteri : considetur : et locum
» cuique assignat tabella cui nomen inscriptum. Ordinis ac
» loci ratio ex eo fere petitur, quem in schola quisque, pro
» doctrinae suae gradu, sortitur. Videri possit in speciem leve,
» et ad modestiam tantum accubationi conciliandam accom-
» modatum (quamquam et illud est) quod Convictorum aliquis,
» vescentibus ceteris, librum de cathedra legat. Verum sub-
» esse aliquod ex hac qualicumque exercitatione certum est,
» unde illos non id agentes furtim decor ille pronuntiationis
» prosequatur, qui in aequalitate consistit; ne sermo sub-
« sultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus,
» gravia acutis, elata submissis; et inaequalitate horum om-
» nium sicut pedibus claudicet sermo. »

VII. « Cum e mensa discessum est, ut res et tempus
» postulat, luditur; et est, ut hoc semel dicam, lusus signum

Digitized by Google

» alacritatis in puero; neque illum semper tristem semperque
» demissum, sperare possim erectae circa studia mentis fore,
» cum in hoc quoque maxime naturali aetatis illius impetu
» iaceat. Neque vero, si statis temporibus remittuntur, aeque
» interrumpuntur exercitationes progressionesque discendi.
» Omne punctum, veteri proverbio, tulit, qui cum voluptate
» utilitatem coniunxit. At hoc habet Convictus, in quo lex
» omnibus dicta de Latinae linguae usu, qui Magister est
» optimus, etiam dum luditur, retinendo. Itaque hic videas
» pueros, qui vix prima Latini sermonis rudimenta percepe-
» runt, dicere fere quodlibet; si primum pure minus et
» emendate (ut principia manca semper et imperfecta sunt)
» at fidenter et expedite. Non enim suus illos pudor tali
» consuetudine prohibet, quam urgent moderatorum imperia;
» deinde ipsa linguae cognitio quotidie maior iucundam efficit;
» ad extremum promovet syllabam unam alteramve peccanti-
» bus impetrabilis venia, laus bene loquentibus debita, utris-
» que paratus favor.

» Modum deinde lusui imponit signum, ad studia lectiones-
» que recognoscendas datum. Mox eodem, quo mane, ordine,
» Patrum comitatu, ad scholas conceditur; et a reditu ad lusum,
» qui modici est temporis, inde ad studia; ab his ad coenam,
» manibus prius ex decore ablutis; servatoque more et modo,
» qui, cum de prandio loqueremur, commemoratus fuit. Ab
» ea remissione, quae post coenam datur, crepidas induunt,
» ut calcei, si opus sit (est famulorum aliquis, qui singulos
» lustret) resarciantur. Vespertina oratio et interrogatio con-
» scientiae diem claudunt; quas somnus excipit, non utique
» magnarum curarum domitor, sed roboris et accrementi
» auctor. Cubitum itur, ea silentii et decori servata lege, qua
» ineunte die e lecto quisque surrexerat. »

VIII. « Interdiu sua est exercitationibus varietas, prout

Digitized by Google

» quemque et voluptas sua et parentum voluntas trahit. Sunt » qui characteres discunt scite effingere; sunt qui voce aut » fidibus canere; sunt quibus peregrina lingua aut supputandi » scientia traditur; sunt qui carbone rubricave aliquid desi- » gnare expetunt. Haec, inquies, nullo studiorum dispendio? » Nullo. Tanti est omnia subsiciva et subsecundaria tempora » ad colligendas harum disciplinarum delectatiunculas con- » ferre ordinate. Nam ut corporis nostri partes, quod omnes » suo loco apte coagmentatae sunt, spatio non magno natura » circumsepsit; ita, quae apto tempore ac stato fiunt ordine, » cum facta vides, fieri potuisse vix credas. Pueros perpetuo » circumstant Patres, eorumque ita dispensant tempora, ut, si » quem ad haec minus necessaria animus trahat, lusui quidem » illis aliquid, nihil studiis detrahatur; neque vero obstant » hae disciplinae per illas euntibus, sed circa illas haeren- » tibus. Danda tamen omnibus aliqua remissio, non solum » quia nulla est res quae perferre possit continuum laborem, » sed quod studium discendi voluntate constet, quae cogi » non potest. »

IX. Hic est domesticus Convictorum ordo, quem ego ultimo humaniorum studiorum anno per quindennis cum voluptate expertus, post annos deinde quindecim Philosophiae Professor, saepius animi causa exploratum ivi et reperi eumdem; ipsum vero descriptum a P. Iacobo Wallio, poeta et oratore praelaudato, multis inter Convictores istos annis commorato, eosque ad suburbana commeantes libenter solito comitari. Addere is praedictis potuisset, etiam in summo hiemis rigore, praeter focum luculentum a schola redeuntibus paratum; ad quem cito praecalefacti, ad musaea recedunt a fornace iugiter succensa moderate tepentia; ipsam aream, in qua luditur, infusa ad medii pollicis altitudinem aqua, sic parari ad glaciem, una nocte firmandam, ut vel ferratis per eam

Digitized by Google

incedere calceis, vel gliscendo exercere se pro more patriae, aliosve in eadem ludentes spectare valentes, non magnopere desiderent excurrere ad stagna fossasque suburbanas, ubi talem oblectationem, non sine magno dispendio temporis, nec sine corporum periculo sectantur alii, extra moderatorum suorum conspectum.

A. C. M.DC.LVI.

—

ARGUMENTUM.

I. Discedenti Leopoldo succedit D. Ioannes Austriacus. II. Celebratur annus centesimus ab obitu S. Ignatii. III. Augetur Begginagium, muro versus moenia producto. IV. Controversia de nova Tabellariorum in Hollandiam Camera committitur arbitrio Senatus Brabantiae.

ACTA PRIORA.

I. Die viii Maii, Archidux leopoldus, dimissa Belgii gubernatione, in Germaniam abiit, eique successit, die xi eiusdem, D. ioannes austriacus, Philippi IV filius nothus : qui gloriose soluta Valencenensi obsidione, unde Franci, castris exuti, cesserant, cum iactura impedimentorum tormentorumque omnium, Bruxellis perquam honorifice exceptus est, xvi Iulii.

II. Annus hic erat ab obitu s. patris ignatii centesimus: quare festum eius xxxi Iulii, quam splendidissimo possent cultu, agendum sibi decreverunt Patres Domus professae. Extraordinarius erat summi altaris ornatus, quod, remota consueta tabula, totum interius quasi aureum videbatur. Sed magis extraordinarium fuit, quod cum praeter morem dictum fuisset bis a Iesuitis mane vernaculo, et post meridiem Latino

Digitized by Google

sermone; sub vesperam, quando solebat mediae unius horae collatio fieri, prodierit Reverendissimus et Amplissimus S. Michaelis Abbas Norbertus, ac totas fere duas horas populum tenuerit attentissimum ad prolixissimas Societatis a S. Ignatio institutae laudes, super hoc Ecclesiastici xxv: *Mortuus est pater eius, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se;* percurrendo memoriam praeclarorum ex hac Domo virorum, *Scribanii*, *Uweri*, *Tolenarii*, aliorumque adhuc in vulgi ore viventium; ac novissime addendo *P. Petrum de la Motte*, nobilem Gandensem, qui in ambito multis precibus peste infectorum ministerio, pridie defunctus nuntiabatur, cilicio et ferreis catenulis obarmatus ad extremam luctam. Grassabatur tunc scilicet, uti et sequentibus annis, pestis aliqua; quae consuetum Iesuitarum ad hoc sequestratorum obsequium deposcebat; et, sequenti Augusto, alterum quoque priori suffectum sustulit.

Idem porro Praelatus, quasi necdum satis suum explicasset affectum, sermonem illum limatum auctumque imprimendum dedit, ac posteris legendum reliquit; quasi sciret vel praesagiret id agi, ut istud, plenum periculi caritatisque ministerium, ab aemulis Societatis, hanc ei laudem invidentibus, ad alios diverteretur.

III. Eodem anno Begginis indulsit Civitas, ut curiam suam augere possent, assumptis ad eum usum domibus aliquot in foro boario sitis, nec non ex vacuo ad moenia hippodromi spatio tantum decerpere, quantum eis opus erat, ad novarum aedium longam seriem pone veteres ponendam, prout in Ms. E., fol. 253, haberi ait Valkenisse.

IV. Hoc tempore oportet fuisse inchoatam in Mera, ubi olim fuerat Postaria Regia, *Cameram Tabellariorum* seu *Nuntiorum* in Hollandiam, HET BODEN-COMPTOIR, ex suggestione cuiusdam vanden Avyn, magnum inde Civitati emolumentum

Digitized by Google

pollicentis. Nam declaratio Marchionis de Caracena, anno post hunc quarto reddentis rationem sui ad urbem adventus cum copiis, causa sedandarum turbarum suscitatarum pro manutenenda nova ista Camera, expresse respondit Magistratui, pro seditiosis eius assertoribus intercedenti, arbitrium litis, super eadem a Magistro generali Postarum motae, delatum hoc anno fuisse *ad Consilium Brabantiae;* contra cuius sententiam et decreta Decani Ambactorum insurgebant. Praetendebant scilicet, ea erectione nihil peccatum fuisse contra ius Postariae per priora Civitatis cum Magistro illo pacta constitutum ; et licuisse Civitati, quemadmodum ante bellum Hollandicum et ordinationem Postarum, habere proprios, Amstelodamum aliasque confoederatas urbes Tabellarios seu Nuntios, etiam ad postam cursores; quod Regii solum iuris esse Magister contendebat. Interim huius controversiae, iam tunc motae, nusquam vel Secretarius Valkenisse vel Caukerkius meminerunt : credo, quia absque strepitu in foro civili agebatur res, tantas brevi turbas excitatura, uti ad annum M.DC.LIX apparebit.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII *iidem qui supra*, VI *Augusti, Dominica* I *mensis*, *et* IX *post Pentecosten, actam* IV *Iunii.*

CONSULES. — Dl. Pasch. Franciscus vanden Cruyce, Toparcha de Aertselaer, Cleydael, Stoovers, et ter Linden. — IV. Magister Ioannes Sneyers III.

SCABINI. — Dom. Antonius Sivori. — Dom. Henr. van Halmale. — Dom. Lucas van Opmeer. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — Dom. Alexander Goubau. — Dom. Io. Antonius Tucher. — Dom. Franciscus de Beiar. — Ioannes 's Meesters. — Philippus Helman. — Dl. Florent. van Berchem.

Digitized by Google

Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Ioannes del Plano. — Dl. Phil. Augustin. Cano. — M. Ant. Maria Frarin. — Dl. Balthasar de Cordes. — M. Godefridus Ryshenvels. — Domicellus Franciscus Paulinus van Brouckhoven.

ARGUMENTUM.

I-XIII. Ecclesiae S. Iacobi accedit collegium Canonicorum : modus et forma huius fundationis. XIV-XXIII. Eius approbatio anno M.DCC.V a Clemente XI confirmata, cum tribus dignitatibus. XXIV-XXVI. Rursum confirmata anno M.DCC.VII.

ACTA POSTERIORA.

I. Die XII Decembris, Parochiali ecclesiae S. Iacobi accessit titulus Collegiatae, per institutionem Canonicalis Capituli; ita paulatim ac successive per piam collationem fundati, ut, cum hoc primum scriberem anno M.DCC.V, haberentur stabiles praebendae viginti duae, cum Decanali et Vicedecanali. Ad priorem Decani dignitatem ab illustrissimo Capello primus introductus fuit is, qui ecclesiae Pastor erat, *Franciscus van den Bosch;* quo mortuo, succederent alii, libere per ipsos Capitulares eligendi. Istius autem Decani institutio facta per Episcopum est anno sequenti, coram Praelato S. Michaelis, feria II Pentecostali, tunc in diem v Iunii cadente, sub pulsu grandioris campanae, musicoque concentu, quem vesperi secuti sunt festivi tota Parochia ignes. Ita consultum est divino cultui, in ea ecclesia continuando per cursum ecclesiastici officii, eatenus ab octo Sacellanis cum Pastore observati, ab anno M.CCCC.XCVIII, sed exhausto per multam aedificationem aerario defecturi, nisi hac ratione, ab Episcopo desuper consulto suggesta, provisum fuisset. Nunc vero Canonici sic instituti, non solum Choro ministrant, sed etiam Sacellani,

Digitized by Google

praeter Canonicos, novi, nunc (id est anno M.DCC.XI, dum sic scribo) omnino octo; ita ut quotidiana sacrificia, ante Capituli erectionem ibi rarissima, nunc frequentia sint.

Ecclesiae ipsius decorem vehementer commendat uniformitas operis marmorei, per sacella omnia circumducti; qualem nec in Cathedrali quidem videre est, ubi quaeque opificia, Gildae et Confraternitates suum sibi altare erexerunt, quo voluerunt modo et sumptu. Porro, instituti Capituli modus ac ratio sequenti Diplomate Episcopali continetur:

II. « Fr. AMBROSIUS CAPELLO, Dei et Apostolicae Sedis gratia » Episcopus Antverpiensis, omnibus has visuris aut legi audituris, salutem in Domino. Cum Aediles ecclesiae S. Iacobi » huius Civitatis nobis exhibuerint certum instrumentum, » per quod Reverendi admodum Domini Decanus et Capitulum » ecclesiae nostrae Cathedralis, de consilio nostro consentiebant » in erectionem novi collegii in praedicta ecclesia S. Iacobi, » sub conditionibus, limitationibus, modificationibus et reser» vationibus in praescripto instrumento narratis; quod, facta » prius nobis communicatione, ordinatum est, et hic inseritur » sequentis tenoris:

» Decanus et Capitulum ecclesiae Cathedralis Antverpiensis, » omnibus has visuris, ad aeternam rei memoriam. Notum » sit, quod, ex parte Aedilium ecclesiae Parochialis S. Iacobi » huius Civitatis, nobis remonstratum sit, quod in eadem » ecclesia (quae intuitu magnificentiae et amplitudinis fabri» cae, uti etiam multitudinis parochianorum, primaria et » principalis est post Cathedralem), divina aliaque officia, ab » immemorabili tempore ibidem fieri consueta, non ita pridem, » per imminutionem offertorii et gravamina fabricae, taliter » flaccescere coeperint, ut nunc partialiter sint suspensa; » et consequenter in periculo versentur totaliter cessandi, » nisi auxiliaria media excogitarentur, et efficacia remedia

Digitized by Google

» adhiberentur; suggerentes in hunc finem, medium opportu-
» nissimum, et maxime tendens ad splendorem et utilitatem
» praescriptae ecclesiae Parochialis, fore novi Collegii Cano-
» nicalis in eadem erectionem, cuius Praebendarii aut Prae-
» bendarum possessores obligarentur, pro fructu suarum
» distributionum, quotidiana Chori officia peragere. Ad hoc
» autem facilius promovendum remonstrabatur, exnunc (ex-
» ceptis aliis quotidianis Missis) tria ibidem Beneficia, sub
» spe eiusmodi exempla et vestigia imitandi, fundata esse;
» quorum fundatorum vestigia et exempla diversae aliae per-
» sonae paratae erant imitari, modo illis debite constaret de
» praecedente auctoritate et voluntate superiorum quos con-
» cerneret; et de conditionibus ac suppositionibus, sub quibus
» legitime et firmiter statueretur illa erectio Parochialis eccle-
» siae in Collegialem, et Beneficiorum seu fundationum in
» Canonicatus et Praebendas; sive tales fundationes totaliter
» de novo fierent, sive ex parte ab antiquo fundatae existentes
» idoneis mediis augerentur. »

III. « Nos igitur Catholicum hunc zelum et pia proposita
» (quae revera tendent ad gloriam omnipotentis Dei, splen-
» dorem Ecclesiae suae, et salutarem utilitatem fundatorum)
» volentes optimo modo in Domino promovere, post causam
» hanc erectionis saepe propositam, eamdemque tum capi-
» tulariter tum etiam specialiter a deputatis Commissariis exa-
» minatam, voluimus primo capitulariter consensum nostrum
» ad hanc dare, signanter et sub conditionibus postea expri-
» mendis, prout in Acta XXIII Iunii M.DC.LV, cuius tenor erat:

» Audito et per copias distributo libello supplice, Reve-
» rendissimo Domino Episcopo nostro praesentato sub nomine
» Aedilium Parochialis ecclesiae S. Iacobi huius Civitatis, ad
» finem et effectum, ut, intuitu rationum et motivorum in
» eodem positorum, auctoritate Reverendissimi Episcopi et

Digitized by Google

» consensu Capituli aliquae fundationes, in praescripta ecclesia » iam factae et aliae adhuc faciendae, in Canonicatus et » Praebendas, et ecclesia Parochialis in Collegialem erigi » possint, sub conditionibus, limitationibus, et moderationi» bus a Domino Episcopo et Capitulo praescribendis : ad quod » propositum, RR. Dominorum singulorum opinionibus in » particulari interrogatis, omnes qui praesentes erant decla» rarunt, se consentire ut praescripta ecclesia dignitate » Collegii Decanalis honoretur, et quod eiusmodi fundationes » erigantur, sub conditione quod earum unaquaeque in annuis » proventibus habere debebit (praeter summam centum flo» renorum, distributionibus applicandam) etiam aliam mas» sam grossorum fructuum, quibus Praebendarii sustineri » possint ; integris semper et in omnibus imminutis iuri» bus, praeeminentiis etc. Capituli Cathedralis; eidemque et » Reverendiss. D. Episcopo reservata praescripta auctoritate » conditionandi.

» In cuius consensus tenore nos adhuc persistentes, ad » nunc ulterius ex parte nostri Capituli declarandum et » praescribendum omnes conditiones et reservationes, quibus, » prout intelligimus, haec erectio subiecta erit, et in eadem » observabuntur; imprimis (praeter et excepta praeeminentia, » quae Capitulo Cathedrali in novam Collegialem ecclesiam, » uti subalternam, semper et ubique competet, quodque » novus Decanus cedere debebit cuique Canonico Cathedrali) » remanebunt Capitulo Cathedrali iurisdictio, auctoritas et » potestas, quam idem ante hanc erectionem habuit et usur» pavit in ecclesiam Parochialem; retinebit etiam integre et » totaliter iura sepulturarum respectu offertorii, spindarum, » et redemptionis pannorum. Similiter reservabuntur deno» minatio et collatio Pastoratus; institutio Custodis, Fossarii, » Campanistae, uti in aliis Parochiis, quotiescumque haec

Digitized by Google

» officia vacabunt. Rev. adm. Dominus Decanus Cathedralis
» ecclesiae retinebit ius pastorale in novum Decanum, Pasto-
» rem et Vice-pastorem. R. D. Provisor continuabitur in
» antiqua sua et ordinaria functione et auctoritate; et a
» R. D. Archipresbytero nihil auferetur, quantum attinet ad
» exequias sacerdotum sibi subiectorum : sicut et Reverendis-
» simus D. Episcopus, pro tempore existens, habebit iuris-
» dictionem et potestatem, quae illi de iure et consuetudine
» competit in Capitulum non exemptum, quale hoc novum erit »

IV. « Praeter haec omnia, in signum subalternationis,
» tenebuntur Decanus et Canonici huius novi Capituli, cum
» suo clero, Virgario et Cruciferario, in omnibus maioribus
» et generalibus processionibus, et toties quoties ad hoc, ex
» parte Reverendiss. Episcopi vel Cathedralis Capituli extra-
» ordinarie requirentur, venire in corpore ad Cathedralem
» ecclesiam (ubi exnunc pro semper iis assignantur sedilia
» in Choro Circumcisionis) ut intersint processionibus, euntes
» hoc modo in corpore immediate ante Acolythos et Cerofe-
» rarios ecclesiae Cathedralis. Verum in feriis Rogationum,
» ipsi huius novi Capituli servabunt ordinem, a Reverendiss.
» Episcopo et Nobis constituendum; nimirum, quod sequen-
» tur clerum aliarum Parochialium ecclesiarum huius Civi-
» tatis; et ibunt in corpore immediate ante corpus cleri
» ecclesiae Cathedralis. Praeterea quoad annuam compari-
» tionem in Capitulo nostro generali, ad hanc solus obliga-
» bitur Pastor, etiam Decanus existens, cum suo Vice-Pastore. »

V. « Cum igitur primus intuitus et primarius finis huius
» novae erectionis sit, ut imposterum divina officia conve-
» nienter peragantur, poterit numerus Praebendatorum augeri
» ad viginti personas, et non plures, nisi de licentia Ordinarii
» et nostri Capituli; quarum personarum unaquaeque ad
» Praebendam promovenda, sive titulo propriae fundationis

Digitized by Google

» aut quovis alio, tenebitur esse honestae vitae, probae
» famae, decenter se gerere in habitu clericali et sese peritum
» reddere in cantu ecclesiastico, primo anno suae residen-
» tiae, sub poena arbitraria superiorum.

» Insuper, ad huic operi dandum suum idoneum fundamen-
» tum, omnino necesse est invenire seu fabricare aliquod
» corpus seu massam quotidianarum distributionum, ad usum
» eorum qui officia divina Chori peragent et curabunt : ad
» quarum distributionum inventionem (considerato proposito
» erectionis, secundum sui principii exiguitatem, respectu
» uniuscuiusque Praebendati), ante omnia et in initio funda-
» tionis, inferetur et appropriabitur praedictae mensae summa
» centum florenorum annue, quorum nummorum receptura
» et distributio erit penes personam, a novo Capitulo nomi-
» nandam, sub obligatione reddendi eorum rationem Dominis
» constituentibus, aut illorum Commissariis. Quod si quis
» studiorum causa actualiter non resideret, aut alias absens
» esset, accrescent tunc quotidianae distributiones praesen-
» tibus, veluti alia onera Chori ad impletionem aliorum one-
» rum, si quae ultra haberet, remanente Beneficiato. Ultra
» quam summam, ita ante omnia, vel sine ulla alia vel minima
» affectatione mensae distributionum approprianda, providebit
» quisque fundator seu patronus suo praebendato effective de
» summa supranumeraria immobili ducentorum florenorum
» annue, qui veluti locum et speciem habebunt grossorum
» fructuum. Et ne in hac nova erectione aliquod praeiudicium
» fiat aut contraventio placitis edictisque Regis, debebunt
» bona hoc fine relinquenda et fundanda esse firmi, liquidi,
» bene hypothecati et redimibilis census, constituti ad num-
» mum vigesimum; ut, si redimantur, tanto facilius iterum
» queant applicari sine diminutione proventus. Debebunt
» etiam constitutiones, affectationes, et eorumdem traditiones

Digitized by Google

» fieri in debita forma, coram Notario et respective Magistra-
» tibus, secundum causae naturam et exigentiam. »

VI. « Verumtamen nemo praesumat, quod Nos, ita deter-
» minantes infimum pretium fundationum, per hoc intenda-
» mus vel fundatorum liberalitatem erga Deum limitare, vel
» lucra Ministrorum Dei contrahere; nam, uti Psalmo xcviii
» *Honor Regis iudicium diligit*, ita ea cura recta iudicari debet,
» quam nunc impendimus ad necessitatem eorum, qui, pro-
» pter honorem Altissimi iugiter extollendum, sese illi sinent
» devinciri, eiusdemque servitiis devoveri; considerato quod
» decentia et laudabilis sustentatio servientium tendat ad
» honorem eius cui servitur: sicut e contra ignominiosum est
» Domino, quando servientibus necessaria sustentatio deficit;
» addito quod intuitu harum piarum et laudabilium fundatio-
» num, Praebendati, praeter sacrificia labiorum, quae om-
» nes et singuli in quotidianis Horis Canonicis tenebuntur
» ad intentionem fundatorum divinae Maiestati offerre, etiam
» gravari poterunt onere Missarum ad fundatorum intentio-
» nem. Nam unicuique eorum liberum erit omnino, in cordis
» simplicitate et animo hilari, Domino Deo (quod hilare et
» effusum in donando cor diligit) donare, cum consensu
» Reverendissimi D. Episcopi, fundationes suas condere,
» sub oneribus, conditionibus et stipulationibus alias licitis
» et honestis, neque contrariantibus aut derogantibus his quae
» in hac Acta exprimuntur. »

VII. « Sub quarum conditionum numero etiam compre-
» henditur: 1. quod omnes et singuli fundatores, sive de novo
» et totaliter Beneficium fundaverint, sive praefundatum idoneo
» proventu auxerint et ad Praebendas erexerint, habebunt et
» retinebunt pro se, legitimisque suis heredibus, et omnibus
» in quibus patebit idem ius legitime esse devolutum, ius Patro-
» natus laici, sive ius praesentandi idoneam personam, toties

Digitized by Google

» quoties huiusmodi Praebenda vacaverit per mortem posses-
» soris; vel etiam in casu resignationis, permutationis aut ces-
» sionis iuxta approbationem: cuius praesentationis confirmatio
» et institutio erit penes Reverendissimum D. Episcopum, pro
» tempore existentem; et introductio in possessionem penes
» novum Capitulum; quae solummodo locum habebit respectu
» Praebendarum, quoniam Decanus, a suo Capitulo electus,
» confirmabitur a D. Episcopo: virtute cuius confirmationis,
» ipse, praeter dignitatem et ius praesidendi in Capitulo, habebit
» curam animarum et iurisdictionem in Capitulares, uti de
» iure et consuetudine iis competere solebat: quae iuris-
» dictio sese etiam extendet ad monitionem Custodis, Fossarii
» et Campanistae, eorumque correctionem, sed non ad cassa-
» tionem; praeter quam dignitatem Decanatus, nulla alia
» erigetur, citra beneplacitum et notitiam D. Episcopi et
» Capituli Cathedralis.

» II. Nemo Praebendatorum poterit uti superpelliceo cum
» roquetto, aut alio signo, Cathedrali Canonico proprio.

» III. Quoad Horas canonicas, Laudes aliaque Officia divina,
» studebunt se conformare, quantum fieri potest, observan-
» tiae et moribus ecclesiae Cathedralis.

» IV. Novi Capitulares numquam praetendent erectionem
» alicuius caveae Capitularis; nec umquam aliquid attentabunt
» quod dignitati et iuri Capituli Cathedralis contrariari aut
» derogare posset.

» V. Unusquisque in ingressu suae possessionis, exhibitis
» omnibus documentis requisitis, faciet possessionem fidei,
» iuxta praescriptum Pii V, cum iuramento numquam gra-
» vandi, abalienandi, negligendi bona Praebendae suae; item
» statuta observandi et ordinationes sui Capituli, quae cum
» notitia, auctoritate, approbatione et aggreatione Ordinarii
» a tempore erectionis ab eodem seu futuris temporibus

Digitized by Google

» statuentur et decretabuntur; simulque diligenter et perfecte » observandi et observari faciendi omnia et singula puncta, » in hac Acta comprehensa et expressa, uti et antiqua con» cordata, in quantum huic Actae non contrariantur. »

VIII. « Quae erectio Capituli cum obligatione faciendi » divina officia, nullo modo Fabricam ecclesiae exonerabit » a suppeditanda iis debita procuratione omnium eorum, quae » necessaria erunt, tam extra ad reparationem et conserva» tionem ipsius ecclesiae, quam intra ad bene et debite » facienda divina officia, specialiter ipsius Chori : nimirum » omnium convenientium ornamentorum, librorum, luminis, » panis, vini, sacristani, choralium, eorumque magistri, » organistae, ceterarumque expensarum musicae : quae om» nia, sicut et cetera deinceps necessaria, tenebitur Fabri» ca dare, et suo sumptu praestare, vel potius nomine ipsius » Fabricae eiusdem magistri : qui expresse super his vocati, » personaliter et sub beneplacito superiorum, scilicet Episcopi » et Magistratus, promiserunt annue soluturos summam cen» tum florenorum, applicandam mensae Distributionum, ad » usum moderni Pastoris et suorum successorum, eo fine, » ut Pastor semper sit de numero Canonicorum, intelligendo, » quod haec summa tendet in diminutionem competentiae, » quam Fabrica Pastori debet aut solvere consuevit; et simi» lem summam addixerunt respectu personae Domini van » Meldert, antiqui Capellani, ob sua bona servitia bene meriti » de ecclesia.

» Quod si futuris temporibus occurreret aliquod dubium, » circa intellectum et interpretationem eius quod praescriptum » est, eius interpretatio competet illi cui de iure competit.

» Quae omnia, ut supra scripta sunt, statim ab erectione » aut quam primum haec erectio ecclesiae Parochialis in » Collegialem auctoritate superiorum, quos concernit, legitime

Digitized by Google

» facta fuerit, et piae fundationes effectum suum sortitae,
» Collegiumque Canonicale institutum, obligabuntur Decanus
» et Canonici, per legale instrumentum nobis exhibendum,
» pro se suisque successoribus acceptare, eorumdemque per-
» petuam et inviolabilem observantiam promittere, quidquid
» hic supra comprehensum est, quantum ad ipsos attinet aut
» attinere posset, se prompte et fideliter adimpleturos. »

IX. « Sub omnibus conditionibus, modificationibus, sal-
» vationibus, et reservationibus praedictis, et non alias nec
» aliter, Nos, Decanus et Capitulum ecclesiae Cathedralis
» B. Mariae Virginis Antverpiae, capitulariter congregati,
» declaravimus unanimiter consentire ut ecclesia Parochialis
» S. Iacobi huius Civitatis legitima auctoritate superiorum
» evehatur in Collegialem, et dignitate decanali condecoretur,
» Canonicatus et Praebendae in ea fundentur, et Collegium
» Canonicorum erigatur, sicuti (quantum in Nobis est) ex-
» presse declaramus hoc praesenti publico instrumento in
» hunc finem expedito, sigillo Capituli munito, vidematione
» D. Decani et signatura Actuarii signato.

» Porro, cum huius consensus instrumentum iam produ-
» ctum Latino idiomate, sub suis omnibus solemnitatibus
» emanatum, die II Septembris, curavissent praefati Aediles
» in Flandricum sermonem converti, ad commodiorem eorum
» instructionem, qui ad augendum Praebendarum numerum
» pie inclinati, nec tamen Latini sermonis satis gnari essent;
» idque sic translatum praedictis Decano et Capitulo reco-
» gnoscendum, novoque consensu approbandum obtulissent;
» talis quoque approbationis novique consensus instrumen-
» tum Latine subiungitur, expeditum die XXII Octobris. Ac
» denique praefatus Reverendissimus, extremam manum im-
» positurus tam piae, tamque per omnia bene ac provide
» circumscriptae erectioni, sic concludit : »

Digitized by Google

X. « Post quae praescripti Aediles Nobis humiliter sup-
» plicarunt, et diligenter requisiverunt, quatenus dignaremur
» conditiones, his insertas, approbare, et praescriptam eccle-
» siam evehere vel erigere in Collegialem..... Hinc Nos,
» extreme inclinati ad promovendum quidquid tendit ad
» exaltationem gloriae Dei et augmentum Divini officii, omnes
» conditiones, in praesenti instrumento, nostro iudicio et
» beneplacito per RR. Dominos Capituli nostri Cathedralis
» propositas, uti dictum, approbamus.

» Ita tamen, quod modernus D. Pastor huius novi Capituli
» Decanus erit, nisi contingeret aliquem alium eumdem
» Decanatum fundare : quo casu D. Pastor primum locum
» post Decanum obtinebit : verum successores eius in Pa-
» storatu, futuris temporibus, sequentur ordinem suae pos-
» sessionis, sicuti reliqui Canonici; et, si contingat Decanatum
» vacare, eligetur et confirmari debebit novus Decanus, prout
» antea hic dictum est. Praeterea Pastori reservatae mane-
» bunt suae Pastorales functiones baptizandi. etc. », quibus
sigillatim enumeratis, additur (quod antea nusquam cautum
erat) quod, « omnes Fundationes, Beneficia vel Praebendae
» poterunt a Fundatoribus, sive eorum posteris, quibus ius
» Patronatus legitime competet, cum licentia et consensu
» Reverendissimi D. Episcopi pro tempore existentis, aut,
» vacante sede, Dominorum Vicariorum, transferri ad alia loca,
» quae ob praegnantes rationes convenientia ipsi censebunt;
» ita tamen ut nulla singularis fundatio in particulari, sed
» totum Capitulum simul alio transferatur. »

XI. « Et cum principale initium et intuitus huius funda-
» tionis sit, ut per possessores eiusdem divina officia in
» praedicta ecclesia in praescripta forma peragi queant; et
» forsitan initio huius novi Collegii, aliqui possessores causa
» studiorum, aut ob alias legitimas rationes, de nostro

Digitized by Google

» consensu vel Reverendissimi D. Episcopi pro tempore exi-
» stentis, non residebunt, recipientur equidem ab initio cen-
» tum illi floreni annue mensae Distributionum assignati a
» Commissariis Capituli, prout hic antea dictum; sed quam-
» diu numerus degentium nimium exiguus erit, iuxta iudicium
» nostrum vel Episcopi pro tempore existentis, tenebitur
» novum Capitulum, sub quotidianis Distributionibus, pro
» unoquoque Canonico, durante legitima eiusdem absentia,
» assumere honestum aliquem Sacerdotem, cantum ecclesia-
» sticum callentem, ad tantummodo instar Vicarii iuvandum
» in divinis officiis peragendis et cantandis. »

XII. « Sub quibus omnibus conditionibus, hic ante in-
» sertis et expressis, Nos, auctoritate nostra ordinaria, prae-
» scriptam ecclesiam Parochialem S. Iacobi erigimus in Colle-
» gialem; et consequenter Pastoratum, cuius modernus
» possessor est D. Franciscus vanden Bosch, S. T. B. F.;
» fundationem factam in eadem ecclesia in honorem S. Dym-
» pnae, a piae memoriae D. Nicolao Rockox, Equite, cuius
» modernus possessor est D. Bartholomaeus de Succa, S. T.
» B. F.; fundationem Aedilium factam pro D. Guilielmo van
» Meldert, ad vitam ipsius; fundationem factam per Annam
» van Gemert, cuius possessor modernus est D. Franciscus
» de Wolf, S. T. B. F.; fundationem factam per Michaelem
» de Backer, eiusque uxorem Catharinam Hazaert, ad usum
» D. Guilielmi van Bost, S. T. B. F.; omnes in Praebendas
» et Canonicatus ereximus, iuxta Actam nostram, supra lit-
» teras suarum fundationum positam; atque etiam parati
» sumus ulteriores fundationes, a bonis zelosisque personis
» faciendas, acceptare et erigere. Actum Antverpiae, in Palatio
» nostro Episcopali, sub signatura nostra et sigillo, XII Decem-
» bris M.DC.LVI. »

XIII. Hactenus Latinum erectionis Diploma, post cuius

Digitized by Google

translatum Flandricum, supra memoratum, sequitur, eodem Flandrico idiomate contractus prolixus, coram Notario et testibus, anno M.DC.LVIII, XXVIII Ianuarii, quo D. Ioannes Bollaert et D. Susanna de Sant-Estevan, Toparchae in superiori et inferiori Hembeke, Praebendam unam fundant, sub praenotatis omnibus conditionibus, cum onere quotidianae Missae in capella per praedictos intra eamdem ecclesiam fundata; post quam recitetur quotidie de Profundis cum collecta, exceptis Sabbatis et festis Deiparae, quando recitabuntur litaniae eiusdem: quod onus aliasque obligationes acceptat primus possessor futurus D. Iacobus van Waerbeek, Praesbyter huius Dioecesis : ubi etiam ipsi fundatores expresse stipulantur, quod cessaturum sit, ac si numquam fuisset, rediturumque in Fundatores ipsorumque haeredes, eiusdem Praebendae Patronos laicos. Post hanc vero valde prolixam Actam, sequitur acceptatio Beneficiati praedicti, omnia implere pollicentis; et specificatio bonorum atque redituum a fundatoribus legitime cessorum; in quibus quia est etiam fundus cum domo deliciosa, sub praedicto pago Hembekano, sequitur eiusdem cessionis similiter Acta, coram Scabinis et Graphiario loci confecta, et signata anno M.DC.LIX, die V Decembris. Atque haec satis sint ut intelligatur, quomodo ceterae exinde Praebendae Capitulo isti novo accesserint, ad eum quem supra dixi numerum; quarum primis possessoribus plerisque ad specialem laudem verti debet quod de proprio suo sibi Canonicatus fundaverint, solo Patronatus laici iure in posteros suos reservato.

XIV. Cum autem nuper obiisset Decanus Hieronymus Brugmans, XXIV Iunii M.DCC, electus iuxta fundationem ex gremio *Capituli* amplissimus Franciscus Sebastianus de Faria Franco y Feio, Antverpiensis, I Iulii M.DCC, accessit novum et numeri et dignitatis incrementum. Nam ultra Vicedecanatum ante

Digitized by Google

seculi huius finem, annuente Ioanne Ferdinando Ambrosii Episcopi successore, Decanatus accesserat; accessit etiam tertia dignitas Cantoratus, quae cum novem Praebendis et titulo *Insignis Collegiatae ecclesiae*, Pontificio Diplomate acquisita ecclesiae iam dictae est, et quasi denuo erecta anno M.DCC.V per bullam Clementis XI, etiam eo fine quaesitam, ut sic tacite reformarentur quaedam in praegressa Episcopali constitutione minus caute admissa; cuius Bullae tenor, post varias disceptationes demum typis mandatus, affixusque ad valvas, prodiit III Martii, anno M.DCC.VII: in quo transcribendo hic mihi licere peto, ut, brevitatis causa, rescindam clausulas quasdam, iisdem verbis identidem recurrentes; titulumque *secularis et insignis ecclesiae Collegiatae*, fastidiose iteratum, semel sufficiat posuisse, ubique subintelligendum. Tenor autem hic est:

XV. « CLEMENS, Episcopus, servus servorum Dei, dilecto » filio, Officiali venerabilis Fratris nostri Episcopi Antver- » piensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

» Universali Sacrosanctae Romanae Ecclesiae regimini, sum- » ma dispositione eius qui cunctis imperat, et nostram humi- » litatem ad suas vices in terris gerendas eligere dignatus est, » praesidentes; ad ea praecipue Pastoralis nostrae sollicitu- » dinis curas dirigimus, per quae ecclesiarum omnium, prae- » sertim Collegiatarum, quae ad debitum divini cultus honorem » efflorescunt, stabiliori statui peropportuna, et ad augendam » in eis spiritualis amoenitatis fecunditatem necessaria digno- » scuntur; ad hoc ut ecclesiae ipsae magis atque magis in » dies, veluti horti conclusi, aeterno appareant Sponso: » illique pergratum perennis suavitatis exhibeant odorem; » in eos Apostolicae benignitatis non dedignamur diffundere » thesauros, hilarique corde reddimus, quoties pia fidelium » vota, nostris enixa desideriis, eorum terrena bona maiori

Digitized by Google

» earumdem ecclesiarum cultui exponunt. Aequum igitur
» reputamus, ut, desideria nostra ad cultum ipsum dirigentes,
» et dextram nostrae liberalitatis ad eorumdem fidelium vota
» benigne extendentes, faciamus, ut illarum cultus suum
» sortiatur incrementum, et vota ipsa eorum debito gaudeant
» adimplemento. »

XVI. « Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum
» filiorum, modernorum Capituli et Canonicorum secularis et
» Collegiatae ecclesiae S. Iacobi civitatis Antverpiensis, petitio
» continebat, quod alias, videlicet de anno Domini mille-
» simo sexcentesimo quinquagesimo sexto, bonae memoriae
» Ambrosius Capello, Episcopus, dum vixit, Antverpiensis,
» cordi habens divini cultus augmentum, ad Dei omnipotentis
» laudem et honorem, Parochialem ecclesiam S. Iacobi civi-
» tatis Antverpiensis, structura et aedificiis praeclaram, in
» secularem et Collegiatam ecclesiam, cum Capitulo, Choro,
» Mensa Capitulari, Arca, Sigillo, de bonis mere laicalibus,
» aliisque omnibus insigniis canonicalibus et collegialibus
» et in ea Decanatum, qui inibi dignitas principalis existeret,
» pro uno Presbytero, futuro in ea Decano, qui ad Decana-
» tum huiusmodi, dum illum pro tempore vacare contigisset,
» a Capitulo et Canonicis praedictis, de gremio tamen Capituli
» huiusmodi desumendus, canonice eligi, et electio huiusmodi
» per pro tempore existentem Episcopum Antverpiensem confir-
» mari deberet; quique eiusdem Collegiatae ecclesiae ac illius
» Capituli caput existeret; et tam in choro quam in capitulo,
» processionibus aliisque actibus et functionibus capitularibus
» dictae Collegiatae ecclesiae, tam publicis quam privatis,
» praeeminentiam et praesidentiam haberet; nec non viginti
» duos Canonicatus, totidemque Praebendas, a pietate non-
» nullorum fidelium illarum partium, ex eorum patrimonia-
» libus et mere laicalibus bonis fundatos, pro viginti duobus

Digitized by Google

» Clericis seu Presbyteris, futuris in eadem Collegiata ecclesia
» Canonicis, qui una cum praefato Decano Capitulum prae-
» dictae ecclesiae constituerent; quique, dignitatem huiusmodi
» pro tempore obtinentes, apud dictam Collegiatam ecclesiam
» personaliter residere, et in ea singulis diebus Horas Cano-
» nicas, tam diurnas quam nocturnas, aliaque divina officia
» collegialiter celebrare, et, servata disciplina ecclesiastica,
» recitare, decantare, et psallere, divinisque Officiis interesse
» dictaeque ecclesiae Collegiatae laudabiliter inservire, aliaque
» onera eis incumbentia supportare et adimplere respective
» deberent et tenerentur, erexit et instituit; ac pro illorum
» respective congrua et competenti dote, illosque pro tempore
» obtinentium congrua sustentatione, reditum annuum ab
» eorum fundatoribus cuilibet ex Decanatu et Canonicatibus
» praedictis assignatum, et ad septuaginta ducatos auri de
» camera vel circa pro quolibet annuatim ascendentem, con-
» cessit, applicavit et appropriavit: nec non ius patronatus
» et praesentandi ad eosdem canonicatus et praebendas, quo-
» ties et quandocumque et quomodolibet pro tempore illos
» vacare contigisset, unicuique ex praedictis fundatoribus,
» pro eis eorumque heredibus et successoribus, reservavit;
» prout latius et plenius in instrumento erectionis et funda-
» tionum praedictarum continetur. »

XVII. « Et subinde bonae memoriae Ioannes Ferdinandus,
» etiam, dum vixit, Episcopus Antverpiensis, praefati Ambrosii
» Episcopi successor, ad maiorem Dei gloriam ac dictae Colle-
» giatae ecclesiae decorem, Vicedecanatum, qui in dicta
» Collegiata ecclesia secunda dignitas existeret, pro uno
» Clerico seu Presbytero, etiam futuro in ea Vicedecano, de
» gremio praefati Capituli desumendo, et ad illum pro tem-
» pore occurrentis illius vacationis a Capitulo et Canonicis
» praedictis eligendo, et per pro tempore existentem Episcopum

Digitized by Google

» confirmando, assignata illi congrua et competente dote de
» bonis mere laicalibus, pariter erexit et instituit.

XVIII. « Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat,
» erectio et institutio praefatae in magnum dictae Civitatis
» decus et ornamentum cesserit, dictaque Ecclesia, sic in
» Collegiatam erecta, in suis structura et aedificiis sumptuosa
» et ampla, ac non solum in toto Belgio sed in ipsa Europa
» celebris, hoc suo felici statu usquemodo pacifice gavisa
» fuerit; proindeque illius Capitulum et Canonici praefati, ne
» de praefatae Collegiatae ecclesiae subsistentia perpetuis futu-
» ris temporibus quovis modo haesitari contingat, pro perpetuo
» illius stabilimento ecclesiam huiusmodi de novo in secularem
» et insignem Collegiatam ecclesiam, et in ea (firmis tamen
» ut antea manentibus Decanatu, Vicedecanatu et Canonica-
» tibus ac Praebendis, nec non iuribus Patronatus supradictis)
» Cantoratum, qui inibi tertia dignitas existat, et alios octo
» Canonicatus totidemque Praebendas, per Nos et Sedem
» Apostolicam de novo erigi et institui summopere deside-
» rent; et ad hunc effectum nonnulli probi viri illarum
» partium reditum annuum, tutum et securum, ducentorum
» et duodecim ducatorum similium circiter, cuilibet ex Can-
» toratu et octo Canonicatibus erigendis huiusmodi, ac pro
» cuiuslibet illorum respective dote, illosque pro tempore
» obtinentium congrua sustentatione, ex eorum bonis mere
» laicalibus assignare intendant..... unde divinus cultus in
» dicta ecclesia, cum populi illius spirituali consolatione,
» maiora in dies susciperet incrementa, et ipsius Collegiatae
» ecclesiae perpetuo stabilimento satis consultum foret; pro
» parte Capituli et Canonicorum praefatorum, Nobis fuit humi-
» liter supplicatum; quatenus eis in praemissis, ut infra,
» providere de Apostolica benignitate dignaremur. »

XIX. « Nos igitur, pium et salutare Capituli et Canonicorum

Digitized by Google

» praefatorum propositum et desiderium huiusmodi amplecti
» volentes, illisque favere, ac cultum divinum in dicta Colle-
» giata ecclesia augere, et spiritualem animarum profectum,
» quem exinde speramus provenire, salubriter promovere inten-
» dentes; ipsisque specialem gratiam facere volentes, eosque
» et eorum singulos a quibusvis excommunicationibus, aliisque
» censuris et poenis ecclesiasticis, tam a iure quam ab homine
» quavis occasione vel causa latis, si quibusvis quomodolibet
» innodati existant, ad effectum praesentium tantum conse-
» quendum, harum serie absolventes et absolutos fore cen-
» sentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congre-
» gationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae
» Ecclesiae Cardinalium, Decretorum Concilii Tridentini inter-
» pretum, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus,
» quatenus, verificato prius coram te dicto iure Patronatus
» ex fundatione vel dotatione huiusmodi; ac vocatis qui ad id
» fuerint evocandi, Collegiatam ecclesiam praedictam, sicut
» praefertur, in Collegiatam erectam, in secularem et insignem
» Collegiatam ecclesiam erigas, cum Capitulo, Choro, Mensa
» capitulari, Arca, Bursa et Sigillo communibus, omnibusque et
» singulis aliis similium ecclesiarum Collegiatarum insignium
» signis, insignibus et praerogativis, eis de iure, usu, consue-
» tudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus;
» et in ea (firmis tamen ut antea remanentibus..... Deca-
» natu etc.) Cantoratum, qui in dicta ecclesia tertia dignitas
» existat, et ad quem, occurrente pro tempore illius vacatione,
» Clericus seu Presbyter, de gremio tamen praefati Capituli
» desumendus, a Capitulo et Canonicis praedictis eligi, et
» electio huiusmodi per pro tempore existentem Episcopum
» Antverpiensem confirmari debeat, pro uno Clerico seu
» Presbytero, futuro in ea Cantore; nec non alios octo Cano-
» nicatus, totidemque Praebendas, pro aliis octo Clericis seu

Digitized by Google

» Presbyteris idoneis, futuris in dicta ecclesia Canonicis, in eis » per Ordinarium loci, ad praesentationem tamen illorum » fundatorum instituendis, qui cum Decano, Vicedecano et » viginti duobus Canonicis supradictis, insimul Capitulum di- » ctae ecclesiae constituant, et apud dictam ecclesiam perso- » naliter residere, ac in ea singulis diebus Horas Canonicas » tam diurnas quam nocturnas, aliaque divina officia collegia- » liter celebrare, et cum debita mentis attentione et servata » disciplina ecclesiastica recitare et decantare et psallere, » divinisque officiis interesse, dictaeque ecclesiae laudabiliter » deservire, aliaque onera eis incumbentia supportare et ad- » implere respective debeant et teneantur; quique omnibus » et quibuscumque privilegiis, iuribus, gratiis, immunitatibus, » exemptionibus et praerogativis, quibus ceteri viginti duo » Canonici supradicti, et Decanatum et Vicedecanatum dignita- » tes praefatas obtinentes, de iure, usu, consuetudine quomo- » dolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, parifor- » miter et absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri » et gaudere possint et debeant Apostolica auctoritate. »

XX. « Postquam tamen dictus reditus annuus ducentorum » et duodecim ducatorum auri huiusmodi cuilibet ex Cantoratu » et octo Canonicatibus et Praebendis huiusmodi per prae- » sentes erigendis, in tot proprietatibus et bonis stabilibus, » tutis et securis ac ob omni et quocumque onere, censu, » canone, hypotheca et fideicommisso prorsus liberis, assi- » gnatus fuerit et non alias, sine alicuius praeiudicio, perpe- » tuo de novo erigas et instituas; illisque sic erectis et insti- » tutis, pro cuiuslibet eorum congrua et competenti dote, » illosque pro tempore obtinentium sustentatione, dictum » reditum annuum ducentorum et duodecim ducatorum » auri de camera circiter, ex dictis bonis laicalibus cuilibet » ex Cantore et octo Canonicis huiusmodi pro Praebendis et

Digitized by Google

» distributionibus quotidianis, Cantoratus et octo Canonicatuum respective assignatum; postquam etiam ille eis, et eorum cuilibet assignatus fuerit, aut alias, iuxta conventionem desuper inter illos fundatores et Capitulum praefatum forsan initam, dividendam et distribuendam; ita tamen, ut tam Cantor quam quilibet ex octo Canonicis praedictis ducentos et duodecim ducatos pares circiter annuatim pro quolibet percipiant, etiam perpetuo applices et appropries: liceatque futuris Cantori et octo Canonicis praedictis, per praesentes erigendis, et cuilibet eorum, dicti annui reditus et illius bonorum et rerum quorumcumque, eorum et Mensae Capitularis nominibus, corporalem, realem et actualem possessionem, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, absque spoliis seu attentatorum vitio, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, apprehendere et apprehensam retinere. »

XXI. « Et insuper Decano, Vicedecano, Cantori, omnibusque Canonicis praedictis, ut ipsi de cetero iurisdictionem contentiosam privative, quoad causas civiles in prima instantia, et quoad criminales pro excessibus levibus commissis, in choro, ecclesia et functionibus ecclesiasticis, in quibus procedendum sit extraiudicialiter et in poena levi privative, Episcopo absente; eo vero praesente cumulative, et cum illius praelatione in subditos et suppositos dictae ecclesiae exercere possint et valeant, concedas et indulgeas : nec non ut ipsi pro ecclesiae praefatae illiusque Mensae Capitularis, Sacristiae, illarumque omnium rerum et bonorum, tam spiritualium quam temporalium prospero et felici regimine, gubernio et directione, onerumque illis pro tempore incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum et suffragiorum celebratione; distributionum quotidianaram et aliorum

Digitized by Google

» emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, » repartitione et divisione; poenarum per absentes vel non » assistentes, seu onera et munera eis et eorum cuilibet » incumbentia subire negligentes, incurrendarum in cursu » singulorum poenitentiis et absentiis notandis, caeremoniis, » ritibus in ecclesia, choro, capitulo, processionibus et aliis » actibus capitularibus servandis; officialibus et ministris » dictae ecclesiae necessariis deputandis et amovendis, ser» vitiis et ministeriis per ipsos subeundis, ac iisdem sala» riis et stipendiis praestandis, ac quibuscumque aliis rebus, » in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis et oppor» tunis; quaecumque statuta et ordinationes Capitulares et » decreta, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et » decretis Concilii Tridentini ac constitutionibus Apostolicis » minime contraria, et per Ordinarium loci prius examinanda » et approbanda, edere; et edita praevia approbatione decla» randi, interpretandi, et ad meliorem formam redigendi » et reformandi, seu alia de novo et integro, ut praedicitur, » eisdem sacris canonibus, decretis et constitutionibus prae» dictis minime adversantia, et, ut praedicitur, examinanda » et approbanda, concedas; et per eos ad quos pro tempore » spectabit, sub poenis in contrafacientes statuendis, observari » facere possint et valeant, plenam, liberam et omnimodam » facultatem, potestatem et auctoritatem concedas et im» partiaris. »

XXII. « Demum praedictis viris, qui supradictum reditum » annuum ducentorum et duodecim ducatorum huiusmodi, » pro fundatione seu dotatione dictorum octo Canonicatuum » et Praebendarum, assignabunt, eorumque respective heredi» bus et successoribus in infinitum, ius Patronatus et praesen» tandi personas idoneas ad dictos octo Canonicatus et Praeben» das, per Ordinarium loci in iis instituendas, quotiescumque

Digitized by Google

» illos pro tempore per cessum etiam in manibus nostris,
» seu decessum (non tamen apud Sedem Apostolicam) religionis ingressum, aut Professionis emissionem, Matrimonium contractum, habitus et tonsurae Clericalium non delationem, resignationem, seu iuris cessionem, non publicationem, privationem, seu quamvis aliam amissionem, et alio quovis modo, et ex quorumcumque personis, etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium, vel cuiusvis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, etiam tunc viventis familiaribus et continuis commensalibus; aut alias quomodolibet et quovis modo affectionem inducentibus, vacare contigerit; dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo reserves, concedas et assignes; ac dictum ius Patronatus et praesentandi Laicum exercere, et praedictis viris fundatoribus et eorum cuilibet eorumque respective heredibus et successoribus, non ex privilegio Apostolico, sed ex mera reali et actuali, plena, integra et omnimoda fundatione et perpetua dotatione mere laicalibus dumtaxat competere; nec illis ullo umquam tempore derogari posse nec debere; etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, illis non consenserint ad eaque vocati, et causae propter quas illa fiant vel facta sint, coram Ordinario loci praefato, et tamquam dictae Sedis delegato vel alias examinatae, verificatae et iustificatae non fuerint, seu aliis ex alio quocumque capite, quantumvis iuridico et legitimo, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari umquam posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces fore et esse, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus ad quoscumque spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium

Digitized by Google

» gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus,
» derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, eisdemque
» perpetuo suffragari; sicque et non alias per quoscumque
» Iudices, etiam Camerae Palatii Apostolici Auditores, ac
» Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere, Legatos, Vicelegatos et Sedis Apostolicae Nuntios, iudicari et
» definiri debere, irritum quoque et inane decernas; non
» obstantibus quibusvis, etiam in synodalibus, provincialibus,
» universalibus et generalibus conciliis editis vel edendis,
» specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. »

XXIII. « Volumus autem, quod deinceps, cum dictum
» Decanatum pro tempore vacare contigerit, ad illum electus,
» antequam dicti Decanatus possessionem adipiscatur, electionem, ut praedicitur, faciendam huiusmodi semper et
» quandocumque Sedi Apostolicae praesentare, et provisionem
» dicti Decanatus a Sede praedicta impetrare, et iura Camerae
» Apostolicae et aliis propterea debita persolvere teneatur;
» alioquin dictus Decanatus vacet eo ipso, ita ut de illo per
» Sedem Apostolicam tantum disponi possit; et quidquid secus
» super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel
» ignoranter, contigerit attentari, exnunc irritum decernimus
» et inane. Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem,
» anno Incarnationis Domini millesimo Septingentesimo quinto, Sexto Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto. »

XXIV. Priusquam haec executioni mandarentur, contigit e vivis excedere Episcopum nostrum Reginaldum Cools, die II Decembris M. DCC. VI., eoque cessare potestatem officialis ab eo constituti; recursum itaque ad eumdem Pontificem est, qui novo Brevi ad Officialem Mechliniensem directo, ita scripsit :

Digitized by Google

« Clemens, etc..... Nobis pro parte dilectorum filiorum
» Capituli et Canonicorum secularis et Collegiatae ecclesiae
» S. Iacobi Antverpiensis exposito, quod etiam alias, vide-
» licet de anno Domini millesimo sexcentesimo quinqua-
» gesimo sexto, bonae memoriae Ambrosius Capello, dum
» viveret, Episcopus Antverpiensis, Parochialem ecclesiam
» S. Iacobi Antverpiensis in secularem et Collegiatam eccle-
» siam, et in ea Decanatum dignitatem principalem, cuius
» electio ad Capitulum, et confirmatio ad Episcopum Ant-
» verpiensem pro tempore existentem spectaret; ac viginti
» duos canonicatus totidemque Praebendas, a pietate fide-
» lium illarum partium ex eorum bonis mere laicalibus
» fundatos, reservato tamen cuilibet ex fundatoribus iure
» Patronatus, erexerat; et deinde Ioannes Ferdinandus, etiam
» dum viveret, Episcopus Antverpiensis dictique Ambrosii
» Episcopi successor, Vicedecanatum secundam dignitatem
» in dicta Collegiata ecclesia, cuius similiter electio ad
» Capitulum, et confirmatio ad Episcopum spectaret, pariter
» de bonis mere laicalibus erexerat; cumque erectio huius-
» modi in magnum civitatis Antverpiensis decorem cessis-
» set, et in dicta Collegiata ecclesia divinus cultus non
» modicum sumpsisset incrementum : pro parte dictorum
» Capituli et Canonicorum nobis humiliter supplicato, qua-
» tenus, ne de praedictae Collegiatae ecclesiae subsistentia
» perpetuis futuris temporibus haesitari contingeret, pro perpe-
» tuo dictae ecclesiae, sic in Collegiatam erectae, stabilimento,
» illam in novam insignem Collegiatam ecclesiam ex integro,
» et in ea (termis tamen ut antea) alteram dignitatem Canto-
» ratus (cuius etiam electio ad Capitulum, et confirmatio ad
» Episcopum spectaret) et alios octo Canonicatus totidemque
» Praebendas, Apostolica auctoritate de novo erigere; pro
» quorum dote aliquibus probis viris illarum partium certos

Digitized by Google

» tunc expressos reditus annuos assignari debebat, aliaque » tunc expresse concedere et ordinare de benignitate Apo» stolica dignaremur. »

XXV. « Nos huiusmodi supplicationibus tunc benigne in» clinati..... Cantoratum, qui in dicta ecclesia tertia dignitas » existeret, nec non alios octo Canonicatus totidemque Prae» bendas, perpetuo erigi et institui mandavimus. . . . .
» . . . .

» Cum autem exhibita nobis nuper pro parte Capituli et » Canonicorum praefatorum petitio continebat, antequam prae» dictae litterae debite executioni mandarentur, Episcopus » Antverpiensis praedictus rebus fuerit humanis exemptus, » et ecclesia Antverpiensis adhuc Pastore careat; ac, quoniam » Capituli et Canonicorum praefatorum plurimum intersit » litterarum praefatarum executionem quam primum repor» tare, ideo Capitulum et Canonici praedicti nobis denuo » humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis, ne propterea » dictarum litterarum executio in eorum praeiudicium diutius » protrahatur, in praemissis opportune providere, eosque » amplioris gratiae favore prosequi de eadem benignitate Apo» stolica dignaremur. »

XXVI. « Nos igitur dictarum litterarum tenorem etiam » veriorem, ac datae praesentationem pro expressis habentes; » huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni Tuae (cum, » ut ipsi asserunt, Venerabilis Frater noster Episcopus Mechli» niensis Ordinarius vicinior existat) per Apostolica scripta » mandamus, quatenus Tu, si, et postquam dictae litterae » Tibi pro parte Capituli et Canonicorum praefatorum praesen» tatae fuerint, ad illarum executionem, etiam quod verifi» cationem supradicti iuris Patronatus coram te faciendam, » servata alias earum forma, auctoritate nostra procedas in » omnibus et per omnia, perinde ac si illae Tibi a principio,

Digitized by Google

» non autem dicto Officiali Episcopi Antverpiensis praedicti, » directae fuissent: non obstantibus omnibus illis, quae in » dictis litteris concessa sunt non obstare, contrariis quibus- » cumque. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarna- » tionis Dominicae millesimo septingentesimo septimo, Octavo » Kal. Iunii. »

A. C. M.DC.LVII.

—

ARGUMENTUM.

I-II. Princeps Condaeus filium suum, Ducem Enguianum, volens in Collegio Iesuitarum Philosophiam cum sociis aliquot doceri, evincit ne id Lovanienses impediant; deinde suas Theses gratiose propugnantem praesens audit. III-X. Receptus honorifice Ioannes Austriacus, cogitur a plebe consentire in gravamina Ecclesiasticorum et Religiosorum, solis Mendicantibus et Domo Professa S. I. exceptis. XI. In Cathedrali collocatur novum pulcherrimumque organum, iuxta maioris chori odeum.

ACTA PRIORA.

I. « Superiori anno voluerat Princeps Condaeus filium » suum, Ducem Enguianum, tredecim annorum adolescen- » tulum, humanioribus litteris sub institutione Patrum Socie- » tatis haud leviter in Gallia imbutum, Philosophiam audire » Antverpiae, inter eiusdem Societatis adolescentes religiosos; » et, ut aemulatio felicior esset, iusserat pariter aliquantos » alios honestiores seculares ad easdem scholas admitti; fas » autem non erat tanti Principis mandatis non obsequi: neque » initio quidquam movebatur. Sub anni tamen finem, Aca- » demia et urbs Lovaniensis, missis huc Facultatis Philo- » sophicae Syndicis nonnullisque de Magistratu, significarunt, » statutum sibi esse iure uti contra infractores privilegiorum

Digitized by Google

» suorum, exigendo florenos quinquaginta a singulis qui » Philosophicas praelectiones, extra paedagogia Lovaniensia, » tradiderant aut exceperant, vel post hoc tradere aut exci» pere praesumerent. Quibus cum responsum esset nihil nisi » ex Principis Condaei mandato fieri, mitius agere coeperunt » Delegati; Principem adierunt, eique ultro obtulerunt, quod » in eius gratiam passuri essent, ut exiguus ille quindecim » adolescentium numerus (nec enim plures admissi erant) » scholis suis subtraheretur. Paulo tamen post, denuo reversi » ad Principem, scriptum obtulere a Iesuitis signandum, quo » privilegiis, ut aiebant, suis cautum esset. Verum cum eo » continerentur nonnulla Societatis privilegiis adversantia, » conceptum oblatumque iis est scriptum, conceptum alia » commodiori formula, quod Lovanium referrent.

II. « Hoc igitur anno redierunt iterum, negantes ea secunda » formula satis caveri privilegiis suis. Ergo ad Ioannem » Austriacum delata res est : et huius iussu ex Sanctiore » Consilio designati sunt aliqui, a quibus conceptum scriptum » tertium, et utrimque probatum est; sub eaque moderatione » perrexerunt Patres docere pauculos illos, maiori horum » profectu quam commodo suo, quibus gratum non erat ea de » causa cum Universitate committi. Ideoque nullos posthac » voluerunt admittere, nisi qui forte (quod rarissimum fuit) » sese offerebant cum ipsiusmet Universitatis commendatione » ab ipsorum parentibus vel exorata vel expressa, uti factum » cum nepote Episcopi nostri Ioannis Ferdinandi, qui simi» liter cum sociis aliquot admissus fuit. Inter illos autem, » de quibus dicere coepi, praecipue eminuit ipse Dux Enguia» nus, qui mense Maio complures e Logica theses publice » propugnavit, ea promptitudine et demonstratione scientiae, » ut exspectationem omnium superaverit, et gaudio non exiguo » affecerit Principem parentem, qui disputationi interfuit una

Digitized by Google

» cum Marchione de Caracena, Duce Arschotano, Principibus » Arembergio, Nassavio, Masminio ac multa Nobilitate His- » panica, Gallica, Belgicaque. » Ita fere Annales Collegii, ex quibus habemus eadem celebritate et successu sequenti anno propugnatas a Duce coram Serenissimo Parente, theses de universa Philosophia.

III. Die IV Maii, civitatem solemniter ingressus D. Ioannes Austriacus, et in fastigio portae Caesareae, huiusmodi exceptionibus pridem assuetae, salutatum se legit his versibus, compositis exercitato ad talia Gaspari Gevartii stylo :

Austriade, Hesperii soboles invicta Monarchae,
Exspectata diu Belgis tutela, salusque,.
Caesaream, Dux Iane, subi fausto omine portam :
Perque abavi Caroli vestigia, perque Philippi,
Securos rege felici moderamine Belgas.

Ante Curiam erectum stabat triumphale pegma, ex columnis XIV ordinis Corinthii, quibus fornices septem innitebantur, quinque in fronte et bini ad latera, altum pedes LIII, longum LXX, profundum XX.

In acroterio seu supremo fastigio, supra medium fornicem, spectabatur effigies Serenissimi, equo insidentis, cui in vertice Genii tres, NEAPOLIS, BARCINONIS, et BELGII e coelo devolantes, lauream singuli adferebant. Equus posterioribus pedibus hostium aemulorum INVIDIAM, Furiali habitu repraesentatam et prostratam, calcabat, scripta subtus epigraphe :

Herculi Alexicaco, Invidiae Domitori.

Ad dextrum Principis latus stabat PROVIDENTIA, dextra sceptrum oculatum, laeva gubernaculum orbi impositum

Digitized by Google

tenens: ad laevum IUSTITIA cum gladio et libra: mox Genii duo cum vexillis.

IV. In secunda operis elevatione, supra pluteos laterales, hinc inde liberi et soluti exultabant AQUILA et LEO, quos scilicet Franci expresserant in numismate calculatorio sub pedibus *Herculis pueri*, utraque manu comprehensum serpentem geminum necantis, addita hac epigraphe: *Vincendi sunt haec praeludia mundi.* Annus cusi numismatis non additur: sed circumstantiae omnes suadere possunt, annum fuisse M.DC.XXXVIII, quo Saxo Weymariensis, copiis Gallicis suffultus, cecidit Imperialem exercitum prope Rhinsfeldiam, et, captis tribus Caesareis ducibus, ipsam Rhinsfeldiam Rheno additam occupavit: classis autem Francica Hispanicam fudit, prope Fontarabiam; et Ludovicus XIV natus fuit: hae ómnes, inquam, circumstantiae suadere possent, talem annum Francis tam fortunatum signari; nisi obstaret nomen, non nisi anno M.DC.XLIII Delfino puero quinquenni inditum in baptismo caeremoniali, uno ante mortem Patris regnumque adeptum mense. Nam, licet HERCULES quasi infans exprimatur, vultus tamen quasi octennis vel decennis est pueri; adeo ut auctor calculi ad infantiam necdum Regis aegre respexisse potuerit; nisi ex coniectura ominando, mox secutas victorias contra Hispanos, ad Rocroyam ipso quo Ludovicus XIV Rex dici coepit anno et mense, die XIX; et anno M.DC.XLVIII caeso ad Lensiam post Ipram captam Hispanorum florentissimo exercitu. Rectius igitur ad huius victoriae tempus annumque Regis decimum fictionem retuleris; sicut Claudius Franciscus de Menestrier, in sua per numismata calculosque historia, ipsam num. VI reposuit, sub minori Ludovici XIV aetate. Sed ominationem praeproperam fuisse, ostendit versa mox, per Francorum intestinas discordias, fortuna; amissaque citius quam occupata fuerat sub victricibus Leopoldi armis Occidentalis Flandria.

Digitized by Google

V. Itaque cum anno M.DC.LXVII, mense Iunio, aliquot millia eiusmodi calculorum a Catholici Regis militibus reperta essent inter spolia Gallorum, ea cum pudore supprimenda Parisios revehentium, Bruxellasque delata, atque per manus sparsa essent, aliquam eorum copiam nactus, nisi fallor, Chiffletius Medicus, ut erat amaro in Francos animo, inter amicos distribuit, implicitos huic bene salso, ad invidiam iactabundae genti conflandam, epigrammati, quo Gevartius alludit :

Je ne veux plus qu'on feigne, ny qu'on le dissimule :
Entre les demi Dieux je tiens le rang d'Hercule :
J'étouffe en me joïjant les Hydres de mes mains,
Au premier pas je foule le fier Lyon qui gronde,
Au second je mets bas l'empire des Romains;
Si je fais encor un, je suis seigneur du monde.

Idem Latine.

Non volo fingas, nolo dissimules,
Inter semi-deos sum novus Hercules :
Suffoco manibus Hydras ludendo,
Leonem primo passu sternendo,
Romanam Aquilam calco secundo;
Figens tertium, dominabor mundo.

VI. Haec per transennam. Redeo ad Gevartium, triumphalis pegmatis explicationem sic prosecutum : In inferiori pegmatis parte, ad columnam medii fornicis, stabat NEMESIS, quae et a loco, ubi celebratur, dicta *Rhamnusia*, Iustitiae filia alata, frenum tenens dextra, laeva regulam fabrilem, de qua poeta in Anthologiae lib. IV:

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχεϊ, τῷτε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρον τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Digitized by Google

Mensura et freno Nemesis monet ista: Caveto
Verba effrena loqui, facta carere modo.

Nemesi adstabat PIETAS cum patera et ara. Ad alteram columnam HERCULES GADITANUS, poma Hesperidum dextra, et clavam laeva tenens, ut in nummo Hadriani Augusti conspicitur: adstabat VIRTUS, galeata et gladio cincta. Ad dextrum latus exterius NEPTUNUS, cum tridente et puppi. Hoc latus claudebat APOLLO, arcum (cui Python domitus adiacet) et lyram gestans.

VII. Ad laevum latus stabat MERCURIUS PACIFER, cum caduceo et marsupio : ad pedes eius Hircus gregum ductor: adstabat et MINERVA, dextra olivam, laeva hastam tenens. In tabula autem media, sub Serenissimo Principe, haec legebatur epigraphe, manifeste alludens ad supra explicatum calculatorium nummum :

Alcidae Hesperio triplicis nova serta coronae
Parthenopaeus, Iberus ovans et Belgica donant;
Has illi insomnis peperit vigilantia Lauros,
Iustitiaeque vigor, Pietasque, invictaque bello
Dextera. Securi tanto sub vindice, rursus
Exultant Aquila atque Leo : quos Francia pridem
(Dum sibi vincendi iactat praeludia Mundi)
Nequidquam pedibus pressos calcare parabat.
Sed Dea vesanis obstans Rhamnusia votis,
Hoc Duce Liligeri fregit conamina Regni:
Moxque adaperta diu claudens penetralia Iani,
Germina paciferae terris properabit olivae.

VIII. In secunda pegmatis elevatione, ad dextrum latus sub tabella, haec epigraphe, NEAPOLI ASSERTA; ad laevum sub

Digitized by Google

altera tabella, BARCINONE RECEPTA. Utrimque, in exteriori pegmatis acroterio, erecta erant duo ingentia tropaea spoliis hostilibus vestita, quibus adstat VICTORIA, altera manu Civicam, altera Lauream tenens : infra captivi sedent. Epigraphe : VALENCENIS LIBERATIS sub uno; sub altero tropaeo : CONDATO ET SANGILENIO RECEPTIS. Sub LEONE istud e Psalmo LVI : *Misit de coelo et liberavit me :* sub AQUILA ex eodem Psalmo : *Dedit in opprobrium conculcantes me.* Supra fornicem lateralem, qui podium Curiae spectabat, istud Flacci :

Rem gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Iovis, et coelestia tentat.

Supra fornicem lateralem, versus vicum DE BRAEYERYESTRAET, parodia ex Claudiano :

Haud indigna tibi, nec nuper cognita Marti
Austria, Progenies, et quae diademata Mundo
Sparsit Ibera Domus.

IX. In interiori porticus parte, quae panno purpureo vestita erat, a dextro latere spectabatur effigies PHILIPPI IV, ab altero effigies IOANNIS AUSTRIACI : in spatio autem medio, ista, publico Senatus urbisque nomine, gratulatio :

« Serenissimo et invictissimo Principi, IOANNI AUSTRIACO, » Philippi IV Hispaniarum Indiarumque Regis Catholici filio, » Belgarum et Burgundiorum Gubernatori, HERCULI IBERICO; » quod, post Neapolitanum Siculumque Regna, Ilvam insulam » et Tyrrheni maris portus, heroica eius virtute ductuque » a Francorum irruptionibus fortiter asserta, et Barcinonem » aliasque Hispaniae Tarraconensis urbes feliciter recupe- » ratas, Serenissimae Celsitudinis suae iubar in Belgicas

Digitized by Google

» provincias intulerit; ac Valencenas, victo in castris captoque » hostium Duce, profligato exercitu, a gravissima obsidione » liberavit; Condatum et Sangilenium ceperit, immanesque » Francorum, Belgio universo imminentium, conatus repres» sit; S. P. Q. Antverpiensis incomparabili eius virtuti, et » Serenissimae Celsitudini eiusque obsequiis devotissimus, » auspicatissimum adventum gratulatur. »

In inferiori pegmatis parte, in stylobatis expressi erant XII labores Herculis, encarpi (*Festones* Itali vocant) e copiosa lauro, bracteisque et lemniscis pleni, fornicibus et pluteis superioribus passim appensi, peramoenum pegmati universo conspectum et venustatem addebant.

X. Ut grata haec fuerint Principi non mediocriter erudito, in praesenti tamen Regii aerarii angustia, gratius multo fuit quod Civitas communi nomine obtulit donativum LXXX millium florenorum, levandorum sub censu annuo, ex schellingis braxatoriis solvendo; duplo scilicet amplius, quam Communitas dari consenserat ingredienti Archiduci Leopoldo: sub hac tamen iniquissima conditione, ut pateretur perferri decretum, quod iam inde ab anno superiori summa contentione urgebant duo urbis Membra, frustra contranitente Senatu: ut scilicet a solvenda accisia cerevisiaria nemo, sive ecclesiasticus sive laicus, exciperetur, nisi qui immunitatem obtinuisset de consensu populi: nam hic assumpserat sibi administrationem vectigalium, spreta Magistratuum auctoritate. Et Austriacus quidem, tantum non vi coactus, assensit; sed satis caro indulgentiam istam luit, Deo sic disponente, ut qui tam gloriosum ingressum habuerat, nulla deinceps re prospere gesta, variisque ac grandibus affectus cladibus, intra triennium revocaretur in Hispaniam.

XI. Pneumaticum ad musicam organum, quod iuxta maioris chori doxale praecipuis ecclesiae Marianae officiis serviebat,

Digitized by Google

et praecedenti seculo XVI semel flammis consumptum, iterumque ab Iconoclastis dissipatum fuerat, hoc XVII seculo, quo cuncta fere totius urbis opera magnificentius fuerunt restaurata, prae eo quod Praedicatores anno XLVIII elegantissimum erexerant, coeperat vilescere oculis Aedilium Marianorum : moxque cogitaverunt de novo, quo illud etiam superarent. Hoc vero scriniario atque statuario opere perfectum stetit anno LVII, quale nunc cernitur et pulsatur; fistulis etiam pluribus maioribusque instructum. In acroterio praesidet B. Caecilia, symphoniae totius moderatrix : pro qua in veteri organo eminebat Deipara cum Filio in ulnis, cuius brachium eo erat ingenio formatum, ut, ad certos organi pulsus mobile, subiecto populo benediceret elevata manus; eaque statua etiamnum servatur in proxima aeditui domo, perpetua veteris operis memoria; ubi per subtus pendentem funiculum eumdem gestum puelli manus format. Uterque minor in lateribus chorus, Venerabilis et Deiparae, in proprio cuique odeo proprium et loco proportionatum iam pridem habebat organum, ad singulares cuiusque Laudes pulsari solitum, satisque speciosum.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII XVI *Maii, Feria* IV *ante Pentecosten.* — Dom. Procopius de Lalain, Comes de Renneberghe. — Dom. Robertus Asseliers, Cancellarius.

CONSULES. — Domicellus Florentius van Berchem II. — XIV. Magister Gregorius Martens.

SCABINI. — Dom. Antonius Sivori. — Dom. Henr. van Halmale. — M. Ioannes Sneyers. — M. Melch. Haecx, *Pension.* — *Suff.* M. Aegidius Martens. — Dom. Alexander Goubau. — Dl. Io. Maria Charles. — Dl. Henr. vande Werve. —

Digitized by Google

Dl. Io. Antonius Tucher. — Dom. Pasch. Franc. vanden Cruyce. — Dom. Franciscus de Beiar. — Ioannes van Weerden. — Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Phil. Augustin. Cano. — Dl. Aegidius Happaert. — Dl. Paul. Fr. van Broeckhoven. — Hieronymus de Maeyer. — Andreas Mertens.

ARGUMENTUM.

I. Indicta a Statibus Brabantiae contributione, a qua nemo exciperetur, impotens sui plebecula, illam extorquet undecumque. II. Eademque violentia contra Postariam Regiam se erigit, pro sua nova Tabellariorum in Hollandiam Camera. III. Ita turbatis rebus cessant Iesuitae urgere consilium aedificandae pro Collegio suo ecclesiae, licet eo consentiret Senatus, et Societatis ius suum contra obsistentes probasset. IV. Edelherii per annos xxxiii Pensionarii obitus et epitaphium.

I. Exemptis a praefato decreto contributionis generalis quatuor Ordinibus mendicantium, Patribus Capucinis, et Domo Professa Societatis Iesu, aliisque nonnullis, idem sibi iuris esse praetendebat eiusdem Societatis Collegium, probatis ex suo archivo instrumentis probans, talem immunitatem sibi in principio suae fundationis a populo fuisse concessam : sed tam hic, quam Bruxellis, clausas aures inveniebant Collegiales Iesuitae, Cancellario iustitiam negante, et dicente ligatas sibi manus esse, quia certum erat nihil populo negare, metu gravioris mali.

Interim dicebatur Episcopus Roma obtinuisse excommunicationis Bullam contra talis decreti executores; sed eo nihil territi plebicolae ausi sunt ipsiusmet antistitis ad ecclesiam progredientis rhedam sistere, abducendos vi equos minati nisi solutionem polliceretur. Factum id mense Novembri, quando etiam furiosa plebs in nonnulla Monasteria solvere recusantium, praesertim muliebria, irrumpens, violenter effregit caldaria, in quibus cerevisia coquebatur. Aliis ergo vim

Digitized by Google

patientibus potius quam contravenire privilegiis suis, aliis violentiae cedentibus, etiam Iesuitarum Provincialis cedendum suis censuit, protestatus prius, quod sic extorta solutio nulli praeiudicio esse deberet sibi in futurum. Itaque pro solutione vectigalium, suo tempore praestanda (erat ea duodecim florenorum in singula capita) a Rectore oppignorati sunt reditus, quos Civitas Collegio pendere debebat. Episcopus autem, obtentis Roma quas dixi litteris, cum Brabantiae consilium consuluisset, responsum accepit, earum usu et publicatione abstineret. Ita elapsus annus est: quo vertente, cum vectigal ultro non solverent Iesuitae, Quaestoribus inhibita est redituum ad id oppignoratorum solutio, et isto et sequenti anno; quamvis Austriacus declarasset, Societatem eiusque Collegia, quoad immunitatem a vectigalibus, annumerandam Ordinibus mendicantibus. Habenda ergo Patribus patientia fuit, quoad e Belgio Princeps discederet.

II. Non stetit intra vectigalia ab ecclesiasticis exigenda popularis protervia, sed ulterius est progressa. Cum enim, ut patriae laboranti succurreretur, certam summam pecuniae, pro militibus alendis, Status Brabantiae decrevissent; eamque a caminis, quos in suis quisque aedibus habet, sumendam; nec Religiosos quidem volebant eo onere eximi. Hi vero cum se optima ratione suisque privilegiis tuerentur, eo tandem rem adduxere, ut Civitas ipsa obsecraret Episcopum, quatenus, evocatis ad se omnium Ordinum Praesidibus, peteret voluntarium subsidium Urbi, aere alieno gravatae; cui unanimiter omnes ea conditione assenserunt, ut tum Magistratus tum Episcopus testarentur, eam pecuniae largitionem non fuisse alicuius praecipientis imperio extortam, sed voluntariam, et absque ullo immunitatis ecclesiasticae praeiudicio, atque hac una tantum vice. Accessit interim ex parte dictorum Brabantiae Statuum onus aliud, quo auctum est frumenti ac vini

Digitized by Google

pretium, rerumque passim aliarum, ad vitam ducendam necessariarum. Civitati tamen perparum inde profectum est, quin potius damnum, cum ii quorum ius laedebatur, modis quibuscumque conarentur indemnitati suae consulere; ceteri vero, ipsorum exemplo, non magno scrupulo sibi ducerent fraudare vectigalia, quae iusto graviora esse querebantur. Tanta porro civium in Religiosos licentia cum in dies confirmaretur diuturna impunitate, plura in eos moliri clandestinis conciliabulis non sunt veriti, nimirum ut inter ipsos et cives omnimoda esset, sine ulla exceptione, onerum sustinendorum aequalitas; donec, usurpata perperam potestate intolerabiliter abusi, totam, ut infra apparebit, amiserunt.

Praeter haec, alia novi tumultus etiamque perniciosioris, occasio nata Antverpiae est, quando erecta in Mera est Tabellariorum nomine Civitatis constituendorum Camera sub quodam vanden Avyn; eo quod ipsam a se constitutam manutenere vellet Plenum Communitatis Consilium, Senatu supremo Brabantiae nequidquam prohibente, et partes tenente Generalis Postarum Magistri, per cuius tabellarios iam pridem destinabantur omnes in Hollandiam ceterasque provincias foederatas litterae, ad quas, durante bello, cessaverant proprii tabellarii commeare. Quanta autem ex hac contentione secuta sint mala, infra apparebit.

III. Per huiusmodi turbas suspensum haesit consilium Iesuitarum de aedificando templo, Collegii discipulis sexcentis suffecturo; qui hactenus cum magno Scholarum incommodo deducti fuerant, pro Sacro audiendo, ad unam Aularum Domus Anglicanae, ubi nisi unicum altare erat, quo neque Professores neque domestici Sacerdotes omnes poterant apto sibi tempore uti, sed alia per domum oratoria sibi quaerere cogebantur, in quibus privatim sacrificarent. Favebat quidem prolixe faciendo operi Magistratus, nec sine gravi Societatis commendatione:

Digitized by Google

quia tamen proprietas fundi, in quo Collegium situm et templum aedificandum erat, pertinebat ad Civitatem, adeoque sine totius Communitatis consensu peragi nihil poterat, factum est, instigantibus S. Iacobi Aedilibus, et Religiosis quibusdam Collegio vicinioribus, ut popularia duo Membra, propter negatum in accisias pendendas consensum plus satis irritata, suum hic vicissim consensum negarent. Interim evicerant Iesuitae in Curia Episcopali, contra praedictos Religiosos, ius suum aedificandi intra C.XL passus a suo monasterio, prolatis in contrarium Pontificiis Bullis. Plebis appellatio ad Curiam Brabanticam, pro sui quod illi praetendebant iuris manutentia, similiter facile everti poterat; sed iudicatum fuit tantisper supersedere negotio, donec Reipublicae affulgerent pacatiora tempora, modestiusque agere populus didicisset, dissipatis calumniis, quae contra Societatem spargebantur in vulgus.

IV. Quam partem in praedicto cum Principe tractatu, Religiosis tam praeiudiciabili, habuerit Edelherius, Civitatis Pensionarius, cuius officium erat eiusmodi causas agere, meminerint ii qui vivum noverunt minime amicum ecclesiasticorum. Non ideo tamen omiserim hic laudare virum, vere magnum, et sua eximia diligentia in Actis publicis evolvendis, de hoc ipso Annalium opere meritum optime. Legatur ergo hic eius epitaphium, quod in aede S. Iacobi ad primam columnam, chorum inter maiorem et Eucharisticum, tale invenitur:

« Hic terrae depositum suum reddidit IACOBUS EDELHEER,
» Toparcha de Hoogvunder (vulgo Sterkhof), e Nobili et
» Consulari a seculis apud Lovanienses stirpe; urbi Antver-
» piensi a Consiliis, et in causis publicis patrocinio, per
» annos XXXIII Syndicus primarius; inter delegatos Brabantiae
» Ordinis, recens Camerae bipartitae octoviratu, ex parte
» Catholicae Maiestatis, clarus: ut Doctorum si ullus cultor,

» sic ipsemet varie doctus, et elegantiarum omnium ingenio » et moribus compendium. Sexagenario maior ad plures obiit » anno M.DC.LVII, VI Id. Iul. » *Et subtus additur;* « Elizabetha » van Lemens, moribus et virtute egregia eius coniux, quinqua» genaria decessit anno M.DC.L. Viator, hinc non abi nisi piis » manibus bene appreceris. HH. M. P. P., » id est *Heredes moerentes posuerunt.* Nepotes scilicet ex Elizabethae fratre Lemensio; non tamen omnes : nam ex duodecim (quos ille genuerat, et oppignoratis leviro isti bonis omnibus, male consultus negotiator, pauperes reliquerat) duos dumtaxat adoptarat Edelherius, ceteris nihil favit : quibus tamen quomodo denique cesserit dimidia fere hereditas per insignem divinae providentiae simul et iustitiae lusum, operae pretium foret hic adscribere, si liceret salvo quorumdam honore, qui avertere alio conati sunt quod moriens heredum alter egenis fratribus sororibusque cedere testamento volebat.

A. C. M.DC.LVIII.

ARGUMENTUM.

I-X. Prodeunt Acta SS. Februarii in tres tomos distinctum opus, et Alexandro Papae VII, Gaspari Nemio, atque Andreae Cruesen, Cameracensi et Mechliniensi Archiepiscopis, dicatum. XI. Moritur Oirschoti cum magna opinione sanctitatis Mater Maria Margarita de Angelis, alias Valkenisse, Antverpiensis, Teresanarum ibidem fundatrix.

ACTA PRIORA.

I. Decem ab edito Ianuario effluxerunt anni, interim dum prosecutionis habendae moram non ferentes Hagiophili, aliique sacrae ac profanae historiae curiosi, non desinebant flagitare, ecquando tandem prodiret Februarius. Prodiit autem

Digitized by Google

huius anni vere primo, Sanctissimo ac Beatissimo Patri ac Domino nostro ALEXANDRO VII PONTIFICI MAXIMO, sic oblatus :

« Quod ad pedes beatissimos Sanctitatis Tuae prostrati » offerimus, de Actis Sanctorum mensis Februarii opus, » id dudum nomini Tuo honorique devotum fuit. Nam cum » adhuc in minoribus constitutus, legatione Apostolica Colo- » niae Agrippinae, ac deinde Monasterii Westphaliae funge- » reris, ita Tuae pietatis, sapientiae, benignitatis splendor » oculos atque animos hominum, qui illuc ex variis gentibus » ad solemnes Pacis tractatus convenerant, advertit rapuit- » que, ut ad nos quoque, dierum aliquot spatio disiunctos, » non fama solum, sed et gratissimi quidam radii pervenirent. » Ibi nos, qui pridem Sanctorum Actis conquirendis digeren- » disque insudabamus, rationem ita nobiscum inire : Qui » antea Ianuarium mensem URBANO VIII, Pontifici Maximo, » tomumque eius alterum Cardinali BARBERINO dedicassemus; » cui potius Februarium quam FABIO CHISIO inscriberemus? » Antistitem esse praeditum eximia religione, ut Sanctorum » res gestas libenter lecturus sit, cum curae publicae patien- » tur; insigni eruditione, ut aestimaturus operam, qua col- » lectum hoc consertumque est opus; summa facilitate atque » humanitate, ut minime aspernaturus eiusmodi sibi oblatum » munus, tenue licet, si artificium spectetur; si materia, » pretii ingentis. Ac, ne diu incerti haesitaremus, ipse, huius » adhuc nostrae deliberationis ignarus, ultro nos illustri illa » Tua benevolentia complexus es, litteris et benefactis fre- » quentibus testata. In his unum fuit, quod nos illico ad » Summi Pontificatus auspicium vertit. »

II. « Difficilis se nobis ad ipsum ingressum Februarii, » inque primo adeo Sancto, cuius essent Acta commemoranda, » CAECILIO nempe, Eliberitano in Hispania Episcopo, scopulus » obiecit. Reperta erant sub finem seculi superioris, in cavernis

Digitized by Google

» montis Illipulitani, prope Granatam, scripta quaedam et
» alia vetera monumenta, ossaque, etiam, ut ferebatur,
» S. Caecilii. Minime quidem illa nobis, ut a variis descripta,
» per manus hominum etiam nostrorum, iactabantur, probata;
» verum a plurimis gravissimisque scriptoribus Hispanis ita
» celebrabantur, ut obruendi eorum consensione atque aucto-
» ritate videremur : praesertim cum Archiepiscopus Grana-
» tensis, eo loco ubi haec erant refossa, basilicam aedificasse,
» et Canonicorum instituisse collegium diceretur. Quid age-
» remus? Assentiri variae nos, et, ut quidem censebamus,
» solidae rationes non sinebant : tantae turbae scriptorum
» repugnare, temerarium aestimari poterat : praeterire eum
» Sanctum haudquaquam fas erat, quem Hispani, etiam ante
» ea lipsana inventa, publicis Sacris essent venerati, Sancti-
» que Iacobi Apostoli discipulum praedicarent; nos ipsi a
» SS. Petro et Paulo Apostolis Romae Episcopum conser-
» vatum missumque in Hispaniam, minime ambigeremus.
» Hoc e scopulo, FABIO CHISIO duce, sumus erepti.

III. « Latum erat a Congregatione Sanctae Romanae Inqui-
» sitionis, Urbano VIII praesidente et approbante, decretum
» de hisce lipsanis et scriptis, quo variarum commentationum,
» ad eorum defensionem ac commendationem editarum, le-
» ctione omnibus interdicebatur. In Belgio tamen, ubi for-
» tassis minus id necessarium quidam videri volebant, vel
» quapiam alia ex causa, non erat decretum illud palam
» vulgatum. Coloniae autem, ubi eiusmodi Romanarum San-
» ctionum publicationi contradicere nemo solet, iussu Tuo
» publicatum est, et ad nos missum. Continuo, non absque
» Numinis providentia, ostensam nobis tempestive lucem
» profitemur, ac salutare illud Astrum CHISIAE gentis, cuius
» fulgore ea discussa a nostris oculis erat caligo, veneramur.
» Id nobis semitas Sanctorum, quas vestigabamus, ut per

Digitized by Google

» eas alios secure duceremus, aperuit ac collustravit. Visum » exinde nobis, posituram illius Astri in avitis vestris insi- » gnibus contemplari. Sex omnino Montibus imminebat. Quid » ni, inquimus, ut in summo aliquando rerum consistat » fastigio, et Romanae celsitudinis apicem teneat, unde Orbem » alma ista luce perfundat universum? Mons additur Septi- » mus : et in voto omen fuisse sensimus, cum deinde voluisti » ALEXANDER SEPTIMUS dici.

» Luceat diu feliciter Sacratissimum hoc Sidus..... ac » prospere septem illos, quos populus Quiritium inhabitat, » Montes, indeque Orbem illuminat universum. Eveniet (ne- » que enim oculi, aut non longe lateque conspici lux potest » supra illos posita Montes) : iamque adeo evenit. Fidei lucem » ad remotissimas etiam oras terrarum diffundis : qua ab » ultimo Septemtrione excita pertractaque Romam est, primo » Tui Pontificatus anno, celeberrimi nominis Regina; quam » aliunde viri plures Principes sequerentur, si diu optatae » pacis amoenissimus nitor, tetris bellorum turbinibus dissi- » patis, adlucesceret. Et admoves Tu quidem, Beatissime Pater, » conatum omnem ac sollicitudinem, ut dura Principum corda, » amicabili velut propitii sideris influxu, emollias. »

IV. « Interea lux quaedam nova sanctitudinis, ab exordio » Tui Pontificatus, velut ab sidere illo effusa, Urbem Sanctam » illustravit; inque orantium Ordinum hominibus, iis praeser- » tim qui Tibi intimius assistunt, novas quasdam pietatis » flammas accendit : atque ea res secundissima fama, per » longinquas regiones etiam haereticorum, divulgata, ho- » rum coryphaeos, diaboli ministros, errorum seminatores, » flagitiorum architectos, ita perculit, ut, cum non possent » famae, plurimis virorum illustrium firmatae testimoniis, » refragari; nec pro suo more quidquam de luxu vitiisque » Curiae Romanae comminisci, variis tamen locis suos e

» suggestu hortati sint, caverent etiam atque etiam, ne ipso-
» rum publica res, Satanae videlicet regnum, detrimenti quid-
» quam tali Pontifice pateretur. At multorum inter eos, quibus
» nondum omnino effascinata eorum praestigiis ratio est,
» longe alius est sensus.

» Verum quae his de rebus, deque omnium studiis virtu-
» tum, Te Pontifice, mirabiliter auctis, occurrunt, ita sunt
» multa, itaque illustria, ut, cum ea ne satis quidem idonee
» complecti cogitatione, nedum pro dignitate enarrare, verbis
» possimus, Ecclesiasticorum Annalium scriptoribus relin-
» quere cogamur. Alia nos Tui fortunati sideris defixos tenet
» admiratio, et sensu iucundissimae gratitudinis perfundit.
» Nam qua nos olim benignitate es prosecutus, eam retines
» etiamnum in illo supremo rerum culmine; ut inter augustas
» curas, quibus salus nititur orbis terrarum, nostri digneris
» meminisse; nobisque, hominibus profecto infimis, dici salu-
» tem curare, benedictionem impertiri, indulgentiam plena-
» riam in tempus mortis largiri; quaerere quo loco sit Februa-
» rius noster, quando prodituras. »

V. « Prodiit tandem, Beatissime Pater, et ad Sanctitatis
» Tuae pedes abiectus, ne se asperneris, sed solitae beni-
» gnitatis auram aspires, rogat. Gratulatur is merito sibi,
» quod ad reliquorum usum hominum progredi detur, Ponti-
» ficis Maximi auspiciis; ac talis Pontificis, qui Sanctorum
» honorem amplificare, sanctitatis sese exemplar subiectis
» populis praebere, ardorem sanctitatis adipiscendae in om-
» nium mentibus suscitare contendit. Nos, Sanctos omnes,
» quibus stylum vitamque devovimus, ut diu Beatitudini
» Tuae, et quam sanctae administras, Ecclesiae Catholicae
» praesidio sint, obtestamur. »

Sanctitatis tuae, *humillimi servi*,
Ioannes Bollandus, Godefridus Henschenius.

Digitized by Google

VI. Secundus Tomus *Illustrissimo ac Reverendissimo S. R. I. Principi*, GASPARI NEMIO, *Cameracensi Archiepiscopo ac Duci*, se sistit, sic praefando, et tarditatis causas succincte explicando: « Adit ad Te, Illustrissime et Reverendissime Princeps, » Februarius noster, sed subtimide. Non quia intuta itinera » formidet, cum secum eos trahat, qui olim et latronum » spreverunt insidias, et hostium castra securi penetrarunt. » Verum illud sibi sentit esse metuendum, ne ipsius incuses » tarditatem. Solebas enim, cum huius urbis esses Praesul, » identidem hortari nos, et non sine quadam, benevola tamen » et paterna, obiurgatione stimulare, ut coeptum opus accele- » raremus; ac sciscitari, ubi Februarius haereret? Quando » nos tandem ad finem totius operis perventuros speraremus, » si ita lente ab initio progrederemur? »

VII. « Probe equidem intelligebas, magnae profecto et » ingentis operae conatusque rem esse, ut quae ad Sanctos » pertinent, omnia perquirantur, digerantur, examinentur, ad » chronologiae topographiaeque probatos calculos revocentur, » cum vetustis ac subinde compluribus exemplaribus conferan- » tur, historiisque illius aevi, quo, quae narrantur, res gestae. » Sunt haec atque alia multa, quae una provideri debent, et » laboriosa et molesta, quae indocti quidem non perinde » aestimant, quod arbitrentur fortassis omnia in vetustis » codicibus uno veluti tenore contineri, ut describi solum » inde oporteat: neque illud pensant, quam vel ipsos codices, » in quibus nuda exstant Acta Sanctorum, difficile sit ex quo- » rumdam morosorum hominum (ne dicam Capitulorum quan- » doque et Coenobiorum) scriniis ac bibliothecis extorquere. » Non igitur certe quidem segnitiei residere in nobis culpam » existimabas; sed, ut desiderio Tuo quam citissime satisface- » remus, urgebas : cum unice optares, hoc opere nostro » Sanctorum amplificari honorem, piis hominibus lectionis

Digitized by Google

» utilissimae materiam, incentiva pietatis, omnium exempla » virtutum subministrari. »

VIII. Hinc progrediuntur Auctores enumerare Archidioecesis Cameracensis Sanctos, quorum respectu totum opus Antistiti carum sit, et esse merito debeat. Tertium vero Tomum inscribunt *Illustrissimo ac Reverendissimo Antistiti, Andreae Cruesen, Archiepiscopo Mechliniensi, Belgicae Primati*, sub hoc exordio :

IX. « Quando nuper, Illustrissime ac Reverendissime Antistes, ad nobilissimae Metropolis moderandas habenas » accessisti, in omnium Ordinum effusa laetitia, faustisque » acclamationibus, ne et nos eam Tibi gratulatum dignitatem » veniremus, ista potissimum obstitit causa, quod odiosam » rem facturos arbitraremur, si aut in turbam hominum cla- » rissimorum, ad sacram illam Tuam dextram manu osculo- » que contingendam properantium, nos temere ingerere, aut » exarata ad observantiam testandam epistola interpellare » Te eo tempore niteremur. Duximus igitur id satius ac Tibi » gratius fore, si potius quam solemni formula diceremus » bona verba, Deum tacite, ut Tibi honorem eum fortunaret, » essemus deprecati.

» Interea tertius de Actis Sanctorum mensis Februarii Tomus » nobis ad calcem pervenit : quem nos, ut Tibi novam hanc » dignitatem feliciter evenire nomine nostro optet, quantum- » vis sero, allegare non veremur, vel ideo, quod in eorum » numero Sanctorum, quorum illo mense Acta explanantur, » complures sunt gentiles Tui, Traiectenses nimirum Epi- » scopi..... quorum facinora partim factitata iam sunt a Te, » partim factitantur etiamnum. Primum Romam e patria » profectus es, ut in illis celeberrimis optimarum artium » auditoriis scholisque sanctimoniae, ad omnem scientiae » ac virtutis laudem exercereris; utque accuratissime eccle- » siastici Canonis normam omnem, ex illius honoratissimi, qui

Digitized by Google

» ullo umquam tempore toto orbe terrarum exstitit, Senatus
» integritate, sapientia, maiestate addisceres. In Noricum
» Tu quoque, ad Urbem Viennam, Caesarum Austriacorum
» Regiam, evocatus es; utque ad cetera deinceps munera
» amplior Tibi auctoritas accederet, Doctoris Theologi insigni-
» bus ritu academico ornatus; sacris in exercitu cum potestate
» praeesse iussus, Vicarii generalis titulo : ad varias interea
» legationes adhibitus, quas summa industria, fide, constantia
» obiisti. Postea Canonicatu in Metropolitana Cameracensi
» ecclesia a Ferdinando II Imperatore donatus, in Belgiumque
» reversus, varia exinde officia summa cum laude gessisti,
» etiam Generalis per totam illam Archidioecesim Vicarii,
» atque a Concilio Provinciali Romam ad Sedem Apostolicam
» denuo missus. »

X. « Ita per semitas Sanctorum inoffenso pede gradientem
» Ruremondensi Tiarae caput supponere, Archiduce Leopoldo,
» Belgii tunc Gubernatore, nominante, Innocentius X iussit,
» ut in illis veterum Masuariorum finibus, intra Dioecesim
» quondam Traiectensem ultra cisque Mosam late porrectam,
» sitis, sub Praesule, non Traiectensis quidem ecclesiae, Traie-
» ctensi tamen, velut illa heroicorum temporum sanctitudo
» dignitasque reflorescеret.

» Sed quod nobis ipso tempore, quo illius ecclesiae guber-
» nacula capessebas, vir maximus, Antverpiensis tunc Praesul,
» diserte praedixit, Te Ruremundae vitam minime finitu-
» rum; id vaticinationis non vanae vim habuisse nunc intelli-
» gimus; cum Te Rex Catholicus Metropolitam Mechliniensem
» nominavit, Alexander VII instituit. Ut nimirum in meditullio
» Belgii, quasique umbilico aut corde potius consistens, in
» reliquas eius partes Sanctorum dogmatum observantiam,
» quam Romae doctus es, diffundas, vigorem pietatis in ceteris
» velut membris excites, ac robur vitale ad vitia erroresque

Digitized by Google

» et ceteras pestes animorum persanandas adspires. Huc Te,
» Illustrissime Antistes, semitae perduxerunt Sanctorum, ut
» mirum nemini videri debeat, quod Tibi Sanctorum Acta
» grata fore arbitremur, quorum ita manifeste fulciris patro-
» cinio, excitaris tropaeis, aucturus aliquando numerum es:
» quod tamen, quo interea pluribus exempla curaeque Tuae
» praesidio hic esse queant, sero ut fiat optamus.»

Haec tibi, omissis Sanctorum, quae secutus ANDREAS fuit vestigiis, ex ipsorum historia petitis, satis futura, ut credo, lectori avido, relegere profectus istius nostri quondam Metropolitae, cuius memoria etiam Antverpiensibus in benedictione est. Nec minus id meretur, licet minus publice nota, ad hunc tamen annum pertinet, quia hoc anno pientissime mortua est Antverpiae nota Fundatrix Teresanarum Oirschotanarum, nunc Antverpiae commorantium, ideoque ad nos propius pertinentium; cuius hic historiam profero.

XI. Est Oirschotum municipium Brabantiae in tractu Silvaeducensi. Obiit ibi die v Februarii Venerabilis Mater MARIA MARGARITA DE ANGELIS, alias VALKENISSE, *Carmelitarum ibidem fundatrix*, ante annos LIII nata Antverpiae; de cuius sanctimonia vitae, et singulari spiritu precum, probe informatus Lambertus Vincent, Librorum Censor Lovanii, ad venerabiliorem eius memoriam imprimi posse censuit effusionem cordis super Psalmo LXII, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* cui Psalmo illa affectuose assueverat, ruminando haec praesertim verba: *In terra deserta, et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam;* dum scilicet considerabat, a Divino magistro suo Iesu Christo positam se sub dominio Acatholicorum, annis quatuordecim quasi solitaria vivens, in oratione continua et contemplatione divinae providentiae, sub cuius ignota sibi directione totam sese annihilabat. Huic eius spiritui inhaerens, anno M.DC.LXXX

G. de Metzer, Pastor in Leefdael, Effusionem istam, Teutonico rhythmo, viginti tetrastichis contento, panxit paraphrasistice discurrens circa omnes eius virtutes. Quae dum per piorum manus oculosque vernaculo canore procedunt, operae pretium censui, pro versu Latino, quem alius forsitan praeoptaret, dare hic ex Ms. Synopsin vitae, quam simplici stylo accepi a testibus oculatis, notitiam aliquam dare conatus sanctimoniae tantae, quantum credere suadet integritas corporis, et oleum inde copiose ac prodigiose emanans, quamdiu id supra terram habere sivit eorum incredulitas, quibus omnis veneratio impensa mortuis superstitio et idololatria aestimatur.

XII. Fuit MARIA MARGARITA orta honestissimis Antverpiae parentibus, *Philippo van Valkenisse*, huic civitati a secretis (aeque ac filius Andreas Eugenius, Mariae frater, in hisce Annalibus saepe citatus cum laude) et *Catharina van Dyck*, pientissima matrona; quae filiam luci editam XXVI Maii, post primum nomen in baptismo acceptum, secundo etiam die in confirmatione appellari Margaritam voluit, atque a prima pueritia sic illam instituit in Dei amore ac timore, ut iam tum saepe audiretur noctu ingemiscens; causamque gemituum interrogata, responderet inde eos procedere, quod doleret se non esse cum innocentia baptismali raptam e vivis, citius quam per aetatem posset Deum offendere; memorem iudicialis tubae, de qua S. Hieronymus auribus eius noctu diuque insonare solita, prout aliquando dici pro concione audiverat. Septennis collocata in Parthenone Ordinis Praedicatorum, illis Ducissae dicto, prope Oudergemium circa Bruxellam, sub cura suae ibidem materterae, Ioannae van Onchem; ostendit ei magno teneri se desiderio sacrae Communionis percipiendae: quam cum saepius a Confessario permitti sibi peteret, contigit hunc in consessu plurium Sanctimonialium narrare praeclaras res Regii Prophetae, praesente parvula, quae auribus eius

Digitized by Google

reverenter insusurravit, notabiles nonnullas circumstantias praetermittere. Hoc ille audiens, iussit ut ipsamet enarraret Davidis historiam, sicut in schola didicerat, pollicens desideratam saepe licentiam communicandi, si non haesitaret: sicut illa mox ad stuporem omnium fecit postridie; compos voti facta est. Communionis istius postea Oirschoti memor illa dixit sensisse sibi tunc ori instillari quasi mellis guttas, ita ut videri possit fuisse confirmata in gratia, siquidem sub exitum vitae humiliter fassa est, quoad castitatem adeo puram se esse, quam foret infans recens nata; neque unquam accidisse sibi eo in genere quidquam, quod ad Confessionem deferret; nec enim vel a patre suo patiebatur osculum aut amplexum, quamvis infantula; unde solebat mater marito dicere : Non poterimus hanc puellam mundo educere.

XIII. Ducebatur aliquando ad Theresanas quas Hispanas vocant, quia earum primae ex Hispania advenerant sub Venerabili Matre Anna a S. Bartholomaeo, S. Theresiae discipula; quae mox ut eam vidit, praedixit, a Deo ad magnum eius servitium Ordinisque splendorem destinari. Haec vero, aure non surda id capiens, mox eo sese aptare coepit, octavoque aetatis anno voto castitatis obstrinxit, quam ita constanter servavit, ut testarentur confessarii, nihil unquam ex ea audivisse quod impudicitiam saperet. Mortuo deinde marito, mater filiam secum duxit Lovanium, ut ibi filios duos, studiis vacantes, certius custodiret; illam vero, negotiorum causa saepe domo absens, collocavit apud Augustinianas, quas vocant Candidas Ursulinas, quae eam docuerunt mentaliter orare et passionem Christi meditari; huius sensu ita penetrari solitam, ut videretur ipsos flagellorum ictus toto corpore persentiscere et clavorum vulnera. Interim ex hoc mundo transiit etiam mater, filiam quatuordennem relinquens commendatam Matri

Eleonorae a S. Bernardo, Theresanarum Antverpiensium uni, quae, Conventum Mechliniensem regere iussa, petiit Mariam Margaritam ad se mitti, et cum assensu tutoris Domini Martini Schadbroeck, apud quamdam virginem devotam constituit. Extunc coepit puella ieiunare frequentius, flagellare corpus, aliosque rigores exercere; suum autem desiderium Religionis Theresianae ineundae, quod eousque matrem Eleonoram celaverat, confessario aperuit. Hic satis frigide id excipiens respondit, id aliquando fieri posse, si Deo videretur. Tutor vero, idem resciens, transmisit pupillam suam Nivellas, ad Domicellas Canonicas, apud quas nobiliter instituta, inter eas nihilominus valde profecit in devotione, praesertim erga Deiparam; mane quidem ecclesiam frequentans sub habitu ancillae suae, atque sub eo incognita per sesquihoram cor suum effundebat coram Deo; deinde vero regressa domum, habitu consueto induebatur, persolutura cum Domicellis Canonicabus Officia iis consueta. Hinc rediens et aliquando capellam S. Antonii transiens, vidensque huius effigiem inornatam, togam quam ea primum die induerat ex serico raso limbis aureis ornatam, clam exuit et sacristae dedit imagini istius Divi aptandam. Quamquam autem suavissima accederet Domicellis istis conversatio eius, ab ipsis tamen tristior semper regrediebatur domum, quia illarum secularibus exercitiis minus oblectabatur.

XIV. Eodem frequenter accedebat Abbas Montis Galaridi, tunc residens in Abbatia Orvallensi, Cisterciensis Ordinis, variarum ibidem conscientiarum rector; cui propositum suum aperuit Maria Margarita; ille vero divinitus illuminatus, futurum respondit ut voti sui compos fieret; unde valde confirmata Lovanium profecta est, actura ibi super eo negotio cum fratre, quem habebat inter Discalceatos novitium, annum tunc decimum octavum vel nonum agens ipsa; quaesivitque quem prae

Digitized by Google

aliis conventum eligeret, solum excipiens Antverpiensem, ubi consanguineorum frequentiores quam vellet visitationes metuebat. Ille magistrum suum consuluit; hic autem eum in finem Missam de Spiritu Sancto pollicitus, et Novitiorum omnium communionem; deinde responderi iussit Margaritae, ei omnino eundum Antverpiam esse. Ibi praedictae matri Annae sollicite oranti pro supplemento Conventus sui, sub tempus communis recreationis apparens S. Theresia, cum Maria Margarita ad manum, dixerat : Haec est Domicella, per quam plurimum Dei gloria augebitur; sicut ipsamet Anna, ad locum recreationis revertens, hilariter enarravit; et ad Novitiorum Magistrum revertens Margarita, ipso asseverante omnino eundum Antverpiam.

XV. Ecce autem infra ipsius Sanctae, quae tunc agebatur, Octavam, adfuit epistola Magistri novitiorum, commendantis mox venturam Mariam Margaritam, quae illius dicto simpliciter obediens in viam sine mora se dederat, quamvis per iter tantum animi corporisque tormentum patiebatur, ac si membratim discerperetur. Mox tamen ut ad pedes Matris Annae se prostravit, cessavit omnis iste conflictus; et puella cum habitu sumpsit nomen MARIAE MARGARITAE AB ANGELIS, XVII Novembris. Exhinc, aliud non intendens illa quam quomodo se compararet ad mortem, macerando corpus, coepit per hiemem subtrahere sibi partem necessarii operimenti, unde congelascere ipsam animadvertenti Annae, idque reprehendenti : sine, inquit, Mater, ut poenitentiis congruis expiem levitates pueritiae meae. Cito autem a Deo adfuit patiendi occasio : cum ligna ferunt, in hallucem pedis unum eorum cecidit, illumque sic attrivit, ut plaga in apostema procederet; unde difficilius gradientem videns Mater Anna, causamque intelligens, quaesivit num mallet sanari, an pati? Pati, respondit Novitia, si placet Maternitati tuae; nam qualiter alias expiabo secularis meae

Digitized by Google

vitae culpas? Verumtamen, Mater Anna pedem Cruce signavit, atque sanavit. Ita Novitiatus curriculum biennale absolvit Maria Margarita, quae ante eius finem aliud grave incommodum incurrit, ob quod remittendam ad seculum, S. Theresia Annae Matri apparens, retineri illam omnino iussit; unde ad gaudium commune sanata, professionem religiosam emisit die XXI Novembris M.DC.XXV, anno aetatis suae XX, eiusque Chirographo Mater Anna subscripsit: *Haec filia mea Agnum sequetur in aeternum; id quod manu mea firmo, soror Anna a Bartholomaeo, Priorissa indigna.*

XVI. Hactenus initium praefatae Synopsis, cuius coaevi auctores mox incipiunt describere peculiaria quaedam virtutis religiosae exercitia, pro quibus hic sint proposita eius manuscripta, die IV Octobris M.DC.XXXII. « Ego soror Maria » Margarita de Angelis, indigna peccatrix, propono: I. continuo » vivere in obedientia et dilectione Dei mei, nec momento vel » unico recedere ab eius latere aut beneplacito: parere » in omnibus et vivere sine propria voluntate, quae sola » me potest a fine meo abducere; vivere in castitate corporis » et animae, conclusam intra vulnera Sponsi mei Domini » Iesu Christi, spontanee me constituendo in cruce tolerantiae » contemptus, qualemcumque placebit Domino mihi immit- » tere, et fixam tribus clavis firmissimorum propositorum, » numquam scilicet excusandi me ipsam, qualescumque et » quantumcumque graves defectus mihi imponantur; II. nulli » creaturae narrandi iniurias mihi illatas; III. orandi pro » easdem inferentibus. Ut autem in hac Cruce non caream » vulneribus, sponte mea suscipiam quinque unita vulneribus » mei sponsi: I. sic vivere absque solatio ullius creaturae; » II. absque peccato ullo voluntario, quantum per Iesu Christi » gratiam in hac mortali vita fieri poterit; III. absque ulla » delectatione, quantum erit possibile; IV. absque murmure

Digitized by Google

» interiori vel exteriori contra proximum; v. in continua » mortificatione meorum sensuum, nec aliud unquam prae» tendere, quam bonum animae meae et proximorum, et in » omnibus imitari Dominum et Salvatorem meum Iesum » Christum, in Crucifixum.

XVII. Quam exacte haec proposita semper servaverit, omittunt auctores multis particularibus casibus confirmare : sed procedunt ad graves cordis pressuras et anxietates, ex consideratione iudiciorum tremendorum Dei, et metu aeternae damnationis, coepto statim post Professionem; quae tentatio ei per triennium fere duravit; superata est autem cum in oratione positae, et sic desolatae apparuit Venerabilis Mater Anna, ab anno et amplius defuncta, eo quo vivens solebat habitu; et hilari vultu assistens eius lateri, atque interius sic alloquens : *Noli timere, filia: semper eris mea, eoque pervenies ubi ego sum, et quidem intemerata: laetare autem quod ex numero electorum sis :* statimque liberatam illa se sensit. Permisit etiam Deus, ut horribilibus spectris eam terreret daemon, flagella quibus utebatur, sustineret iuberetque cessare a consortio communitatis : sed tandem victus est usu aquae benedictae, aspergens ubicumque spectabilem ille se offerebat.

XVIII. Sequitur quomodo a quodam religioso Sacerdote rogata trium hebdomadarum merita offerre Deo, pro salute cuiusdam animae periclitantis, id libenter annuerit; moxque senserit quasi pestilentes duos carbones in inguine, qui dolores ei intolerabiles causaverunt, et quia Tornaria, iussa interrogare an finem eorum postularet, id fuerat oblita; primum eo tormento fuit absoluta aegre post menses tres, quando idem Religiosus venit acturus gratias pro anima iam salvata. Postea animadvertens Maria Margarita, quod Sororum laicarum una haberet alterius manus digitos exulceratos totos,

Digitized by Google

facultatem a Priorissa petiit offerendi se Deo ad sustinendas aegrae vices; qua obtenta, altera quidem liberata mox est, ipsi vero recruduerunt priora duo in inguine vulnera; afflictaque iisdem cruciatibus fuit aliis quinque mensibus; per quos dum eam curaret Infirmaria, demirata est, quod nullus foetor sentiretur, vel ex ulceribus, vel ex linteaminibus ad pus excipiendum adhibitis. Interim Soror alia animadvertens, quod plura gravioraque pati identidem desideraret, suggessit solum opus ei esse Deum orare, qui continuo dolores augeret: quod cum fecisset, et poenis paene succumberet, humiliter se ipsam accusavit nimiae in tali positione praesumptionis.

XIX. Omitto plura alia eximiae caritatis et patientiae documenta, relata in Synopsi, et transeo ad Oirschotanam fundationem, cui initium dare Mariam Margaritam divina providentia voluit. Silvaeducensis Mercator, Silvester Lintermans, Neapolim profectus; ductaque ibidem et amissa uxore, unde filiolam unam sustulerat, regressus anno M.DC.XXXIV in Belgium, Antverpiaeque nonnihil subsistens, venit in notitiam Venerabilis Matris Annae; cui devote mox affectus, concepit desiderium instituendi, in propria sua Oirschoti domo, ad honorem Deiparae, Ordinis Theresiani Conventum, maxime si filia, iam aetatem consecuta, in eumdem se daret. Aderat plerumque eorum colloquio adiuncta ex more Ordinis, tertia Soror Maria Margarita, extra Silvestri conspectum tacita; cui numquam de facie visum, Deus distinctissime cognoscendum dederat, etiam quoad interiorem animae totius statum, insseratque pro eodem impensius orari. Quare petita semel eius alloquendi facultate, hominis affectum sic rapuit, ut, primo ad confessionem generalem inductus, cum eadem coeperit de proposita sibi fundatione agere, utque eius initiatrix fieri vellet. Respondit illa, citius loco suo dimovendam turrim Antverpiensem, quam hinc sese. Ipse vero solis precibus rem

acturus, Deo eam commisit; qui assentiri iussit: ni faceret, morte luituram comminans. Cum autem opponeret, locum obnoxium esse militaribus copiis ultro citroque commeantibus, in quo ipsa neminem, nemo Religiosas nosset: Ego, inquit, eo te ducam; ego et Silvestrum servabo, et instruam ut in omnibus tibi obsequatur.

XX. Infinitae nihilominus difficultates eorum consilio se obiecerunt: quibus tandem superatis, advenit Roma Definitoris generalis consensus in novam fundationem: quo accepto, Provincialis Brabantiae, P. Hilarius a S. Augustino, aegre Antverpia dimissurus Sororem Mariam Margaritam; cum autem is litteras Generalis supprimeret, apparuit ei Seraphica Mater Theresa, iubens eas continuo executioni mandare, et eam quae petebatur Vicariam novae Coloniae nomen dare. Nec inveniebat amplius daemon quod coeptis opponeret, praeter ipsius Lintermanni filiam, quae consensum in novam fundationem praefracte negabat, asserens nolle se Theresianam fieri. Tum moestum patrem solata nostra futura Mater, asseruit posse quidem daemonis coeptum opus aliquantisper interturbare, non item prorsus impedire. Post dies autem paucos, requisita iterum a patre puella, respondit nullatenus velle se pium eius consilium evertere, modo relinquerentur honesta sibi media ad vitam in seculo sub habitu modesto ducendam. Tali eius resolutione laetatus ille, decrevit omnino Oirschotum abire, suamque domum transcribere novae fundationi: ad quam cum pauculis sociabus Mater nostra discessit, munita salvoconductu Principis Auriaci, et deducente eas usque ad portam civitatis Provinciali, die xxi Maii, feria vi; Oirschotumque die sequenti, id est Sabbato, appulit; ubi mox coepta est manus admoveri operi, domusque in formam claustri componi. Dum autem Dominus Lintermans fabros adduxisset, clausuros murum horti, illique metuerent imminentem

Digitized by Google

pluviam : securos esse iussit Mater nostra, et illatum illuc est Venerabile Sacramentum a R. P. Vekemans, Augustiniano, loci Pastore, quem novis incolis Confessarium designaverat P. Provincialis, donec ex suis Religiosis proprium aliquem ordinaret.

XXI. Tribus omnino hebdomadis, quibus fabricatio tenuit, serenum prorsus coelum perstitit; et habitum suscipiente filia Lintermans, completum est somnium, quod pridem viderat Margarita, ante suum ingressum in Ordinem, Mechliniae commorans sub cura praefatae devotae Virginis, sese per angustam portam, secundum sepem corno textam, numquam ante sibi visum Monasterium ingredi, eoque ad manum ducere quamdam sedecim annorum puellam, colore subfuscam, quam tunc primum cognovit cum, secularibus exutam vestibus, habitu induit Carmelitano; sicut etiam cognoverat portulam et sepem corneam, secundum quam visa sibi fuerat ante tot annos ingredi. Completum etiam fuit piae cuiusdam congregationis visum, quae rogata pro successu cuiusdam gravis negotii Deum orare, id dum simul faciunt, conspexere e domo Silvestri quasi scalam Iacob attolli, per quam Angeli ascendebant descendebantque.

XXII. Longum esset enarrare, quibus pia Mater virtutum exemplis, quibus divinitus acceptis beneficiis novellam plantationem irrigarit; non solum verbotenus, sed etiam scripto colligens e sacris litteris sententias idoneas ad subditarum instructionem : verum Synopsis mihi submissa non ita ordinate procedit, ut commode reddi Latine possit ex originali : solum addo prophetico spiritu praedixisse ac revelasse futura multa, aut cordium secreta vel alias occulta. Tacendum tamen omnino non est, quod cum anno M.DC.XLIX Monasterii Westphaliae pax tractaretur, et Rex impetrasse diceretur ab Hollandis, ut Religionis Catholicae exercitium in eorum ditionibus

Digitized by Google

liberum esset, nocte in cella oranti apparuerit S. Ioseph vultu splendido, sed in lacero habitu, dicens ei : Noli rumoribus talibus credere; sed macte animo : ego iuvabo te : sed septem mensibus priusquam pax concluderetur, vidit in spiritu altaria omnia parochiae Oirschotanae everti, atque in ea concionantem virum, seculariter indutum; simulque inferri ad se ex sacello S. Catharinae imagines et ornamenta, quae illic fuerant; prout paulo post omnia contigerunt: et pia Mater transeuntem Praedicantem Calvinistam agnovit, ostenditque. Interim praesagiens novellum Conventum, in istis rerum ac temporum circumstantiis non diu duraturum (nam de eo dissolvendo subinde agitabantur ipso in Ordine consilia), aliquando quaesivit a coelesti Sponso, passurusne esset disperdi opus, in quo tantopere laboraverat illa; respondit autem Dominus : An putas huc te adductam, ut amplifices fundationem quam manibus meis porto, et non ut meum beneplacitum impleatur? Mihi eam curam relinque.

XXIII. Extunc ergo, abiecta omni alia sollicitudine, sese comparare ad mortem coepit per multam cruciatum externorum internorumque patientiam; solebat autem per mediam noctem quotidie excitari, et surgere ad orandum pro Ecclesia et peccatoribus, quando utcumque sinebant vires; idque subinde ambulando per Monasterium, dum istud tibiarum dolores patiebantur; eo quod diceret aptissimum illud esse tempus orationi. Tales poenas septem integris annis ante mortem tulit; postea accessit iis quotidiana febris per biduum et colici cruciatus, quindeno quoque die ingravescentes subinde tam vehementer, ut putaretur eadem nocte expiratura; postero tamen die surgebat quasi bene sana. Mirantibus deinde tam subitaneam mutationem : Verum est, inquiebat, quod heri perquam infirma fuerim; sed hac nocte Dominus misericorditer me respexit, misitque consolatricem S. Verenam : vos

Digitized by Google

in gratiarum actionem, legite pro me eius Legendam. Anno M.DC.LVI reperit illam Infirmaria perfusam lacrymis; quarum rationem interrogata respondit : quia ipsa nocte adfuerat sibi S. Petrus. Hoc vero cum illa assumeret in praesagium rediturae citius sanitatis : Non ita est, inquit : sed iussit ut me praepararem ad multo graviores dolores ferendos : sanata tamen bene valuït ad medium annum.

XXIV. Alias, cum post Communionem sacram, ferventiori affectu obtulisset se Deo in Sacrificium, ad perferendos cruciatus quantumcumque graves et diuturnos ipsi placitum foret immittere; pati rursus coepit dolores colicos, nec non pectore, stomacho, ac renibus, qui eam usque ad XV vel XVI Iunii sic tenuerunt, ut Religiosae assistentes inde morituram citius crederent. Convaluit tamen contra omnium opinionem, mirantibus cunctis, et curationem tam subitam miraculo adscribentibus : quod nec ipsa diffitebatur, quia in ista sui oblatione intellexerat, adventurum sibi gravissimum morbum.

Ab hoc an convalitura esset interrogata, respondit : eam se Deo habere reverentiam, ut id ab eo quaerere non praesumeret; quia totam se eius dispositioni remittebat. Anno deinde M.DC.LVII praedicti dolores sic invaluerunt, ut nullum amplius cibum admitteret stomachus, aut de strato surgere valeret : et mense Augusto ostendit se noctu daemon in forma aethiopis, iactans magnam sibi a Deo concessam potestatem contra ipsam, quam graviora adhuc sustinere oporteret. Sic autem plerumque apparebat ad pedem lectuli, sub horam quartam postmeridianam, vel circa vesperam, foetore vel strepitu aliquo praesentiam suam etiam aliis indicans, interim dum aegra pedum tibiarumque dolores imputabat puerilibus suis saltibus ac levitatibus, aut Deum Angelosque et Sanctos suos amanter invocabat, quasi derelicta ab eis; et mox seipsam corrigens plura et maiora pati optabat.

Digitized by Google

XXV. Dicebat aliquando : Ego in Cruce cum Christo meo morior : quanta autem perpetiar, nemo ante Diem iudicii intelliget. Colici porro dolores duobus mensibus duraverunt, quibus nonnihil cessantibus, et alterno tantum die recrudescentibus, adeo debilis erat ipso cessationis die, ut duae Religiosae non sufficerent ei tractandae, opusque esset identidem eam oblato vini odore recreari. Huiusmodi alterationes interpolabat frequentibus ex Psalterio suspiriis et iaculatoriis precibus, saepe indicans omnia totius vitae suae delicta interim tam clare obiici menti, ac si descripta videret in charta. Cruciatus et deliquia ista secuta est gravissima infirmitas in tibiis pedibusque, nullam diu noctuque quietem ei permittens, ita ut saepe exclamaret, videri sibi illos ignitis verubus aut cultris perforari : similiaque etiam nonnumquam patiebatur in brachiis manibusque, ita ut digiti prorsus obstupescerent, et flammis quasi infernalibus perstringerentur. Si tamen nonnihil remissius torquebatur, amanter querebatur, Deum quasi oblitum sui, qui ipsam cessabat exercere. Quaerentibus autem Religiosis, num adeo cito oblivisceretur dolorum paulo ante toleratorum, respondebat pepigisse cum Deo ne praeteritorum malorum meminisset, ut citius ad nova redire posset.

XXVI. Hoc in statu existenti cum daemon apparere desineret, coepit videre procedentes ante lectum Sanctos Sanctasque splendidius quam explicari posset exornatos; quantumque eorum aspectu oblectaretur indicare. Interdum etiam exclamans : *Francia, Francia, Anglia, Anglia! quanti mihi stetistis!* subinde autem patiebatur modicae febris accessum, quae in tertianam quartanamque mutata, horis viginti quatuor durabat, ac deinde horarum duarum molestissima tussis, quam inter iterabat aliquoties eiusmodi voces : o Iesu! numquid tandem aliquando venies? Non possum amplius. Verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat : auge dolores, adde patientiam.

Digitized by Google

Qui eam curabat medicus, in sua arte expertissimus, testabatur, per annos triginta septem talis exercitii nunquam in uno infirmo tantum malorum cumulatum vidisse : vix enim cessabat unum, quin succederet aliud, quaecumque adhibebantur medicamina, quorum ipsa nihil detrectabat aut nauseabat; sed omnia accipiebat ut passionem dominicae Crucis! Interim hilari semper vultu, agebat gratias ministrantibus sibi, seque eas reddituram pollicebatur de coelis magis quam in terris poterat. Cessantibus porro febribus, coeperunt in pedibus apparere vulnera; quorum dextrum cito coaluit, sinistrum vero intumescens videbatur quasi caput clavi formare.

XXVII. Febribus se remittentibus, coepit infirma in dies formosior apparere; numquam tamen magis quam in die Purificationis, II Februarii M.DC.LVIII, triduo ante mortem. Facies enim coelica quadam gloria videbatur fulgere, colore candens, labiis et genis rubens, ac si octodecim annorum puella fuisset, cum admiratione intuentium. Agebat gratias medicis pro fideli obsequio sibi praestito. Receptis eodem die extremis Sacramentis, petiit a Religiosis omnibus delictorum suorum veniam, nec non ab aliis quibuscumque, cogitatione, verbo et opere a se offensis, gratiasque egit Deo, quod moreretur filia S. Ecclesiae. III Februarii sudare coepit, et sudavit ad diem usque mensis quintum, quando plene compos mentis, inter quartam et quintam horam postmeridianam, Religiosis manui inserentibus Cereum benedictum, oculos aperuit, filiasque suas circum genuflexas intuens, oculos in coelum levavit, rursumque clausit, et absque alio mortis signo suavissime exspiravit, eodem die, quem ante menses aliquot praesignaverat Domino Lintermans, significans cito se morituram; cumque diem requirenti nollet eum distinctius loquendo contristare, iussit observare Patronum in sortitione menstrua proxime ipsi obventurum; obvenit autem S. Agatha, cuius

Digitized by Google

festum futurum erat. Simili prophetiae spiritu Sorori Infirmariae gratias pro obsequio agens: Nihil habeo, inquit, aliud, quod in mei memoriam tibi relinquam, praeter corpus meum quod, licet miserrimae peccatricis sit, cito floribus consperges.

XXVIII. Ipsa felicis istius transitus hora, locis variis apparuit lux, index beatitatis quam erat consecuta; videlicet Antverpiae eius fratri et Religiosae cuidam Falcontinae familiae, quondam notae, cum interna significatione tunc obitae mortis; item Mag. Henrico Gillis, apothecario Eyndhoviensi, solito defunctae in suis infirmitatibus ministrare, Oirschotumque ea causa venire saepius; tum autem in via positus cum famulo, conspexit Oirschoti exsurgere flammam lucidissimam, socioque dixit istic mori Matrem Mariam Margaritam. Fatebatur hic numquam sibi Oirschotum eunti, quocumque etiam hiemali tempore, aliam quam serenam auram obtigisse; id quod observantes convicani eius ad forum ituri, solebant observare diem quo ille Oirschotum ibat; nec sua spe umquam frustrari, qualiacumque indicia sese dabant tempestuosae vel pluviae aurae. Exinde tamen eidem Magistro Henrico ob eam mortem tantus relictus est dolor, ut eum, quidquid conabatur, non posset deponere; donec nocte quadam in strato decumbens, vidit ad lectum suum stare Religiosam quamdam Carmelitanam, quae cortinam levans ei dixit. Noli tristari ob mortem Matris Mariae Margaritae: illustris enim est in gloria Sanctorum. Animo autem recogitans qualis esset Sanctimonialis, quam viderat, nullam ex Oirschotanis agnovit; sed mane nescio quid in scrinio suo requirens, reperit effigiem Venerabilis Annae de Bartholomaeo, quam Mater Maria Margarita ipsi dederat, dicens: Custodi eam bene, quia alias usui tibi erit.

Plura, confirmatura opinionem vulgo conceptam de Sanctitate defunctae, alias fortassis in lucem prodibunt: et acta

Digitized by Google

post mortem, usque ad translationem corporis in Cathedralem Silvaeducensem, habebit lector curiosus anno M.DC.LXIII.

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Per litteras ex Aula XX *Aprilis, Dominica* III *post Pascha, actum* XXX *Martii.*

CONSULES *iidem.* — Domicellus Florentius van Berchem III. — XIII. Magister Gregorius Martens II.

In huius manus, XVII Augusti, in locum Domini Nicolai van Varick, Praetoris, defuncti VIII eiusdem, iuramentum praestitit novus Praetor, Dominus Ioannes vander Eycken, Toparcha van Hoogvorst.

SENATORES *iidem, nisi quod pro Hieronymo de Maeyer* †, *suff. Dl. Balthazar de Cordes.*

ARGUMENTUM.

I. Novae quaedam impositiones; inutiles in catenas per vicos tendendas sumptus. II. Electio Caesaris Leopoldi festive celebrata. III. Capucinas, aedificato Monasterio, Civitas in tutelam accipit. Francis per Flandriam impune grassantibus, instituta generalis et devotissima supplicatio. IV. Inchoatur Iubilaeum Eleemosynariorum. V. Gerontocomium Lanceloti fundatur.

ACTA POSTERIORA.

I. SUB hoc sic continuato Magistratu, executioni mandatum ac porro servatum est, quod ille III Maii decreverat, de charta sigillata (qua sola ad publicos quosvis actus contractusque civiles utendum esset) aliquo iure imposito gravanda : et similiter, die X Iulii, gravatum fuit oleum saccharumque ultra quam pendere consueverat, dum scilicet exquiruntur

Digitized by Google

modi omnes aerarii sublevandi; nec tamen cessat tumultuosa plebs quantovis impendio, praetensum suum contra Postariam regiam ius manutenere : in quo causa cecidit die II Septembris, quando a Senatu Brabantiae emanavit sententia, Civitatem condemnans. Multo autem prius quam haec emanaret, evicerant factiosae plebis capita, ut in omnem eventum decernerentur fabricandae catenae, quae in angulos platearum ad defixos ibi palos tendi possent, si qua vis inferretur : de quibus catenis stipitibusque invenit Valkenisse in Ms. A. fol. 232, impensa iisdem conficiendis figendisque fuisse octo millia quadringentos et quadraginta duos florenos, prorsus inutiliter, ut eventus docebit.

II. Interim cum LEOPOLDUS IGNATIUS, Rex Bohemiae, filius Ferdinandi III, Romanorum Imperatoris, superiori anno postridie Kalendarum Iuliarum defuncti, hoc anno, XVIII Iulii electus esset in locum Patris Francofurti ad Moenum, et I Augusti coronatus; magna totius civitatis Antverpiensis laetitia exceptus eiusmodi nuntius est; et die XIX eiusdem Augusti festivis per triduum ignibus coeptus celebrari. Sed talem laetitiam valde minuebant Franci, tota vagantes Flandria, post caesum Catholici Regis exercitum, etiam Brabantiae formidabiles. Ideo ad templum Cathedrale indictae ab Episcopo supplicationes sunt, tum a Parochiis singulis, tum ab omnibus Religiosis Ordinibus ducendae, assignata cuique die sua. Invitati quoque sunt Iesuitae, in similibus non soliti comparere. Hi ergo, qui de Collegio erant, progressi, assumptam secum, quam habent ex ligno Aspricollensi Deiparae imaginem, succollantibus sedecim Philosophis religiosis, extulerunt in throno valde specioso atque eminenti, altius etiam elevando si Basilicae Marianae portae altiores fuissent. Faces propemodum sexcentas praeferebant studiosi, in suas classes et labara distributi, quos per intervalla distinguebant sacra

Martyrum variorum corpora, linteatorum Patrum humeris sublata. Ultimus dies Domui Professae obtigit; quae vespertinam pompam, insigni tum pietatis tum splendoris specie adornavit; et sodalibus pluribus quam mille praelucentibus, inter Martyrum corpora, singula a Sacerdotibus, dalmaticam Diaconalem indutis, deportata. Pompam hanc claudebat Sodalitas Latina, ex Ecclesiasticis et Ordinis Senatorii Primatibus conflata, tum Patres linteati atque stolati, ac tandem cum suo Decano Canonici eidem Sodalitati adscripti, qui simile ac celebre Aspricollensis Virginis simulacrum ambiebant, ordine et concinnitate tanta, ut tota Civitas, effusa ad pium spectaculum, mire fuerit aedificata.

III. Ad CAPPUCINAS quod attinet, coeperant illae quidem, a die v Aprilis anni M.DC.LII, iacere novi sui monasterii fundamenta, loco praecommodo post ecclesiam S. Georgii, et initio quidem non magno molimine procedebat fabrica, eo quod pro fundamentis, veterum ab Albano destructorum moenium alte depressa iacebant sub humo initia. Sed opus ultra promoturae, tanto maiorem inveniebant difficultatem, quanto profundiores fuerant fossae, quibus moenia illa praecingebantur; tunc autem mera uligine leviter impletae inveniebantur, adeoque fistucatione operosa praeparandus erat fundus: id quod iuverit observasse, ad cognoscendum situm moenium istorum, ante annos non multos exstructorum, quando pro securitate novae arcis eadem fuerunt evertenda, et totum meridionale latus civitatis nudandum. Eadem difficultas se obtulit molientibus fundamenta claustri (DEN PANT); ideoque ad annum integrum suspendenda fabrica fuit.

IV. In festo natae Virginis Mariae primum Sacrum cantatum fuit apud Sanctimoniales NORBERTINAS, in earum ecclesia recens fabricata et consecrata. Anniversaria Dedicationis celebritas agitur mense Iulio, ipso die quo Cathedralis ecclesiae

Digitized by Google

Dedicatio recolitur. Eidem autem ecclesiae accessit anno M.DC.LXXVII ornatissimum sacellum B. HERMANNI IOSEPH, eiusdem Praemonstratensis Ordinis, cuius Reliquias piae Virgines Steinfeldia, ubi corpus requiescit, ante quadriennium obtinuerant, et mense Aprili festive exceperant.

V. ELEEMOSYNARII, die X Novembris, aperuerunt et celebrare coeperunt annum a prima suae Camerae institutione centesimum, edito etiam libello, cum panegyrico sermone tali occasione pronuntiato, variisque poematis, ad operis tam pii commendationem. Iisdem Eleemosynariis agentibus, petita et impetrata fuit amortizatio earum aedium, quibus ab insigni Soleae ferreae nomen erat, HET HOUFYZER, iuxta Domum Hassicam, emptarum ex testamento LANSCHOTTI, qui ita instituerat dictam Cameram haeredem bonorum suorum omnium, anno M.DC.LIV, die XII Ianuarii, ut vellet Gerontocomium fundari pro septem viris senio confectis, quod et factum est iuxta similem aliam domum ex Ioannis Verbiest testamento fundatam ab anno M.D.LV, sic ut utraque domus communi ad angulum sacello utatur.

A. C. M.DC.LIX.

ARGUMENTUM.

I. Ioanni Austriaco succedit Marchio de Caracena. II. Grassante peste exponunt Sodales Reliquias S. Rosaliae. III. Moritur ab Angliae Aula regressus Franciscus Wouters, Principi Walliae Carolo, ut antea Ferdinando II Viennae, Pictor domesticus et Camerarius. IV. Indicitur in singulos focos pecunia. V-IX. Fundatur S. Laurentii ad Kilam Parochialis ecclesia, eique a Iesuitis communicantur huius lipsana. X-XI. Acceptis aliunde Reliquiis S. Rochi, instituitur ibidem eius confraternitas.

ACTA PRIORA.

I. MENSE Martio in Hispaniam discessit Serenissimus

Digitized by Google

Princeps IOANNES AUSTRIACUS, eique in regimine Belgii successit excellentissimus D. LUDOVICUS DE BENAVIDES, CARILIO ET TOLEDO, Eques Ordinis S. Iacobi, MARCHIO de Francomista et CARACENA (quo ultimo nomine hic nuncupabatur), et die VIII mensis praedicti receptus Bruxellis ad iuramentum est, tamquam Belgii pro Rege gubernator.

II. Grassante autem per Civitatem pestilentia iam inde ab anno superiori, quo Domus professa unum alterumque, obsequio infectorum expositum, sacerdotem amiserat; et Sodalitas iuvenum Mariana duplex, una post alteram, suas S. Rosaliae Reliquias in eiusdem Domus Professae sacello cultui publico exposuerat, non sine peculiari Sacrorum cereorum et comprecationum frequentia, hoc anno exemplum imitati sunt Patres Collegii, in cuius vicinia prae aliis urbis vicis saeviebat malum. Igitur ipsi quoque exposuerunt in suo oratorio publice venerandam Sanctae illius statuam; persuaseruntque omnibus circumhabitantibus, nec non scholaribus eorumque parentibus in eius patrocinium nomina dare, sub solemni Sacro ad id decantato, cum Missis toto matutino tempore continuatis, et concione post meridiem. Ex eo autem die, in vico isto, ubi antea septemdecim contagione exstincti, triginta afflati fuerant, nemo contactus est, nemo etiam ex eodem Collegio; ubi tamen anno superiori iam dicto fuerant peste exstincti duo, sed eorum mors celata erat, ne a iuvandis in vicinia proximis varie laborantibus aut deterrerentur aut prohiberentur Patres, necdum auctoritate publica de periculo moniti.

III. Sub idem tempus, nescio an ex eadem causa, obiit celebris valde Pictor FRANCISCUS WOUTERS, Rubenii discipulus, qui in Aula Viennensi apud Ferdinandum II Imperatorem gratiose exceptus inter domesticos, eiusque Legatum comitatus in Angliam, illo sub annum M.DC.XXXVII defuncto, ibidem haesit apud Principem Walliae Carolum, postea Regem,

Digitized by Google

Camerarii titulo honoratus. Ibi ille aulae Principis istius ornandae plurima pinxit argumento ex poetis desumpto, ad genium Dominorum illic suorum, nudas scilicet cum Adonide Veneres deprehensamque ab Actaeone Dianam, similesque spurcitias, ea arte ut condiscipulum suum van Dyck aequare putaretur, et, aeque ac ille Titiani, nitorem proxime assequi. Cum autem religionis causa eo in regno arctior in dies fieret, volens eam maiori cum libertate tenere in patria, sanctioribusque argumentis aetatem impendere, rediit, ut dixi, Antverpiam, ubi fuerat anno M.DC.XIV natus.

IV. Die II Maii instituta est exactio focaria seu caminaria HET' SCHOUGELT, per quam collecta fuit summa quadraginta et unius millium florenorum, iuxta Registrum Ms. Civitatis, littera E signatum, a folio 261 usque ad 270.

V. Suburbii Kilani incolae, quorum vicinorumque necessitati anno M.D.LXIII se satisfecisse putabat Maximilianus Archiepiscopus Cameracensis, permissa ipsis capella cum fonte baptismali, coemeterio ac Sacellano ad missam uno vel pluribus, etiam Sacramenta in casu necessitatis administraturis, non diu frui quiete potuerunt. Quem enim sibi primum optaverant, expellendus inde propter haeresim fuit; et sectarii coeperunt eo ad conciones suas coire; denique ipsa capella funditus destructa fuit occasione arcis ab Albano erectae, et usque ad tempus reductae per Principem Parmensem ad Regiam obedientiam Civitatis, nulla Catholicis cura esse potuit reparandi deperdita.

Tandem autem, conclusis inter Archiduces et Foederatos Status duodenalibus induciis, cum spe earumdem in pacem perpetuam commutandarum, suburbiis nostris, eatenus male securis, quies esse coepit, et tuto licuit moenibus egredi. Tunc Kilani novam fabricare ecclesiam; S. *Catharinae*, veteri Patronae, dicandam exorsi, eiusdem muris ad iustam aliquam

Digitized by Google

altitudinem eductis, tectum stramineum imposuerant : sub quo Sacra fierent et administrarentur, a Sacellano Parochiae Georgianae subalterno. Patet hoc ex veteri Registro Baptismali illius loci, quod videre est apud Pastorem Parochiae Laurentianae, de qua mox.

VI. Favebat procul dubio Episcopus Malderus, sub cuius auspiciis praefati Kilani anno M.DC.XXI novam spem concepisse videntur obtinendae separationis, absolutionisque a Georgiana Parochia. Tunc enim Episcopus ille XXII Iulii sub fide suae scriptionis et sigilli : « Habuimus, inquit, vidimus et diligenter » inspeximus litteras, quondam Illustrissimi ac Reverendissimi » Domini Cardinalis Caraffae, sanas et integras, non vitiatas, » non cancellatas, aut aliqua sui parte laesas. » Sed exspirante citius Induciarum Hollandicarum tempore, belloque per alios viginti ac plures annos continuato, actum nihil est, nisi litigatum cum Capitulo. Causa autem in longum trahebatur, et S. Michaelis Praelatus (ut cuius ibi fundi plures essent), pertraxerat in suam partem Kilanum Magistratum, ceterosque ibidem fundum aliquem possidentes, vulgo GHELANDEN dicimus : nam hi omnes nomine incolarum veniunt, et ius Patronatus vindicabant in beneficium a se fundatum vel fundandum. Cum ergo et spes exigua esset rei cito componendae, et urgeret manifesta necessitas, arripuit occasionem aliunde oblatam Ambrosius Episcopus, et die XXVII Septembris, quando, post constitutum mense Maio armistitium, tantum non certa pax erat, hoc decretum condidit.

VII. « M. AMBROSIUS CAPELLO, Dei et Apostolicae Sedis gratia, » Episcopus Antverpiensis, omnibus has visuris salutem in » Domino.

» Cum salubriter a Sacrosancto Concilio Tridentino decre- » tum sit, ut in parochiis, in quibus ob locorum distantiam, » sive variarum (rerum) difficultatem, Parochiani sine magno

Digitized by Google

» incommodo, ad percipienda Sacramenta et ad divina officia » audienda, accedere non possunt, Episcopis earum, tamquam Sedis Apostolicae delegatis, commissum sit, ut novas » Parochias erigant, et certos limites pro iisdem constituant, » atque de Rectoribus provideant, qui curam animarum populi » sub iisdem limitibus gerant, et Sacramenta administrent : » cum etiam per praedecessores nostros Episcopos, tam Antverpienses quam Episcopos Cameracenses, ante erectionem » Episcopatus Antverpiensis, pro incolis de KIEL, BEERSCHOT, » HERINKRODE et MARCGRAVELEI saepe querelae expositae sint, » saepiusque provisum eisdem, tam per novam erectionem » Parochiae SS. Petri et Pauli atque Georgii, atque etiam » de KIELE, et a matrice ecclesia S. Mariae separationem; » neque hactenus satis provisum fuerit incolis, sub dictis » locis degentibus extra muros civitatis nostrae Antverpiensis, » ad quos periclitantes et infirmos de nocte non datur accessus, et de die tanta est distantia, ut per Pastorem S. Georgii » curae animarum provideri non possit. »

VIII. « Nos, de praemissis omnibus et singulis, et signanter de incommoda situatione dictorum locorum, satis superque et plene informati; attento etiam quod pia filia, *Victoria* » *Candida Tregnesia*, fundum offerat, situm in MARCGRAVELEY, » nuncupatum DEN VISPUT, magnitudinis undecim virgarum » et septuaginta pedum, et sumptus necessarios pro erigenda » ecclesia et coemeterio, loco commodo pro Parochia ibi » constituenda; accedente ad hoc consensu Decani et Capituli » ecclesiae nostrae Cathedralis, tamquam matricis Parochiae » dictorum locorum, sub conditionibus in erectione ecclesiae » SS. Petri et Pauli atque Georgii ibi reservatis; ordinaria » nostra atque etiam Apostolica, qua utimur in hac parte, » auctoritatibus praedicta loca DE KIEL, BEERSCHOT, MARCGRAVELEY et HERINKRODE, et quidquid extra muros hactenus sub

» Parochia S. Georgii fuit, ab eadem Parochia separamus,
» in novam Parochiam seu Vicariam perpetuam, sub matrice
» ecclesiae S. Mariae seu ecclesiae Cathedralis, deserviendam
» per Vicarium amovibilem, statuimus et confirmamus, in
» honorem *S. Laurentii, S. Catharinae et SS. Antonii et*
» *Sebastiani*; dantes universitati, incolis et habitatoribus
» dictorum locorum et suburbii, plenam et liberam pote-
» statem coemeterium, fontem baptismalem, campanile,
» campanas, ac denique alia iura et insignia notabilem
» Parochialem ecclesiam demonstrantia, aedificari ac instrui
» faciendi. »

IX. « Mandamus etiam omnibus Christi fidelibus utriusque
» sexus, incolis dictorum locorum, ut Vicarium per nos ibidem
» constitutum, et per Reverendos adm. Dominos Decanum
« et Capitulum nobis praesentatum, tamquam Patrem suum
» spiritualem reverenter suscipiant et tractent, Sacramentaque
» ac pastoralia officia ab eo postulent ac sumant; etiam inhi-
» bentes ne alterius Parochiae Pastorem pro suo recognoscant,
» illiusque in Parochialibus officiis, praesertim in solemni-
» zatione matrimoniorum, utantur opera, scientes imposte-
» rum, eum non suum, sed alienum Parochum futurum;
» et coram eo celebrata matrimonia irrita et nulla fore decla-
» rantes; assignantes dicto deservitori pro competentia cen-
» tum florenos annue, quos ei Reverendi adm. Domini
» Decanus et Capitulum mere et gratiose erogabunt; donec
» incorporatio Capellaniae in *Edeghem*, cuius ius Patronatus
» ad seminarium nostrum spectat, pro competentia dicti
» Deservitoris incorporandae, suum plenum obtineat effectum.
» Insuper dicto Deservitori cedent omnia iura pastoralia.

» Quam quidem divisionem seu separationem aliaque supe-
» rius decreta, ob omnibus, quorum interest, per provisio-
» nem posthac observari volumus, decernimus et mandamus,

Digitized by Google

» donec aliter ordinaverimus, et iure nostro dictorumque » Dominorum Decani et Capituli, et quorumcumque aliorum » in omnibus salvo. In quorum fidem praesentibus subscri- » psimus et sigillo nostro ac Secretarii nostri signatura com- » muniri fecimus. Antverpiae, in Palatio nostro Episcopali, » die XXVII mensis Septembris, anno Domini M.DC.LIX.

X. His litteris sic expeditis, deproperata sunt quae fabricae ipsi adhuc deerant; vitreae praesertim fenestrae, in quarum una ac praecipua hic titulus legitur : *Domicella Victoria Candida, filia Ioachimi Tragnesii, Domina in Angou, Fundatrix huius Parochialis ecclesiae in Kiel, fundatae anno* M.DC.LIX *D.D.* Placuit autem ut anniversarius Dedicationis dies esset Dominica infra octavam S. Laurentii : et quia collectis ex tot simul locis Parochianis, inter quos plus quam mille communicantes, angustior erat nova ecclesia, additum anno M.DC.LXXXIV fuit pronaon, cum duobus altaribus; et nihilominus de novo augmento rursus cogitatur. Ipsa vero nova Parochialis celebrior etiam est facta biennio post primum incrementum; quando Patres Collegii Societatis Iesu, soliti doctrinam Christianam ibi quothebdomadis tradere, ex suo sacrarum Reliquiarum thesauro, ad instantiam praefati Reverendissimi, communicarunt aliquas Reliquias ipsius Sancti. Hae autem, sub nova Episcopi nostri approbatione, eas maiori parte separantis, istuc, die XXIV Iulii, magna cum solemnitate prolatae exceptaeque fuerunt, et in eadem ecclesia collocatae : ubi ad ipsas magna est devotio, tam civium quam accolarum, a Sancto petentium et obtinentium auxilium contra ignem sacrum, doloresque dentium et oculorum.

XI. Anno deinde M.DC.XCVI, auctoritate Innocentii Papae XI, die XXV Octobris, ibidem multis cum Indulgentiis erecta est *Confraternitas S. Rochi*, propter valde notabilem huius Sancti partem eo illatam, et grandi ac praeclarae capsae inclusam :

Digitized by Google

ad quam ter quotannis circumferri processionaliter solitam, multo cum lumine, magna undequaque turba concurrit. Quod autem attinet ad capellam in *Edeghem*, cuius in Bulla erectionis fit mentio, eius incorporatio in supplementum competentiae Pastoralis, ut designatum erat, secuta numquam est. Sed Canonici Cathedralis ecclesiae Antverpiensis, ratione decimarum ad ipsos inde provenientium, solvunt Pastori annuos florenos quadringentos. Ex tribus etiam Missis quotidianis, quas piae memoriae Domicella Maria Martens fundandas suo testamento decreverat, iudicio supremi Senatus Brabantiae, per sententiam latam XXIV Iulii, anno iam praenotato M.DC.XCVI una addicta fuit praedictae Parochiae Laurentianae.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, XXII *Iunii, Dominica* III *post Pentecosten, actum* I *Iunii.* — Dom. Dux Arembergius et Dom. Cancellarius Asseliers.

CONSULES. — Dominus Henricus van Halmale VI. — XX. Magister Aegidius Mertens.

SCABINI. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — Dl. Henr. vande Werve. — Dl. Io. Anton. Tucher. — M. Thomas Nieupoort. — Dl. Ioan. van Weerden. — Dl. Florent. van Berchem. — M. Nicolaus Nuyts. — Dl. Phil. Augustin. Cano. — M. Antonius Maria Frarin. — M. Gregorius Mertens. — Dl. Aegidius Happaert. — Dl. Balthazar de Cordes. — Andreas Mertens. — M. Ioan. Baptista Greyns. — M. Cornelius de Man. — Dl. Maximilian. Baltyn. — Dl. Franciscus Rubens.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I. Publicantur induciae Hispano-Gallicae. II-VII. Invalescit civium contra Postariam pro tabellariis suis seditio. Violatur Magistratus; spoliatur Consulis Halmalii domus et Decanorum ambactalium quaedam: publicatoque nonnullorum ea de causa exilio, augetur tumultus. Huic sedando et domorum effractoribus dissipandis, utiliter allaboratur a Marcgravio et Senatu; opulentioribus interim res suas in tutum abducentibus. VIII-IX. Accurrit Gubernator cum exercitu, spe praedae, numerosiori quam vellet. X-XVI. Talis adventus causam publico manifesto exponit. Castrum ingressus cum Proceribus, iubet exilio damnatos tradi. XVII-XVIII. Hinc, et suburbiorum damnis territa plebe, rogatur abduci militem, et mitti qui causam reorum cognoscat. XIX. Ille multorum intercessione utcumque placatus, gratiam Civitati facit. XX-XXII. Tractata per otium coram Senatu et Delegatis causa, supplicium de nonnullis sumitur. XXIII. Definitur honorarium Marchioni dandum. XXIV. Gravantur ligna ad quinque in centum. XXV. Editur Chronica Gratulatio in Hispano-Gallicum matrimonium, et pacem conclusam.

ACTA POSTERIORA.

I. Die viii Maii publicatum est armistitium inter Hispanos et Gallos, cum spe magna proximae secuturae pacis durabilioris. Sed illa qualiscumque externa quies factiosos in urbe homines facit audaciores ad res novandas; non considerantes quod Gubernator novus, externo metu curaque levatus, compescendo, si quem suscitarent, motui tanto paratior foret, quanto impeditior inter bella magis urgentia decessor suus fuerat. Certe Comes Turenius, Gallicorum armorum Ductor, iam Regi suo conciliatus, contra quem antea fideliter ac strenue sub auspiciis Condaei Principis militaverat, audiens quid Antverpiae ageretur: O! si, inquit, paulo citius Antverpienses incepissent pro privilegiis suis manutenendis satagere, quam egregie eis auxiliatus fuissem! sed rationem non consulit, neque opportunitatem exspectat plebeia vesania.

II. « Ergo sub initium Augusti palam erupit, quae ab erectione

Digitized by Google

» novae Camerae Tabellariorum gliscere coeperat seditio :
» et contra sententiam Bruxellis latam in favorem Generalis
» Magistri Postarum, tumultuari Communitas coepit, tribus
» primariis opificum factionibus, Nautarum, Merciariorum
» et Textorum, praeeuntibus; quorum Decani bini et bini
» processerunt ad Postariam, indeque abstulerunt epistolas
» Hollandicas (idque praesente Apparitore Aulico cum insi-
» gniis Regiis, atque huius auctoritatem frustra interponente),
» et ministris suis tradiderunt destinandas per Civitatem.
» Eapropter ad sui expurgationem citati Bruxellas a Senatu
» Brabantiae sunt Decani sex, et notarii duo : contra quos
» die XXV Augusti pronuntiata fuit sententia exilii et confi-
» scationis bonorum; atque transmissa Marcgravio executioni
» mandanda. Hic haud vane metuens ac praevidens tumultum
» inde secuturum, ut quam minimo strepitu sententia ex
» podio Curiae, inflato de more cornu, publicaretur, ei actioni
» elegit diem XXVII Septembris, quando maxima pars vulgi
» egressura erat ad spectandum suspendium cuiusdam de
» equo abacto convicti, confessique. Cum vero inde rediisset
» ipse, et forum pene vacuum reperiret, fecit quod sibi fuerat
» imperatum; et publicatam exilii sententiam, ut erat impressa
» Gallice, ad fores Curiae affixit die XXX Septembris.

III. « Hac autem mox lecta a pueris qui aderant, coepit
» in vulgo rumor serpere et indignatio, dicentium, minime
» tolerandum esse quod viri honesti, interque suos primi, exilio
» mulctarentur, propter suum in manutenendis Civitatis pri-
» vilegiis zelum. Tum audacior ceteris uxor Decani Molyn,
» edictum avulsit laceravitque; eademque animante, interim
» in forum concurrit faex populi, furiali impetu Curiam irrupit,
» mactatura quoscumque de Magistratu reperisset. Curritur
» ad Cameram Collegialem ubi deliberabundi Senatores con-
» sederunt : muniunt hi sese obiectis ostio scamnis mensisque :

Digitized by Google

» perfringuntur valvae; trepidi Senatores qua possunt pro-
» fugiunt: nec solum periclitantur illi, sed quicumque intus
» erant paulo honestius vestiti, fustibus pugnisque tunde-
» bantur. Eo in tumultu Quaestori Schenaert caput laesum
» est, et Consulis Halmalii domus expilata, ita ut supellex
» tota passim efferretur per plateas et vicos, nemine prohi-
» bente; cum interim vilissimus quidam homo, cuius opus
» erat cultros forficesque plateatim acuere, consulari in sella
» residens, mandata daret, ac deinde a Curia in rhedam
» eiusdem Consulis, rhedario qui cum equis fugerat destitu-
» tam, ascendens, circum urbem volitaret; quoad rhedam
» trahendo lassata plebecula, eamdem in frusta comminuit,
» combussitque die medio, cunctis spectantibus. Accurrit ad
» furibundos compescendos Consulum alter, cum armata
» civium sibi iunctorum cohorte, nec dubitavit mandare ut
» sclopi in seditiosos exonerarentur; itaque vulnerati sunt
» aliqui: sed acrius accensus vulgus, vulsorum mox e terra
» saxorum grandine tam densa ipsum Consulem suosque
» sequaces impetit, ut recedere coacti sint. Quid autem Consul
» Halmalius? Bruxellam se contulit, de vi illata questurus;
» quod cum ipsi postea improperaret aliquis: Quid enim,
» inquit, fecissem aliud, quando vestrum nemo me reci-
» pere aut occultare domi suae audebat; ipsaque illa Gulda,
» cuius caput eram, et ad cuius in foro Cameram a Curia
» fugeram, abire compellebat, spoliari formidans; ob quam
» deinde causam duos, a quibus exesse iussus fuerat, officio
» suo movit. »

IV. « Die I Octobris, iterum concursu vulgi in forum
» facto, cum clamore magno, dum Senatus in Collegio,
» Membra Communitatis in Cameris quaeque suis consultant
» quid in hoc rerum statu fieri possit conveniatve: omnes
» denuo officinae et civitatis portae clauduntur, pulsaturque

Digitized by Google

» campana; ad cuius sonum affluentem undique populum
» arcere a foro impossibile fuit, stantibus licet istic ad cu-
» stodiam Guldis. Eapropter Senatus, intra duodecimam ac
» primam horam, iussit de podio publicari, impressisque
» et affixis per angulos platearum schedis notum fieri, quod
» Magistratus omni possibili modo conaturus esset persuadere
» Excellentiae suae, ut aboleret exilii sententiam latam contra
» Decanos, quos agnoscebant probos et honestos cives esse,
» omnesque alios quomodocumque vexatos aut mulctatos in
» integrum restituere, ac Civitatis privilegia salva conservare.
» Ad hanc publicationem statim omnis conquievit tumultus,
» ad sua quique se receperunt quieti, et Guldae, explosis ter
» sclopis omnibus, iam partae paci applauserunt. Eodem die
» Decani proscripti tota urbe se ostentarunt, quasi securi
» de sua indemnitate; et mox Bruxellas deputati sunt, qui
» peterent ratum haberi quidquid promiserat Magistratus.
» Interim reclusae portae sunt, dum responsum exspectatur;
» donec die VI invaluit rumor, responsum quidem venisse
» ab Aula (quod tamen nullum venerat) sed non quale exspe-
» ctabatur. Ergo iterum ad forum faex populi, iterum, mandante
» Magistratu, occlusae portae, pulsata campana, convocati ad
» arma sunt cives: ad quos ex podio inclinatus Marcgravius
» mandavit explosis sclopis vulgus abigere: quod, eo audito,
» conclamavit, e vestigio ad domum illius concurrendum.
» Irruentibus obviam in ostio se dedit Dominus Anselmo,
» filius Exscabini, Marcgravii affinis, protestans suam eam
» domum esse, non Praetoris, qui ibi solummodo manebat
» ut commensalis; totamque supellectilem suam, non illius
» esse. Hoc audito, ex protervioribus unus (dux enim nullus
» erat): Ergo, inquit, abeamus hinc : simulque omnes ad
» Postariam cucurrerunt; et nisi Thesaurarius Batkin illuc
» quoque cum turma armatorum ex Guldis properasset, domum

Digitized by Google

» iam coeptam lapidari funditus evertissent. Simili modo » abacti fuerunt a Domo Pensionarii Broeckhoven; et aliorum » quoque Senatorum domus bene munitas repererunt. Noctu » autem vigilantibus de publico praebebatur cerevisia, quanta » opus habebant, ligna quoque ad nocturnos focos.

V. « Die vii laboratum a Guldis est, ut in foro turbam » denuo congregatam compescerent: quae denique sub quin» tam vespertinam prorupit ad domum cuiusdam sutoris » in Via-nova breviori, qui dicebatur, pecunia emptus, con» sensisse Magistratui contra novos tabellarios: et missi ad » eam tuendam armati, negaverunt se tales nebulones defen» dere, qui pecunia fidem et rempublicam vendebant: itaque » domus illa tota spoliata fuit, et quidquid ligneum erat, ante » fores combustum. Inde itum ad domum pistoris IN DE » BOEKSTEGE, ad angulum plateae Antonianae habitantis; ubi » caverant, ne laederetur B. Virginis in angulo prostantis » statua, cum appendente ante eam laterna: et die viii violata » est domus cuiusdam fusoris aerarii, iuxta Annuntiatas; » quod ne etiam fieret in nova civitate, ei braxatoriae, cui ab » antiquis Leonibus nomen est, obstitere conglobati in armis » braxatores, numero, viribus, et concordia potiores.

VI. In Curia autem congregati cum Marcgravio Consules et Scabini ipsumque plenum Consilium, deproperarunt decretum, quam poterant cogitare efficacissimum, ad eiusmodi mala porro avertenda. « Prohibetur eo, ne quisquam praesumat, » praeter necessitatem, venire in forum, aut ibi subsistere » ad spectandum, sub poena xxv florenorum sine dilatione » ex superiori veste sumendorum aut detentione ipsius per» sonae. Similiter in aliis foris, plateis, aut viis nemo audeat » turbam ciere vel colligere, sub simili poena. Nulli pueri » audeant in plateis pugnare, iocari, congregari aliquo nota» bili numero, sub poena ab eorum parentibus magistrisve

Digitized by Google

» exigenda. Item cum fuerit pulsatum ad arma, iubetur ut
» compareant armati omnes in suo cuiusque quarterio, secu-
» turi mandata suorum Vico-magistrorum, Decanorum, Capi-
» taneorum, atque officialium imperium habentium, sub poena
» centum florenorum et arbitrariae correctionis. Eodem autem
» tempore omnes mulieres et ancillae, puerique, domi se
» contineant, neque in viam aut ante ostia prodeant: quod si
» contingat talium aliquem sclopo traiici, aut aliter laedi,
» nulla inde dabitur actio, sed sibi quisque imputet dam-
» num. Unusquisque, cum advesperascet, ante suam domum
» habeat congruum lumen, facularum, laternarum, aut alte-
» rius generis, idque tota nocte servet accensum, sub poena
» sex florenorum. Prohibetur etiam omnibus Guldarum aut
» civilium Vexillorum suppositis, seu die seu noctu, exonerare
» sclopum absque necessitate, sub poena xxv flor.. Declaratur
» insuper, quod omnis, qui vel nunc, vel postmodum, inve-
» nietur tumultum concitasse, aut tumultuantibus se coniun-
» xisse, habendus sit pro publicae quietis perturbatore, et
» ut talis plectendus capitali vel alia arbitrali poena, pro
» qualitate delicti. Prohibetur etiam omnibus Guldarum vel
» civilium Vexillorum suppositis, in locis vigiliarum et alibi
» seditiosos sermones serere, vel se ad vigilias invitum mon-
» strare, aliosve ab eo officio avertere, sub arbitraria corre-
» ctione, pro ratione delicti. Qui autem denuntiare poterit
» capita alicuius seditionis aut factionis, ita ut veniant in
» manus Iustitiae, ex parte Civitatis remunerabitur centum flo-
» renis. Mandatur denique omnibus Guldarum Decanis, Capi-
» taneis, Vigiliarum Magistris, eorumque officialibus et suppo-
» sitis, ut, sicubi eiusmodi seditiosos habuerint obvios, statim
» ab invicem separent iubeantque discedere, atque in detre-
» ctantes gladiis et sclopis utantur, nullius exinde damni
» periculo a Civitate subeundo obnoxii. »

Digitized by Google

VII. « Ceterum, quam haec prudenter provisa sunt, tam » fuissent inefficacia, nisi publico decreto auctorati fuissent » equites centum in duas turmas distributi, maiori parte voluntarii, ceteri uno in diem pattacone conducti, et vicos omnes » circumcursaturi evaginatis gladiis, et quoscumque maleferiatorum concursus dissipaturi, sub suo quondam Duce » Anglo HERTOP, quem vulgo Barbatum, DEN BAERTMAN, nun» cupabant. Toto etiam die Marcgravius obequitavit, cum » aliquibus de Magistratu, unaque Guldistarum turma pede» stri, inquirens per domos expilationum praedictarum su» spectos, et multos in carcerem compegit : qui plerique » tamen innocentes reperti dimissique cito sunt. Actum deni» que per Magistratum est cum Admirantio, id est navis ad » Scaldis custodiam armatae Praefecto, ab eoque obtentae » quinque turmae militum nauticorum, qui retro tribunal » in Burgo excubarent ad mandatum Senatus, in quemcum» que casum vocarentur, stipendio quindecim stuferorum » in diem conducti, cum proportionata Capitanei et Officia» lium mercede; iisque etiam de pane, caseo, cerevisia pro» spiciebatur ad victum. Denique mandatum est Capitaneis » XXXII turmarum civicarum, ex singulis auctorare ad eumdem » finem similique stipendio, viros XXX, qui ubique intende» rent, omnemque deinceps violentiam prohiberent. Ita ces» satum ab expilationibus domorum est : die autem IX exiit » edictum, quo iubebantur sub gravi poena ante solis occa» sum exesse peregrini, vagi et mendici omnes, neque » annum unum hic commorati, neque in vicorum registris » adnotati. »

VIII. « Interim qui remanserant Optimates (multi enim » subduxerant sese) tamquam orbae Civitatis tutores, adive» runt Ordinum Religiosorum Superiores, obsecraveruntque, ut Marchionem Gubernatorem Bruxellis adirent

» supplicabundi, dignaretur tanto malo obviam ire. Cum illis » consiliorum societate iunxerunt se Magistratus et Vicorum » Magistri, ac tandem etiam (qui tertium et infimum Reipu- » blicae membrum sunt, nunc autem potioribus imperitabant) » opificum Decani, saltem in speciem : nam (ut populare » omne regimen tumidum ac ventosum est) videbantur, tam- » quam innocentes, non velle accipere conditiones aequas » a Marchione, sed praescribere.

» Hinc Marchioni non solum dolor, sed etiam mota ira » est : quibus obsequi certus, inexorabilem se praebuit depre- » catoribus Religiosis; ad quorum sic reiectorum regressum » tota urbe trepidari coepit, multique curarunt res omnes » suas pretiosiores in tutum subducere ; exteri praesertim » mercatores ac Lusitani; adeo ut multorum opinio fuerit, » magnam opulentiae Antverpiensis partem tunc per castrum » evectam fuisse, Praefecto transitum dante, quae relata » sit numquam. Inter illos qui sua suosque ita subducebant, » erat Lusitanus quidam, prae ceteris nobilis et opulentus, » nomine Francofeo, qui dicebatur prolixe locutus cum » Marchione, ideoque certior ab eo factus credebatur periculi » imminentis, quamvis praetexeretur eas quas iste avehi » curaverat sarcinas, ad Oratorem Lusitanum pertinere. »

IX. « Accessit etiam aliud populo terrendo omen malum : » quod ille suspensus ante dies octodecim equi alieni abactor, » diceretur die xv huius mensis copiose sanguine fluere; ad » quod spectandum multi foras cucurrerunt, indeque augurati » sunt Decanorum suorum causam non esse bono in Aula » loco; sicuti re ipsa non erat, nec eorum civium ea causa » tumultuantium. Mali etiam ominis erat, quod cum, die » xviii, inter sextam et septimam matutinam, proxime ad » portam Georgianam, quae ceteris diligentius clausa tene- » batur, ad videndum sanguinolentum furem plebs turmatim

Digitized by Google

» excurreret sicut coeperat; apparuerunt sexcenti vel septin-
» genti milites, secundum fossam Civitatis tendentes Burger-
» holtum, unde mox fugere coeperunt rustici; et milites
» undequaque ad quinque vel sex millia collecti, vallo se
» munivere. Eodem die reliquus tam equitum quam peditum
» exercitus advenit, inseditque ripam Scaldis, non tantum
» Brabanticam sed etiam Flandricam. Quae autem ante Wer-
» vam solebat stare navis bellica, levaverat anchoram hora
» sexta matutina, et versus S. Mariae munimentum navigabat,
» ne quid huc advehi vel hinc evehi posset. Cum autem navis
» viatoria Bruxellensis huc reveheret Deputatos Civitatis,
» qui die XII huius illuc fuerant curru devecti, dixerunt, se
» multis bombardarum ictibus e ripa petitos esse, nec sine
» discrimine pertransisse. Hinc aucto magis magisque timore,
» Decani proscripti, qui hactenus in urbe palam remanse-
» rant, aliique, mali sibi conscii, clam subduxerunt sese e
» conspectu populi. Pharmacopaeus autem quidam, multis
» annis maximae in plebem auctoritatis, et nihil nisi privilegia
» crepare solitus, eaque semper exposita in abaco habere atque
» ostentare, cum tunc graviter aegrotaret, auditoque campa-
» nae ad arma pulsantis sono, intelligeret populum in sedi-
» tionem versum (citius quam ipse voluisset et iudicaverat
» expedire) efflavit animam; quod postea vix potuit persuaderi
» iis, qui vulgo notum populi oraculum ad supplicium
» quaesivere, et praesumebant per simulationem elatum funus
» commentitium fuisse. »

X. « Sub meridiem eiusdem diei XVIII, per portam meri-
» dionalem castri, quam Succursus vocant, illuc ingressus
» est Marchio cum Principe Condaeo Ducibusque Eboracensi,
» Glocestrensi, Arschotano; Legatis item Hispanicis, Alfonso
» de Cardenas et Stephano de Gamara, ac paulo post illos
» Praeses Consilii Secreti Hovines, cum aliquot Senatoribus

Digitized by Google

» tam ipsius quam Brabantici Consilii. Tum misit Marchio » binas litteras Magistratui et Sculteto, expeditas a Senatu » Brabantiae die xvii Octobris; quorum unis, ad Scultetum » directis, ipse iubebatur tradere praedicto Senatui exilio » damnatos; sin autem imparem se tali executioni sentiret, » imploraret auxilium Magistratus; cui super ea re scriptae » erant litterae aliae, mandantes ut Sculteto manum armatam » porrigeret ad effectum iam dictum..... Simul etiam mitte» bantur Magistratui, una cum litteris aliis, complura exem» plaria declarationis, exponentis causas, quibus motus Mar» chio armatus ad civitatem venerat. »

Meretur ipsa ex Flandrico hic Latine legi, utpote ante acta distinctissime exponens hoc tenore :

XI. *Don Ludovicus de Benavides, Carillo et Toledo, Marchio Fromistae et Caracenae, Comes Pinti, Locumtenens, Gubernator et Capitaneus generalis Belgii, Burgundiae etc. Omnibus has visuris salutem.*

« Quamvis notum sit omnibus ius constituendarum Posta» rum esse Regium, suamque Maiestatem ipsum iam pridem » pacifice possidere per omnia regna sua, etiam in hisce » Provinciis, nihilominus Antverpienses aliqui nuper prae» sumpserunt illud sibi usurpare, suaeque Maiestati de facto » impedire. Licet autem licuisset supremae suae Potestati » eiusmodi temeritatem per se ipsum fortiter reprimere, etiam » per edicta Archiducum Alberti et Isabellae, gloriosae me» moriae, ab illius Civitatis Magistratu publicata iam inde » ab anno M.DC.XV; non vult tamen actus suos iuriumque » conservationem aliter quam via iustitiae procedere, in eoque » dignatur suis subditis aequiparari. Quapropter eius Pro» curator generalis in Ducatu Brabantiae, hoc in casu con» fugit ad Cancellarium Hominesque Consilii in eodem Ducatu » ordinati, tamquam ad iudicem ordinarium, iuratumque

Digitized by Google

» ad conservationem iurium ipsius ducatus et iustitiam red- » dendam omnibus eius subditis; conclusitque ad cassationem » attentatuum et sententiarum super iis latarum contra prae- » dictum Regium ius Postarum; et consequenter ad declara- » tionem adiudicationemque iurium, inde sibi, ut sustinet, » competentium. Ad hanc Procuratoris generalis petitionem, » cum idem Consilium ordinasset audiendam esse partem, » saepiusque prohibuisset, quidquam ultra tentari, idem ille » Magistratus eisdem prohibitionibus, tamquam pars legitima » et tutor iurium praedictae civitatis (cum debita tamen inter- » dicti reverentia) in iure se opposuit: Decani autem Amba- » ctorum, maiorem supra ipsum Magistratum auctoritatem » sibi arrogantes, prohibitionibus illis nihil detulerunt; quin » via facti pluries turmatim concurrerunt ad Cameram Posta- » rum, auferentes inde litteras per Regios cursores allatas ex » Hollandia, easque fecerunt deferri ad Curiam vel Cameram » Tabellariorum suorum, sub praetextu exequendi mandata » et ordinationes Magistratus vel resolutiones Camerarum » suarum, contestata iam lite factas controversas: super qui- » bus dictus Procurator generalis concluserat. »

XII. « Cum vero lis illa eo iam esset adducta, ut proxime » decideretur; et idem Consilium pro suo officio ordinasset, » ut Magistratus liquido demonstraret id quod iactabant privi- » legium, possessionemque constituendarum Postarum, et » neutrum fieret; Decani autem persisterent in manutenendo » praetenso suo iure constituendi formalem Postam in Hol- » landiam: una cum suo Magistratu sollicitarunt decisionem » litis. Itaque die II Decembris praeteriti M.DC.LVIII secuta sen- » tentia est, et per eam Maiestati suae adiudicatum ius Posta- » rum, declaratumque est, quod Civitati non liceat Postas » constituere, vel tabellarios ad Postam cursuros; salvo » tamen expresse veteri iure Magistratus, ad suos consuetos

Digitized by Google

» tabellarios, equestres vel pedestres, iuxta sententias latas » annis M.DC.XI et LVII. Tali sententia insinuata parti XIV De- » cembris praedicti, oportebat Decanos illos desistere a coe- » ptis. Perrexerunt tamen quotidie auferre litteras a Postaria, » atque ad suam Tabellariorum Cameram deferre, et inde » distribuendas mandare, eosdemque tabellarios suos in mo- » dum Postarum destinare. »

XIII. « Huic scandalo volens occurrere Magistratus, et » avertere incommoda inde bonis civibus secutura, Illustrissimo » Principi Ioanni Austriaco supplicem libellum obtulit super » facto, per praedictam Consilii sententiam deciso : ad quem » libellum ille respondit, quod, cum causa Postariae iure » decisa sit per ordinarium et competentem iudicem Provin- » ciae, ad instantiam ipsiusmet Magistratus, non posset hic » ignorare, quod in potestate Gubernatoris non sit, in eo » quidquam mutare vel alterare, iuxta Privilegia Brabantiae, » primumque articulum Laeti Ingressus, nisi per eamdem » iustitiae viam; quae in isto casu nulla supersit alia quam » Revisionis. Si tamen Magistratus credat inveniri posse me- » dium aliquod, quo cum bona partium gratia tollatur diffi- » cultas, libenter se consensurum ut id tentetur: quem in » finem Commissarios etiam suos mitteret. Hoc responsum » usquequaque gratiosum, utpote ostendens hinc viam iusti- » tiae rectam, inde amicae compositionis medium, Mem- » bra tamen dictae Civitatis ipsas contempserunt, neque » alterutram voluerunt inire. Hinc Procurator generalis, » praevenire volens tam publicam vilipensionem sententiae » in Senatu ultimatim latae, coactus fuit ab eodem Consilio » postulare executorias sententiae, II Decembris praefati latae; » quibus tamen priusquam uteretur ille, scripsit Consilium » Magistratui, notificans ei decretas executoriales; quatenus, » praemonitus, disponeret omnia ad complanandam ordinariam

Digitized by Google

» iustitiae viam. Exhinc Huissarii Senatus inhibuerunt curso» ribus Regiis posthac litteras suas, earumque bulgas portare » ad Cameram Tabellariorum Civitatis, easque iusserunt » ad Postariam deferri, inde, ut moris est, distribuendas. » Verum hic omnis conatus inutilis fuit, eo quod complures » Ambactorum Decani, non obstantibus insinuationibus et » inhibitionibus, sibi per Suae Maiestatis Apparitores nomi» natim factis, cum utrorumque contemptu, perrexerunt » violenter auferre litteras praedictas, idque per plures con» tinenter dies, magno cum populi concursu, eousque teme» ritatis progressi ut etiam Huissario, executionis directori, » insinuarent protestationem, ex parte tertii Membri Civitatis, » contra executionem ipsi demandatam. »

XIV. « Hac tamen diuturna obstinataque renitentia aggra» vata particularibus quoque et scandalosis circumstantiis » eodem accedentibus, cum inexcusabile delictum comple» ctantur ex parte eas committentium; Procurator generalis, » ex debito officio suo, egit contra aliquos Decanos et incolas » dictae civitatis, eosque criminaliter persecutus est coram » dicto Consilio, iudice executoriali; requirens provisionales » citationes personarum accusatarum. His autem non com» parentibus, secutae sunt aliae litterae comprehensionis et » proclamationis, intra quarum terminos parati eramus in» ducias sex dierum largiri. Cum autem Magistratus et Membra » Civitatis Nobis supplicarent, ut Commissarios a D. Ioanne » designatos huc transire iuberemus, respondimus illis, quod, » quando sententiis, decretis et provisionibus iustitiae, a » Consilio emanatis, detulissent debitam observantiam, viam» que iuris inivissent, si se deinde in aliquo gravatos existi» mabant per praedictam sententiam, cui error aliquis inter» venerit, tum libenter daremus locum vero conatui ad » ineundam cum partibus laesis concordiam, secundum

» commissionem a Domino Ioanne ordinatam. Verum cum » huiusmodi declaratio, conformis menti dicti Principis, non » potuisset illos ad sui respectum permovere, tandem Senatus » in XIII Augusti tulit sententiam exilii et confiscationis bono- » rum, tamquam contra exclusos et non amplius in iure » audiendos : enuntiatio tamen eiusdem sententiae dilata est » usque ad diem XXV, quo eis plus temporis daretur redeundi » ad officium suum. Postea quoque, ad confiscationem prae- » dictam certiori effectui mancipandam, censuit Consilium » publicandum affigendumque decretum, quo iubebantur con- » demnatorum bona denuntiari : cuius tamen decreti publi- » catio, ad intercessionem Magistratus, dilata est, quamvis » sententia exilii et confiscationis fuerit ipsis insinuata die » XXVII mensis praedicti. Ipsis autem supplicantibus a sua » exclusione relevari, hanc quoque gratiam fecit Consilium, » cum variis prolationibus, quas etiam auctoritate et cle- » mentia propria ipsis indulsimus. Tandem tamen, cum mul- » tiplex illa indulgentia terminorum productorum nihil pro- » ficeret, constrictum Consilium coactumque fuit, non ultra » differre affixionem schedarum praedictarum; nec volens » scandalo isti publico diutius connivere, mandavit Sculteto » et Magistratui ad publicationem et affixionem dictam pro- » cedere; quod et factum est, ut nomine et mandato Suae » Maiestatis. »

XV. « Debuissent haec apud omnes bonos subditos valere; » turba tamen populi magna in foro collecta est ante Curiam, » eaque conscensa, repertum istic Magistratum pessime habuit, » coegitque talia, qualia volebat, decreta condere et publicare, » ad cassandas praedictas sententias: attribuendo ea ratione auc- » toritatem Magistratui ipsi Consilio superiorem. Neque eo con- » tenti, post Consulem Halmale indigne tractatum in Curia, do- » mum eius funditus expilarunt, nec non alios de Magistratu,

Digitized by Google

» et Quaestorem periculose vulnerarunt; coegerunt etiam
» cives omnes multis diebus ac noctibus vigilare et manere
» in armis, negotiaque et commercia sua intermittere, item-
» que variorum Decanorum domos exspoliarunt. Denique,
» ad complementum insolentiae suae, detinuerunt intra Civi-
» tatem, insontesque declaraverunt in publico suo conventu
» praedictos exiliatos, eosque tolerant et retinent adhuc contra
» praedictas sententias; atque haec omnia sub praetextu privi-
» legiorum, quae numquam potuerunt producere talia, quae
» valerent casu praedicto, quaeque debuissent in iure produ-
» cere secundum declarationem Statuum Brabantiae, ipsis
» insinuatam; sed in propria causa et Suae Maiestatis ius
» attinente, praeter omnem iustitiam, voluerunt esse Pars
» et Iudex, nihil deferentes sententiis Consilii, ad cuius
» tamen arbitrium appellaverant iidem Status Brabantiae
» anno M.DC.LVI, tamquam ad iudicem in negotio Postariae
» et erectionis Camerae Tabellariorum Civitatis. Ista porro
» omnia sic peracta, Cancellarius et Homines praefati Consilii
» ex sui officii debito ad Nos detulerunt, annuntiantes, quod
» alium modum nullum nossent manutenendae iustitiae ordi-
» nariae, quam quo hactenus usi fuerunt; quodque, nisi
» aliter provideatur, supremae iustitiae auctoritas in dicta
» Civitate penitus sit proculcanda. His autem omnibus matura
» deliberatione expensis in Consilio, desuperque requisita
» sententia Cancellarii Brabantiae Hominumque suorum, nec
» non Consilii Status aliorumque principalium Ministrorum
» in hac Aula residentium, notum facimus, quod ad dictam
» Civitatem copias aliquas militares destinavimus, non inten-
» dentes hostilitatis quidpiam contra ipsam exercere, aut vim
» inferre in praeiudicium privilegiorum suorum, quae volumus
» semper custodire; sed, in casu praecisae extremaeque neces-
» sitatis, manum fortem praebere iustitiae, ad executionem
» senten tiarum a Consilio Brabantiae emanatarum. »

Digitized by Google

XVI. « Ut autem, si possibile sit, etiam nunc declinemus
» viam istam, per hasce mandavimus Magistratui, quemadmo-
» dum etiam nomine Suae Maiestatis mandavit Consilium
» praedictum Brabantiae, citare atque adstringere Hooftman-
» nos, Decanos, aliosque Officiales et suppositos Guldarum,
» immunes et non immunes eiusdem Civitatis, Maiestati Suae
» praestito iuramento obligatos, arma sua sine mora impendere
» executioni praedictae, tradendo ipsi Consilio praedictos
» reos et exilio damnatos; ut, septem vel octo ex praecipuis
» praefatae seditionis auctoribus, per competentem iudicem
» prompte castigatis, et iis quos spoliaverunt maleque habue-
» runt, restitutis in integrum, possimus supersedere armis
» ad id paratis. Quod nisi fiat, protestamur et declaramus,
» quod ipsis imputari debebunt incommoda omnia, processura
» ex usu istius extremi remedii, quod semper, quantum in
» Nobis erit, curabimus evitare. Ad ulteriorem porro execu-
» tionem iustitiae, quatenus opus erit, mandavimus Hominibus
» istius Consilii Nos personaliter sequi; ut per ipsos iudicetur
» executionique mandetur id, quod singulis in casibus con-
» veniens erit; salvis semper Privilegiis Ducatus et Civitatis,
» et intendendo dumtaxat impedire perturbationem, aliquot
» abhinc annis in dicta Civitate visam gliscere, ad ruinam
» commercii, in quo unice fundata illa est; et veterem
» politiam inibi restituere, per quam reflorescere negotiatio
» possit, coercitis seditiosis conantibus eam subvertere : quia
» si permittantur illi radices figere, aliud nihil producere
» possunt quam generalem bonorum oppressionem. Istis autem
» curatis, poterunt omnes, in praesentiarum Antverpiae com-
» morantes, securi vivere, absque metu ulterioris alicuius
» inquisitionis criminalis, causa praeteritorum delictorum.
» Actum Bruxellis, XVII Octobris M.DC.LIX. *Sub fide.* C. H. V.
» *Subscriptum:* Marchio Comes de Pinto. *Inferius:* de mandato
» Suae Excellentiae. *Subscriptum* : VERREYKEN. »

Digitized by Google

XVII. « Conveniens ergo Magistratus super acceptis litteris. » decrevit convocandam Communitatem; eaque consentiente, » statutum est Dominica die xix mensis, ut libellus supplex » offerretur Marchioni, quatenus, consideratis gravibus da- » mnis, quae suburbana Civitatis patiebantur, dignaretur inde » quam primum deducere copias, accepta fide, quod utraque » Senatus Brabantini sententia cuius executio praetendeba- » tur, esset prompte adimplenda. Etenim qui circum urbem » erant milites (si tamen milites: multa enim hominum male- » feriatorum colluvies, spe depraedandae Civitatis eis se » miscuerat, ita ut qui centeni advenerant, milleni numera- » rentur, nec talis ullus amplius appareret in urbe); milites, » inquam, per agros et domos rusticorum ac praedia civium » suburbana populabundi agebant et vertebant omnia; vir- » gines etiam atque mulieres promiscue stuprabantur, tanto » insolentius, quanto plura diutius debebantur stipendia (qua » de causa credebatur ad eorum insolentiam Marchio conni- » vere); neque fugientibus ad urbem, suaque armenta et » pecora adducentibus miseris, portae patebant; itaque omnia » nefariis istis cedebant in praedam, quidquid absumere non » poterant perdentibus, ita ut miserabilis plane esset ex » moenibus prospectus, cum ad ipsas usque urbis portas » protenderentur militares stationes, ac nemini permitteretur » urbem ingredi. »

XVIII. « Eadem Dominica, a molendino venit currus fru- » mentarius cum farina ad portam Rubeam : quem cum » Hispani quidam intromitti prohiberent, occisus eorum unus » est a civibus eam custodientibus; ac rursum omnes ubique » clausae sunt portae; nec nisi diu post, cumque iam serius » esset, apertae: cumque, intellecto novo isto tumultu, Mar- » chio dubitaret de turmis aliquot adducendis per castrum, » in campum patentem inter ipsum Civitatemque ea parte

Digitized by Google

» apertam totam, avertit cogitationem eiusmodi Princeps Con-
» daeus, asserens, neque in sua neque in ipsius potestate
» fore inductum semel militem, universam Civitatem uno
» semel impetu perditurum. Interim libello, de quo conve-
» nerat sine mora scripto, et per Communitatem probato,
» deputati sunt qui ipsum offerrent, declararentque poeniter
» populum praeteritae inobedientiae, et emendationem pro-
» mittere, petendo sibi fieri misericordiam.

» Ad huiusmodi libellum respondit Marchio die xx eiusdem,
» mentis suae esse, matura desuper consultatione praemissa,
» clementiam potius quam severitatem tenere; atque ideo
» praecepit, ut supplicantes, secundum bonam istam volun-
» tatem, declararent quomodo intenderent satisfacere pro
» honore Magistratus, tam in istis quam aliis pluribus occa-
» sionibus laeso; et quam certitudinem praestarent, quod
» praedictae sententiae duae, aliaeque posthac ferendae a
» praefato Consilio, tamquam legitimo superiore, essent exe-
» cutioni sine ulla tergiversatione dandae. Exigebatur ergo,
» per novas litteras Magistratui directas, ut exponeretur
» forma, qua solent Decani sententiam dicere super punctis
» in deliberationem adductis. Item aliae litterae mittebantur,
» continentes articulos aliquot Politiae Antverpiensis, super
» quibus Magistratus satisfaceret, atque resolveret quid esset
» agendum; ac denique tertiae, quibus eidem Magistratui
» mandabatur designare idoneam domum, ubi hospitarentur
» septem vel octo personae ex Senatu Brabantico, eum in
» finem huc advehendae. Igitur eodem vespere scripsit Magi-
» stratus, designavitque hospitium, cui insigne *Don Ian*,
» in Via Nova longiori. Verum Senatores isti, postridie adve-
» nientes, hospitio excepti sunt in Abbatia S. Michaelis, ita
» iubente Marchione; atque ante vesperam edictum est, no-
» mine Excellentiae Suae, per tubicines duos, Civitate tota,

Digitized by Google

» ut milites omnes, si qui essent, portis illico excederent
» sub poena capitis. »

XIX. « Die xxi Octobris, Legati Opificum, cum aliquibus
» de Magistratu, accesserunt Marchionem, offerentes Excellen-
» tiae Suae satisfactionem desideratam, salvis tamen Civitatis
» privilegiis; ad quod Consiliariorum unus dicitur respon-
» disse: Non venimus leges accepturi, sed daturi: respondete
» categorice, Ita vel Non, an velitis in regulamentum vobis
» praescriptum iurare.

» Rursum die xxii, sub meridiem, redierunt iidem Deputati
» et Scabini ad Marchionem, tuleruntque a Magistratu satis-
» factionem ad articulos praedictos. Post meridiem vero iidem
» Legati et Scabini denuo Marchionem adiverunt, petituri
» responsum ad satisfactionem praenotatam; sed ipse distulit
» eos in diem sequentem. Cum autem, ab initio praefati
» tumultus, a Sculteto et Magistratu diligenter quaesitum
» fuisset in auctores tumultus illius, variique comprehensi
» et in vincula coniecti, atque etiam ad iudicium producti,
» inter eos deprehensi epibatae tres competenti iudici suo
» traditi sunt. Hoc intellecto, Marchio per epistolam iussit, ut
» captivi mitterentur Senatui Brabantico, cum informatione
» causae: quod et factum est. »

Die xxiv, lectum est Collegio Magistratus Diploma gratiae, indultae a Sua Excellentia, promittente quod eius approbationem a Maiestate Regia obtineret. Eo diplomate continebatur, quod, visa humili supplicatione populi, per eius libellum expressa, Excellentia Sua, ad misericordiam inclinata, accedentibus precibus Ducum Eboracensis et Glocestrensis, Principis Condaei, Episcopi Antverpiensis, Praelatorum S. Bernardi et S. Michaelis, Decani atque Capituli Ecclesiae Cathedralis, Pastorum atque Superiorum Religiosorum, ne boni una cum malis plecterentur, condonavit quidquid commissum est, ea

Digitized by Google

conditione, ut imposterum reverenter pareatur mandatis et sententiis Senatus Brabantici, latis II Decembris et XXV Augusti proxime praeteriti.

Addebatur eidem Actui supra scripta impressa declaratio, et exemplar similiter impressi regulamenti, postea sub nomine Suae Maiestatis scripti ac sigillati; quod etiam una cum Diplomate Gratiae translatum in linguam Teutonicam, post meridiem praelectum est Decanis Opificum : qui, mox congregatis Cameris suis, eadem vespera scripto retulerunt declarationem suam, qua protestabantur, omnia se rata et grata habere, paratosque illis se conformare.

Atque haec declaratio sub noctem valde sero perlata in castrum est a Magistratu, comitantibus Episcopo, Praelatis supradictis, atque Deputatis Membrorum Communitatis. Die XXV, Magistratus, Exscabini et Vicomagistri similis declarationis formulam scripto detulerunt Excellentiae Suae.

XX. « Die autem XXVI, venerunt ad Collegium eiusdem » Magistratus Domini Senatores, cum Graphiario Gindertalen; » feceruntque praelegi eiusdem Excellentiae Suae epistolam, » indicantem, quod cum ea remitteret quatuor Actus confor- » mationis Membrorum huius Civitatis; mandans, ut praesta- » retur iusiurandum de observatione praedicti regulamenti, » atque appendicum eius, prout praesens Magistratus iuravit in » manibus Domini Ammani. Similiter Decani, qui erant con- » gregati in Camera Statuum, accersiti coram praefatis Senato- » ribus, iuraverunt in manibus Magistratus; et quoad Decanos » Aldermannosque absentes, statutum est, ut postera die com- » parerent mane hora VIII in eadem Camera Statuum, idemque » iuramentum praestarent. Ipso quoque die coepti sunt effodi » pali, per angulos vicorum dispositi; et quae ex iis tendebantur » catenae, deportarique in Curiam. Simul etiam est statutum, » ut in hac non duae, sed una dumtaxat Gulda noctu vigilaret.

Digitized by Google

» Die XXVII, Senatores suis in togis iterum comparuerunt » in Collegio; ubi congregati Exscabini, Hooftmanni, Vico- » magistri et Decani cum Aldermannis, iuramentum nuncu- » paverunt, hac quae sequitur forma : *Promitto atque iuro,* » *quod exacte observabo ordinationem et regulamentum, ema-* » *natum a Sua Maiestate, die* XXIII *Octobris* M.DC.LIX, *et alia ad* » *quae ipsum refertur*. Eodem quoque die, per Secretarium » Rubens, publicatum est Teutonica lingua idem regulamen- » tum, simulque cautum ne quis molestiam ullam facesseret » laborantibus in depositione catenarum et palorum effos- » sione : accepto autem iuramento praefato, iidem Senatores » ex Collegio ad carcerem abierunt, examinaturi captivos.

» Venit etiam a Marchione mandatum de auferendis catenis » per Civitatem tensis, consignandisque in manus Gubernatoris » castri, qui eas deponeret in Curia, loco tuto et duplici sera » obfirmato, quarum clavem unam teneret ipse, alteram » Magistratus. Similiter exstirparentur pali, ad quos eaedem » catenae tendebantur, quod affixo edicto publicaretur; et » cum obloqueretur quidam, eadem nocte raptus de lecto » in carcerem est.

» Die XXIX, iterum praefati Senatores venerunt in Collegium, » cum Procuratore generali, coram quibus adductus primum » est reus, qui lapides iecerat in domum fabri aerarii, con- » cludente criminaliter contra eum causidico, nomine Pro- » curatoris adstantis iuxta seniorem Consiliarium. Deinde » producti sunt alii quatuor rei, contra quos cum criminaliter » quoque conclusum esset, causaque ex more ventilata, omnes » ad mortem damnati sunt. Edictum est etiam, ne quis sedi- » tiosum aliquid dicere auderet adversus Suam Maiestatem, » Magistratum, aut Membra huius Civitatis : atque ad omnem » confusionem vitandam mandatum Guldis singulis est, ut » postridie, hora VII matutina, armatae in forum convenirent,

Digitized by Google

» et ut Vicomagistri vicos quique suos custodirent, ea ratione » qua solet fieri cum civium domus sigillatim explorantur; » interim edictum publicatum est contra pueros, qui, cum » baculis congregati in plateis, etiam cum vexillis militariter » inter se decertabant, dantes et accipientes tesseram ut milites » solent, ut iocullariter fieri iam coeperat. »

XXI. « Die xxx, iterum venerunt in Collegium Senatores » Prost et Locquet, togati, cum Fiscali et Graphiario Ginder- » talen; eodemque tempore per viam Argentariorum in equis » ad forum venerunt septem Aulici Apparitores, cum suis » clavis; quos sequebantur damnati quinque, suo singuli » Sacerdote Religioso comitati, custodientibus eos satellitibus » Sculteti; quos etiam sequebantur Procurator generalis et » Apparitor. Ex istis primum laqueo suspensus est quidam » seniculus, forcipes cultrosque ad cotem acuere professus, » ortu Antverpiensis, de quo supra; tum alius Rosselariensis; » tertius Bruxellensis; reliqui duo educti post illos ex statione » satellitii, pendente ad collum fune et Praedicatorum uno » comitante, famulus scilicet braxatorius unus, alter Alostanus. » Hi genua ante Procuratorem flexerunt, quibus Dominus » Locquet dixit, mortem commeritam eis commutari a Sua » Excellentia in perpetuum a Brabantia exilium : atque hoc » supplicio in eum modum sumpto, recesserunt a foro Guldae, » et portae Civitatis reseratae sunt.

» Eodem tempore educti ex carcere sunt epibatae duo in » planitiem castri, sub custodia duarum equestrium turma- » rum; ubi eorum unus suspendio necatus est, alteri vita » servata, Hispanis militibus ante contrescarpas spectantibus : » et eodem die Senatores praefati scripto indulserunt, ut tres » illi qui supplicio affecti fuerant, sacra humo tegerentur; » et triginta viri, quos Capitanei civiles singuli nona Octobris » conduxerant, exauctorati fuerunt.

Digitized by Google

» Denique iidem Senatores fecerunt Magistratui potestatem » procedendi contra ceteros captivos, usque ad definitivam » sententiam inclusive. Marchioni vero oblati sunt undecim » supplices libelli, pro exulantibus Decanis et quodam KERS- » AVONT; qui ad Senatores remissi fuerunt, per expressum » postridie secutum ipsos, Mechliniam versus profectos. Die » vero II Novembris mane, Sua quoque Excellentia, terrestri » itinere Bruxellas repetiit, et quae supererant in suburbanis » copiae, post meridiem recesserunt terra fluvioque. Praeces- » serant autem XXV Octobris ter mille Angli Hibernique, ad » portam Croneburgicam impositi navibus a Civitate con- » ductis; et sequenti die rursum alii discesserunt, qui circa » Burgerholtum metati fuerant.

» Eodem die, qui Dominicus erat, coeptae sunt deponi » catenae, ad vicos claudendos dispositae, ac pali, quibus » innectebantur, effodi deferrique ad Curiam, non sine quo- » rumdam obloquio, dicentium eas ad se, qui pretium solve- » rant, pertinere. Igitur ipsa nocte ex iis quidam, viri femi- » naeque de lectis suis in carcerem rapti sunt; mane autem » pependit edictum, quo gravi et arbitrariae poenae subiicien- » dum se sciret, quicumque depositioni vel effossioni prae- » dictae opponere se auderet. Ergo properatum in opere est, » et quidem diligentia tanta ut ne quidem in festo Sanctorum » omnium cessatum ab eo sit. »

XXII. « Die autem XXXI, Bruxellas discesserunt Senatores; » item equestres turmae, a Gubernatore adductae, et post » meridiem Princeps Condaeus iis, qui ad corporis sui custo- » diam ei adstiterant, largitus est bibale florenorum LX. » Die II Novembris, discessis Marchio simile bibale largitur. » III, IV, V, VI, VII et VIII Novembris, varie quaesitum per » domos est, pluresque de praeterita expilatione suspecti in » custodiam abrepti: ex quibus in Collegium die XIII adducti

» septem, interque eos infimae plebis femina, septem viventium filiorum mater : cuius aliorumque Advocatus sic peroravit ut suspensa sententia fuerit, et ad ulteriorem discussionem delata. Eodem tempore Bruxellas profectus est *Ioannes Baptista Colins*, professione Notarius et eo quem nunc describimus anno, Graphiarius Camerae pupillaris, ante biennium Vicomagister, et vi apostillae praefatae in iudicium Consilii Brabantici vocatus; actionemque intentavit Procuratori generali, postulans ab eo probari causam suae infamationis; et post iteratam instantiam, ex confessione dicti Procuratoris, quod nihil in eum praetenderet, a Consilio declaratus est innoxius.

» Eadem die xiii, ex parte eiusdem Consilii, Antverpiae pependit affixa citatio contra NN., tornatorem sedilium, eo quod die ultimo Septembris, in nupero tumultu, conatus sit Quaestoris Schenarti caput securi findere : quo edicto iubebatur intra triginta dies in carcere Trurenburgensi Bruxellis ad purgationem se sistere : quod si non faceret, elapso citationis termino, proscriptus in aeternum censeretur. »

XXIII. « Interim in plebeio Consilio decretum est, proponere Magistratui, an non conveniret Marchioni offerre, pro labore et sumptibus in Civitate tuenda factis, donum honorarium quindecim millium florenorum; ea spe, quod ita esset inclinandus ad gratiam proscriptis Decanis faciendam. Sed petita ad deliberandum comperendinatione, responderunt Vicomagistri, se nihil in praesentiarum statuere de eiusmodi largitione posse; Ambacta autem, quod per absentiam Decanorum suorum nihil possent definitive agere; iisdem revocatis, non defuturos se officio debitae gratitudinis.

» Biduo vel triduo post, iterum in pleno Communitatis Consilio proposita eadem quaestio fuit; quando Decani

Digitized by Google

» et Boni viri Ambactorum consenserunt in triginta millia
» florenorum Marchioni offerenda : sed Vicomagistri in priore
» sua resolutione perstiterunt, itaque peractum nihil est.

» Die xvi, xvii et xxi citati sunt alii, quorum unus argue-
» batur incentor seditionis ex praecipuis fuisse, alius expi-
» lantibus domum Decani fabrorum acclamasse : Euge, Euge,
» post hanc expeditam aliam vobis domum ostendam; tertius
» eburneam coronam seu pensilem lychnum, ex domo Con-
» sulis Halmale ablatum, et aliquot centenis florenis aesti-
» matum (cuiusmodi operis insignis artifex erat primogenitus
» filius Consulis, postmodum in Parlamento Mechliniensi
» Consiliarius), raptori abstulisse nec restituisse, iuxta man-
» datum publicatum omnia istic subrepta restituendi. »

Hactenus fidelis et accuratus rerum in hoc tumultu gestarum relator; nec plura quaerere libet. Unum addere possum, praeter eos quos publica sententia punivit, incentores vel participes rapinarum, homines ferme nihili et conditionis exiguae, plures alios maioris notae et conditionis melioris, suspectos vel certo notos, reosque favoris et stimuli aut consilii tumultuantibus praebiti, privatim sic mulctatos fuisse, ut homines, antea opulenti, priori omni splendore exciderint, aut foro cedere coacti sint, nulla graviori iactura fortunarum praegressa, nec apparente causa sic mutatae fortunae.

XXIV. Porro cum ad subsidium, Regi bis indultum a Statibus Brabantiae, ducentorum millium florenorum expediendum, pluries esset in pleno Communitatis Consilio deliberatum, unde haec Civitas quotam suam acciperet, decretum tandem est et publicatum die ii Decembris, de gravanda omni combustibili materia, a foris navi aut curru advehenda, ad quinque in centum; prodiitque singularum specierum taxatio accurata, quam nihil attinet hic intexere.

XXV. Inter tot huius anni tristia Antverpiensibus oblata,

Digitized by Google

solabatur bonos omnes spes proxime promulgandae pacis, quae iam inter Plenipotentarios, Monasterii Westphaliae congregatos, conclusa nuntiabatur; nec quidquam ultra deerat, quam ut eius Articuli, Regi Hispaniarum exhibiti, ab eodem subscriberentur. Ea subscriptio dum exspectatur ante finem anni, quem chronicis suis litteris designabat hoc Virgilianum hemistichion:

MaNIbUs Date LILIa pLenIs. Aen. vi.

Gerardus grumsel, Societatis Iesu, deproperavit chronicam gratulationem et Plantinianis Balthazaris Moreti typis imprimendam dedit, incredibili et eatenus exemplum non habente felicitate, poeticos numeros, satis per se arctos, sic innectens litteris anni huius numerabilibus, ut nec unitas quidem ulla vel desit vel abundet; ipsi tamen versus tam libere ac liquide fluant, ac si nullis eiusmodi terminis arctarentur. Elegiae sunt omnino sex. Prima distichorum xxvii, *Ad Benevolum Lectorem*, hoc procedit initio, unde specimen ceterorum omnium capias:

beLLa Canant aLII, LItUosqUe tUbasqUe poetae,
  qUos IUVat aC VICtrIX gLorIa MartIs aLIt.
non ego beLLa Cano; non sI nos tIbIa Cyrrhae
  Inserat, haC fLenDa seCter ab arte DeCUs.
qUaerat Vos, Vates, qUoVIs beLLona sUb aXe;
  IngenIo DUX es non satIs apta Meo.
soLa qUIes nostros VoCat aC paX CanDIDa CantUs,
  soLa qUIes noster, paX qUoqUe, CantUs erIt.

Simili modo decurrunt elegiae quinque aliae: *Ad Belgicam pacatam; Ad eamdem florentem; Ad Ecclesiam et Clerum; Ad*

Digitized by Google

Reges confoederatos; Ad Alexandrum VII Pontificem Max. : quam ultimam claudit duraturae pacis omen (quod utinam verificari nostra peccata sivissent, Deusque voluisset) ex insigniis Pontificiis, Montibus, Querco, et Stella sic petitum :

aUspICe te CresCet, qUae te paX aUspICe paCta est.
CUrret et In IUssUs terra fretUMqUe tUos.
eVentUra Cano : faUsta haeC praesagIa Montes,
faX VIgIL, aC VIVens seCULa qUerCUs, habent.

A. C. M.DC.LX.

—

ARGUMENTUM.

I. Frigidissima et diuturna hieme copiosae nives efformantur in statuas. II. Iesuitae calumniam patiuntur. III-VI. Gevartius ornatur titulis Consiliarii et Historiographi Caesarei. VII-XIV. Publicatur inter Coronas pax et matrimonium Hymenaei Paciferi, sub insigni theatro ante Curiam erecto, ornatoque epigraphiis Gevartii. XV. Carolus II in Britanniae Regnum reducitur. XVI. Res hoc anno memorabilis chronicis elegiis VII explicatur. XVII-XVIII. Augetur et ornatur suburbana Domus Professae in Deuren.

ACTA PRIORA.

I. Mense Ianuario maxima nivis copia cecidit, et non dissoluta diutissime iacuit in plateis, unde contigit ut tota Civitate ex ea compacta plurimae insignes statuae formarentur, quibus ocissime absolvendis diu noctuque adlaborabant sculptores ab opere vacui; et ad spectaculum undique concurrebatur a tota ferme Urbe, ferias agente, propter diuturni frigoris pertinaciam.

Digitized by Google

II. Eo frigore non obstante, pergebat per Civitatem serpere pestilentia aliqua, cuius gravior pernicies cum timeretur vere proximo, et Patres Societatis haud obscura calumnia dicerentur ex tali obsequio temporalia lucra captare, rogati a Magistratu ipsum hoc quoque anno continuare, responderunt, ut si quos alios nossent qui minori Civitati incommodo et maiori satisfactione operam suam in tali necessitate vellent impendere, iis libere uterentur, se paratos deficientibus quantas opus foret suppetias mittere; quod responsum ita placuit omnibus, ut ex toto consultantium numero, nec unus quidem alterius Ordinis Religiosos optaverit.

III. Interim placuit Caesari, die xxi Ianuarii, civem nostrum GEVARTIUM insigni honorare testimonio aestimationis suae, creando *Historiographum et Consiliarium* suum: quod cum ad nostrae Civitatis honorem videatur haud parum conducere posse, hic ad verbum accipe.

« LEOPOLDUS, divina favente Clementia electus Romanorum » Imperator semper Augustus etc. Honorabili, fideli, Nobis » dilecto Gaspari Gevartio, Nostro Historiographo, gratiam » nostram Caesaream atque omne bonum. »

IV. « Etsi Imperatoriae Maiestatis Amplitudinem magno- » pere decet singulari quadam diligentia circumspicere, ut » officia et honorum gradus, quorum dispensatio inter mor- » tales ei divinitus incumbit, hominibus dignis et idoneis » conferat, iis nimirum qui ceteris virtutum meritis praestant; » quia tamen non postrema Reipublicae bene administrandae » pars in eo consistit, ut Imperatores et Reges magnique » Principes habeant, qui ipsis omni tempore recta ac sana » Consilia suggerere possint, existimamus equidem pro bono » publico imprimis necessarium esse, ut tales viros sibi Con- » siliarios adsciscant, quorum fides, rerum experientia, atque » in iisdem agendis dexteritas cognita est.

Digitized by Google

» Benigne itaque considerantes eximias tuas, *Caspar Ge-*
» *varti*, quibus polles qualitates, insignem quoque eruditio-
» nem spectata cum vitae integritate coniunctam, adeoque
» exactum rerum usum, ac singularem in conscribendis hi-
» storiis dexteritatem, prudentiam et iudicii maturitatem, quae
» iam tum Divo quondam Imperatori Ferdinando III, Domino,
» Praedecessori et Parenti Nostro colendissimo, ita testata
» reddidisti, ut a Caesarea Sua Maiestate dignus sis habitus
» Consiliarii et Historiographi sui titulo insigniri; perpen-
» dentes praeterea praeclarum addictae tuae erga Nos, Sacrum-
» que Romanum Imperium, et augustam Domum Nostram,
» fidei, dilectionis et obsequii studium, dignum te et Nos
» quoque iudicavimus, quem Consiliarii et Historiographi
» Nostri titulo et ornamento condecorandum susciperemus,
» resque nostras et nostri temporis litteris commendandas
» committeremus. »

V. « Motu itaque proprio, ex certa Nostra scientia, animo
» bene deliberato, sano et maturo accedente consilio, Te,
» praefatum *Casparem Gevartium*, Consiliarium atque Histo-
» riographum Nostrum fecimus, deputavimus, et constitui-
» mus, ac reliquorum Consiliariorum Nostrorum numero
» coetui et consortio aggregavimus; prout tenore praesentium
» benigne facimus, constituimus et aggregamus, facultatem-
» que Tibi damus ac concedimus, ut Historiam Nostrarum
» praecipue rerum, quaeque his connexae sunt, Tibique me-
» moria dignae videbuntur, ex recto, aequo, vero ac bono
» perscribere, perscriptamque in lucem possis emittere ac
» iuris publici facere; atque nunc historiam Austriacam, a
» Divae memoriae Pio II, Pontifice Maximo, antea Aenea
» Sylvio Picolomineo dicto, Senensi Episcopo, conscriptam,
» atque post ducentorum annorum suppressionem a te notis
» illustratam, typis mandare possis et valeas, absque ullius

Digitized by Google

» impedimento aut contradictione; quatenus tamen eiusmodi » scriptis, a Te posteritati transmittendis et in lucem dandis, » nihil quod S. R. Imperii constitutionibus ac legibus aut in» strumento pacis Monasteriensis, Capitulationibusque Nostris » Caesareis aut alias bonis moribus adversetur, inseras.

» Decernentes ac praesenti Nostro Caesareo edicto firmiter » statuentes ac mandantes, quod ex hoc quoad vixeris tem» pore, ab omnibus pro vero ac perpetuo Consiliario et Histo» riographo Nostro, tam in scriptis quam viva voce, habearis, » nomineris, reputeris et honoreris, atque insuper omnibus » ac singulis privilegiis, iuribus, immunitatibus, praerogativis, » honoribus, emolumentis, consuetudinibus et libertatibus, » uti, frui, potiri et gaudere possis ac debeas, quibus alii » Consiliarii Nostri utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent » sese quomodolibet uti, frui, potiri et gaudere possunt ex » consuetudine vel de iure. Te porro etiam, ratione hi» storiarum, quas nunc aut quocumque posthac tempore » scripturus ac typis mandaturus es, contra quorumcumque » obtrectatorum calumnias et ausus, in peculiarem Nostram » protectionem Caesaream, vigore praesentium, clementer » suscipimus. »

VI. « Nulli ergo hominum cuiuscumque status, gradus, » ordinis, conditionis, dignitatis ac praeeminentiae exstiterit, » liceat hanc Nostrae concessionis, largitionis, privilegii ac » gratiae paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario con» travenire, aut Te praedictum *Casparem Gevartium*, in huius » historiarum Nostrarum scribendarum Tibi concessi privilegii » usurpatione ullo pacto turbare : districte praecipientes, ut » neque ab aliis te quovis pacto turbari patiantur, sed defen» dant potius ac tueantur, et contrafacientes convenientibus » mediis reprimant coerceantque; atque id omnibus sibi » subordinatis, ius et iustitiam exercentibus, ita observandum

» mandent. Si quis autem id attentare praesumpserit, Nostram » et Sacri Imperii indignationem gravissimam se noverit ipso » facto incursurum. Harum testimonio litterarum Nostra manu » subscriptarum, et sigilli Nostri Caesarei appensione muni- » tarum : quae dabantur in civitate Nostra Viennae, die XXI » Ianuarii, anno Domini M.DC.LX, Regnorum Nostrorum, » Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici quarto. » Hactenus diploma.

VII. Die XV Aprilis, publicata est Pax inter Coronas Hispaniae Galliaeque, et confirmata per matrimonium inter Christianissimum Regem LUDOVICUM et Dominam MARIAM THERESIAM, Hispaniae Infantem. Ad hanc publicationem erectum erat perquam magnificum theatrum, cum epigraphis elegantibus, a Casparo Gevartio, Archigrammateo Civitatis, necdum effeto Poeta, exornatum : cuius etiam ectypon aereis tribus laminis incisum prodiit ex officina Plantiniana, sub titulo HYMENAEI PACIFERI, tam venuste descripti, ut ipsum hic lubeat, in minorem formam contractum, subiicere oculis curiosorum.

« Theatrum hoc (utor verbis auctoris et inventoris Gevartii) » ex quatuordecim columnis Pario marmori candore eximio » assimilatis, ordinis Corinthii constructum erat, quibus for- » nices septem innitebantur, quinque in fronte et bini ad » latera : opus autem universum in geminas substructiones » seu elevationes assurgebat, quas medius pluteorum ductus » et series distinguebat. Altum erat pedes LXXXV, longum » LXXX, profundum XX. In tabula media primae elevationis » cernebatur PAX coelo missa, et HYMENAEUS, Nuptiarum Prae- » ses Deus priscis creditus. PAX caduceum suum, HYMENAEUS » faces nuptiales in MARTEM, BELLONAM et TISIPHONEN intentant; » eosdemque ad *Cretam* a Turcarum obsidione liberandam » ablegant et propellunt : quo etiam sacro foedere inito, » iuratus Christianorum Principum exercitus properat. CUPIDO

» in nubibus arcu suo Harpyias eodem abigit. Serpens belli
» Symbolum antevolabat. Sub tabula haec inscriptio :

Exoptata diu terris Pax aurea, coelo
Missa venit : secli surgit melioris origo,
Aspera post quinis exercita praelia lustris :
Et Gallo sociatur Iber. Bellona fugatur
Per taedas, Hymenaee, tuas : iam foedere sacro
In Mahometigenas hostes iurata ferentur
Agmina; submissis pallescet Bosphorus undis,
Torvaque Threiciae frangentur cornua Lunae.
Christicolae, Orthrysiam Creta depellite classem ;
Infandum prohibete nefas; iam Thracia Luna
Destinat Ausonio tenebras inducere soli.

VIII. In pilis ad utrumque latus *Hispaniae* et *Galliae* insignia spectabantur ramis oleaginis ornata. In pluteis lateralibus dextra parte stabat S. IACOBUS Hispaniarum Divus tutelaris, et sub illo verba haec ex eius Epistola : *Unde bella et lites in vobis ?*

Ab altera parte stabat Divus LUDOVICUS, Francorum Rex. Epigraphe :

Proiice tela manu, sanguis meus. . . . . . .

Verba sunt Anchisae ad C. Iulium Caesarem apud Maronem, VI. Aeneidos.

IX. In acroterio angulari dextri lateris HISPANIA et GALLIA, media CONCORDIA, iungunt dexteras. Subscriptum : *Concordia Regnorum.* Paulo inferius inscriptio ista ex Lucano :

Huc ades, aeterno complectens omnia nexu,
O rerum, mixtique salus, concordia, mundi,
Et sacer orbis amor. . . . .

Digitized by Google

In acroterio angulari sinistri lateris, PAX et IUSTITIA in mutuos amplexus ruunt. Epigraphe ex Psalm. LXXXIV: *Iustitia et Pax osculatae sunt*, cum epigraphe:

Ades, o! celso demissa polo
PAX, IUSTITIAE *iuncta sorori;*
Nimiumque diu tristia passas
Urbes, gravibus solvite curis.

X. In secunda operis elevatione, altera tabula grandis conspiciebatur, in qua *Thalamus Regius* seu lectus genialis artificis manu repraesentatus. Illum constituebant quatuor columnae, gemmis splendidissimis insertis collucentes. Ante eum stabat HYMENAEUS serto roseo tempora redimitus, facemque nuptialem dextra tenens. Adest illi magnus *Cupidinum* famulantium coetus, qui, illius iussu, lectum certatim adornant. Ad utrumque tabulae latus *gemini Mundi*, vetus et novus, Cruce insigniti conspiciuntur: a latere dextro *India Orientalis*, et a latere sinistro *India Occidentalis*, genu nixae, gemmas, margaritas, uniones, armillas, et omne monilium genus afferunt. Hinc *Mexica* et *Peruvia* auriferam et argentiferam classem opulentissimam vectigalem mittunt, qualis a multis retro annis in Hispaniam non fuerat appulsa. Sub hac tabula haec erat epigraphe:

Regales thalamos radiantibus utraque gemmis
India, et aurato componunt stamine Seres;
Partitique operas stipant HYMENAEON *Amores.*
Mexica *dotales et vasta* Peruvia *gazas*
Submittunt, cumulantque novis connubia donis:
Unus adornandis thalamis non sufficit orbis.

XI. Conopaeum splendidissimum, geniali lecto Regio impositum eminebat, limbo ex liliis malisque Punicis seu granatis

Digitized by Google

alternatim intersitis contexto et distincto. In thalami fastigio, supra conopaeum, HESPERUS radiabat, stella Veneris dictus, Hispaniae symbolum : sub illo epigraphe ex Catullo :

Hespere, quis coelo lucet iucundior ignis?

In inferiori pegmatis parte, iuxta columnas porticum et theatri universi molem sustinentes : *ΔΩΔΕΚΑ ΘΕΟΙ,* XII *Dii,* vulgo *Consentes* dicti; sex mares et totidem feminae : quos Ennius disticho isto est complexus :

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quatuor ex his retro ad theatri latera utrimque erant positi.

XII. In porticus interioris parte media, Regiae spectabantur icones, PHILIPPI IV, Hispaniarum Indiarumque Regis Catholici, et ISABELLAE BORBONIAE, Hispaniarum Reginae, Henrici IV, Galliarum et Navarrae Regis filiae, quae prima Regis Catholici coniux, et Serenissimae MARIAE THERESIAE, Hispaniarum Infantis, mater. Ad latus dextrum visebatur LUDOVICI XIV, Galliarum et Navarrae Regis Christianissimi, sponsi. Ad latus alterum icon MARIAE THERESIAE, Hispaniarum Infantis, sponsae, modo Galliarum et Navarrae Reginae. Iuxta Regis Christianissimi effigiem haec legebatur inscriptio :

Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque
Borboniae Austriacaeque Domus, Iunone secunda,
Hunc legere thorum; sileat Nereida nuptam
Pelion, Augustis illustrior alta Pyrene
Stat Thalamis; quantum Ludovicus Pelea, tantum
Aequoream superat Thetydem nova Neptuniae
Haec Maria, Hesperio Theresia nata Philippo,
Cui pater Oceanus geminos interluit orbes.

Digitized by Google

XIII. In extrema porticus interioris parte, haec epigraphe:
« Quod bonum, felix faustumque sit Reipublicae Christianae,
» et Orthodoxae Religioni propugnandae ac propagandae;
» non ope humana sed Divinitatis instinctu, Pace et Con-
» cordia inter potentissimos Orbis Christiani Monarchas,
» PHILIPPUM IV, Hispaniarum Indiarumque Regem Catholicum,
» et LUDOVICUM XIV, Galliarum et Navarrae Regem Christia-
» nissimum, post continuum XXV annorum bellum, terra
» marique stabilita et auspicatissimo connubii foedere firmata,
» S. P. Q. Antverpiensis, ob celebre munus, hoc optatissimae
» Paci promulgandae theatrum, incredibili laetitia poni cura-
» vit, D. Henrico Halmalio, Equite, et D. Aegidio Martinio
» IC. Coss. »

XIV. Samuel Sorberius, Samuelis Penti v. CL nepos, in libro Gallico cui titulus, *Relationes*, *Epistolae et Discursus*, *supra argumenta curiosa varia*, Epist. 4, ad Dominum de Bautru, Relatione III, circa statum scientiarum in Hollandia ac Belgio, de Gevartio loquens, eumque laudans ab exactissima critica, probanda ex eius in Manilium Commentariis (sed qui, pro dolor! numquam lucem viderunt) iudicium suum confirmat ex tunc recenter illustrato Theatro Hymenaei Pacifici, indeque delibans specimina aliquot: « Numquid,
» mi Domine, inquit, sublimis hic est genius et quali
» opus, ut Franci nostri excitentur ad praeparandum ali-
» quod dignum excipiendae Reginae? Numquid oportebit
» ut omnes Poetae nostri, litterati omnes et compositores
» magnorum parvo in compendio librorum, *des livres en petit*,
» ut loquuntur ii qui existimant eruditionis summam in epi-
» graphis contineri, totam suam impendant industriam, si
» velint superare eam elegantiam cuius hic specimen pro-
» tuli? » Exhinc honorum rerumque mundanorum satur Gevartius, Graphiarii munus, quod totis quadraginta annis

Digitized by Google

cum laude gesserat, resignavit in manus Magistratus, sibi Deoque victurus quod superesset temporis : superfuit autem usque ad annum abhinc sextum, seculi sexagesimum sextum.

XV. Porro, post bene ominata, quae dixi, publicatae Pacis et Matrimonii Regii conclusi praeludia, celebratus est tandem matrimonialis contractus ad Fontarabiam, in confinio utriusque Monarchiae : eodemque mense, die VIII, ad ceteras gratulationes accessit CAROLI II, Magnae Britanniae, Scotiae et Hiberniae Regis, curante PHILIPPO IV, et Generali Moncke adnitente, in patriam recepti coronatio.

XVI. His aliisque laetis eventibus memorabilis annus M.DC.LX, prodiit :

aUCtore gerarDo GrUMseL.

chronicis distichis evulgatus, eodem quo superior annus stylo, nec minore felicitate, atque Alexandro PP. VII dedicatus. Operis prodigiosi auctor Poeta, elegia I. ipsum suum annum sic alloquitur :

anne, tot eXaCto sIgnas qUI seCULa CUrsU,
LUstraqUe nUnC terrIs qUI DUoDena faCIs ;
qUIs tIbI regna, preCor, DeDIt hoC In sIngULa IUrIs,
LegIbUs Ut VaLeas VoLVere CUnCta tUIs ?

Inde, post redditam prolixe rationem, cur hic annus imprimis mereatur in chronica referri, elegiam II. inscribit IOANNI CASIMIRO, *Poloniae Regi, post miros fortunae casus hoc anno triumphanti*. Elegia III. describitur *tranquilla revolutio Regni Danici, nuper pene toti Suevico regno adiuncti per novum huius Regem* CAROLUM GUSTAVUM, deinde per pacem Regi suo integre *restituti* ; IV. *Spectat* LEOPOLDUM PRIMUM, *Caesarem semper*

Digitized by Google

Augustum, cuius nuper Austriaca pietas in bello Polonico Danicoque enituerat; V. UTRAMQUE BELGICAM, *nupta utraque Corona, Hispana Gallicaque, exultantem;* VI. AD HISPANIAM ET GALLIAM, *optat ut pax matrimonialis, hoc anno completa, inter Reges perennet;* VII. *Ad* CAROLUM II, *Angliae Regem, post miram fortunae metamorphosim tripliciter hoc anno coronatum : et quia copiosior materia, haec quidem Regem exulem per suos omnes casus deducit;* tum elegia VIII. *Regni restaurationem exponit;* IX. elegia pyramidem duplicem erigit *Munificentiae* ALEXANDRINAE, *hoc anno, quo incomparabilis illa porticus Vaticanae moles fuit ad medietatem perducta.*

XVII. Interim praetoria et praedia suburbana, durante Hollandico bello magnam partem aut diruta aut desolata, dum extra Civitatis portas nemini, nisi publica Statuum fide munito, pedem efferre tuto licebat, paulatim restaurabantur et reflorescebant, lentius tamen, quamdiu cum Francis adhuc bellum erat. Ast ubi cum his quoque pax coaluit, certatim omnes, quibus fundi aliquid foris erat, incubuere ruinis reparandis, et quaecumque adhuc stabant augendis ornandisque, ad suam suorumque per tot annos moenibus inclusorum commoditatem recreationemque. In illis erat suburbanum domus Professae Societatis Iesu, alias a familia de Cordes, nunc *Rivire* dicta. Stabat autem etiam tunc sub tutela Auriaci Principis, conciliati dono unius alteriusque picturae, a nostro Daniele Zegers elaboratae. Stabat, inquam, qualis empta fuerat, et a Barone le Roy in notitia Marchionatus, pag. 95, exprimitur, sed cum subscripto, per nescio quem errorem, nomine *Venneburg;* quod est nomen alterius amplissimi latifundii, in eodem Turninensi pago, Antverpiensi Collegio nostro fundando ab Houtappeliis olim collati; cuius etiam domus, belli tempore ferme diruta, hoc quoque anno utcumque restaurata est; annis autem aliquammultis post in novam optimamque formam

Digitized by Google

composita fuit. Distant ab invicem eae domus quarta circiter leucae unius parte.

XVIII. De priori nostra dicit idem Baro, librum suum edens anno M.DC.LXXVIII: « auctam nuperis annis (hoc scilicet » in quo versamur) fuisse munificentia Annae Houtappel, » unius ex sororibus tribus, quae fundum donaverant, adhuc » superstitis, structura pristina in formam coenobii mutata; » locus amoenus et secessui percommodus, atque numerosa » quercu undequaque consitus, ut domus vix conspici a prae- » tereuntibus possit. » Verum maiores omnes, easque iam octogenarias succidere oportuit anno M.DCC.V, subsidiariis ad urbis defensionem Gallorum copiis ibidem stativa sua habentibus, et ad novas munitiones materiam requirentibus.

Itaque donec succreverint novae quae ipsarum loco consitae sunt arbores, magis conspicua manet domus illa, sed multo amplior quam exprimit Baronis iconismus. Nam quod ibi usque ad annum praetitulatum vacabat spatium, intra loricam saxeam ab aquis exstantem, id super eamdem cum reliquo aedificio in alteram contignationem elevatum; inferne quidem habet refectorium, speciosum sane atque percommodum, cum adhaerente ad Sacra sacello; superne vero dormitorium duplicis elevationis; sic ut, ductis per medium ambulacris, utrimque adsita cubicula capere possint personas triginta aut plures, quando illuc confugere cogeret necessitas. Haec vero ne adesset anno proxime sequenti timeri potuit, a tunc grassante pestilentia, nisi eam potens Thaumaturgi Xaverii intercessio, a civibus, ut mox dicetur, implorata, avertisset. Ex eo etiam tempore modicum illud arabilis soli, quod circa Domum supererat (nam reditus annui nihil habere Domibus professis per nostras Constitutiones licet) partim dispositis in quincuncem quercubus, partim altis umbrosisque sepibus hortorumque areolis distinctum, auxit amoenitatem loci, mira

varietate spectabilioris quam intra iugerum quatuor angustias fingere sibi aliquis posset. Ad amoenitatem quoque, primis seculi xvii annis, non parum contulit Principis de Tassis et La Tour liberalitas, avunculo suo P. Iacobo Philippo de Hornes, ei loco ornando inter studia graviora intento, eam gratiam facientis.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii, xxii *Iunii, Feria* iii *hebdomadae* v *post Pentecosten, actam* xvi *Maii.* — Dom. Alexander Princeps de Bournonville, Comes de Henin, etc. Cum Cancellario D. Ioanne van Tulden.

Consules. — Dominus Henricus van Halmale VII. — vi. Dl. Ioannes van Weerden.

Scabini. — M. Ioannes Sneyers. — Dom. Alexander Goubau. — Dl. Io. Anton. Tucher. — Ioannes 's Meesters †. — Dom. Pasch. Fr. vanden Cruyce — Dl. Phil. Augustin. Cano. — M. Anton. Maria Frarin. — M. Aegidius Mertens. — M. Godefridus Rysheuvels. — Andreas Mertens. — M. Io. Bapt. Greyns. — Dl. Franciscus Rubens. — M. Ioannes Vequemans. — Dl. Iacobus Charles. — M. Marcellus van Eversdyck. — Matthaeus Charles.

ARGUMENTUM.

I-II. Obitus et monumentum Nicolai Sivori, saepius Consulis. III. Restituta Monasteriis libertas ab accisiis. Exulibus quibusdam facta gratia redeundi. IV. Moritur P. Andreas Tacquet S.I., Mathematicis lucubrationibus clarus.

ACTA POSTERIORA.

I. Quem ab anno m.dc.xxviii Consulem habere Civitas coepit,

Digitized by Google

et usque ad XLVIII identidem habuit D. ANTONIUM SIVORI, eum post duodecim honoratae quietis annos, octogenarium senem extulit, et apud Tertianas Franciscanas deposuit, in eo sacello, quod ibi uxor sua haereditaverat a maioribus, de monasterio optime meritis. Mortuo epitaphium scripsit Casparius Gevartius, de quo libens dixero, id quod de Ioanne Molano dicere solebat Cardinalis Baronius: nullam chartarum eius tam vilem sibi esse, quam humi repertam non vellet cum osculo sublevare : quare nec ego hoc loco dimittere velim, quod in gratiam sui quondam generi Caroli Mariae Sivori, monumentum patris ornaturi, scripsit ipse septuagenario propinquus, hoc modo :

« ANTONIUS SIVORI, Eques, hic situs est : qui patre natus » Nicolao, Patricio Genuensi, ex priscis Iuliae Toparchis » et Lavaniae Comitibus, in Liguria oriundo, matre Domina » Clara Spinula ex Comitibus de Mede, in Lombardia pro» gnata. Hic anno CIƆ.IƆC.XX, a Serenissimis Austriae Archi» ducibus, Alberto et Isabella Clara Eugenia, Belgarum et » Burgundiorum Principibus, in urbis Antverpiae Senatum » adscitus, singulari in Regem et Principes fide, animi magni» tudine et vigilantia, eo munere functus est. Quippe, velut » satius fuisset illum Reipublicae experimentum sui, quam » usum denegare, per annos XL continuos Magistratum gessit. » Consulatibus XI, iisque geminis saepe et tergeminis illustris; » prorsus ut, difficillimis Belgii temporibus, Urbi Dictator » perpetuus a Rege datus esse videretur. Decessit octogenario » maior, ipsis Kal. Quintil. anno CIƆ.IƆC.LX; ac sibi nominis » ac famae perennis decus, liberis luctum, Patriae ac Civibus » universis ingens sui desiderium reliquit. »

II. « D. IOANNA GEORGIA RAMIREZ, Philippi filia, eximiae » pietatis, comitatis et industriae Matrona, in sacello hoc, a » maioribus suis condito et ornato, marito adiacet cum quo

Digitized by Google

» (rara tori coniugalis felicitate) annos LII sine querela vixit : » obiit VIII Kal. Augusti anno CIↃ.IↃC.LXI, aetatis LXXXV. NICOLAUS, natu maior filius, cohortis peditum pro Rege Centurio, » in oppugnatione castelli S. Iacobi ad III ab urbe lapidem » occubuit, prid. Nonas Maii, anno CIↃ.IↃC.XXXVI, aetatis XXX. » PHILIPPUS, item cohortis peditum Centurio, et CAROLUS MARIA, » Custodiae urbanae Praefectus, parentibus optimis et indul- » gentissimis hoc monumentum poni curarunt. »

MORIBUNDI VOX.

Functus honorato senio, fessusque laborum,
Evocor ad Superos : Pignora, quid gemitis ?
Reddere depositum, lex est : gratusque lubensque
Corpus humo, mentem restituoque polo.
Sumite, quod vestrum est, maiorum insignia, Nati,
Et titulos : cineri nam satis urna meo.

Leguntur haec omnia in grandi candidi marmoris tabula sub utriusque coniugis insignibus, ubi etiam defluunt latere utroque sedecim, ut vocant, quarteria, adscripto cuiusque nomine : eoque respiciunt ultimi isti versus patris, valedicentis utrique filio.

III. Die XVI Augusti, ex communi Plenioris Consilii deliberatione, restituta sunt Monasteria in integram suam ab accisiis immunitatem, ipsis circumscriptam secundum limitationem a D. Ioanne Austriaco, XI Maii M.DC.LVII, definitam. Post hanc restitutionem reverterunt ab exilio *Aegidius Doyaert*, *Antonius Felon*, *Guilielmus Boon*, *Cornelius vanden Zande*, *Ioannes Bapt. Claus*, *Notarius* : eademque auctoritate et gratia Procuratori generali indictum est perpetuum silentium, vetitusque ulterior omnis processus contra personas *Isaaci Heuvelmans*, *Balthazaris vander Zypen*, *Ioannis Bapt. van Oudenhoven*,

Digitized by Google

Io. Bapt. Colyns, Notarii, et Ioannis Houbraken, iuxta Actum signatum XXV Augusti. Die autem sequenti mane, a Capite Flandriae redierunt in civitatem personae quaedam praecipuae, venientesque in Curia ad Cameram Statuum, Consulibus et Magistratui egerunt gratias, pro opera restitutioni suae procurandae impensa.

IV. Annum claudat qui XXIII Decembris Antverpiae, ubi natus fuerat, paulo plus quam quinquagenario maior, vitam finivit, P. ANDREAS TACQUET, annis quindecim Mathesim magna cum laude Lovanii in Collegio nostro professus. Quantum in ea excelluerit testantur abunde libri, ab eo editi dum viveret, et, eodem mortuo, testabuntur auditores, ex variis nationibus nobiles. Hos inter, si non tempore primus, affectu saltem, memorandus ante alios omnes *Simon Laurentius Veterani, e Comitibus Montis-Calvi*, qui omnia illius opera, etiam posthuma, anno M.DC.LXVIII, uno in volumine, sed bene grandi, Antverpiae typis Meursianis colligenda et evulganda curavit; eademque, *Praeside P. Henrico de Prince*, auctoris discipulo ac successore, Lovanii propugnanda dedicavit Eminentissimo S. R. E. *Cardinali Rospiglioso*. « Primum audiere opus *de* » *Cylindricis* et *Annularibus*, argumento eatenus intacto, magna » ubique gratulatione acceptum, Lectori commendans is qui » praefuit editioni, pro miraculo habendum censet, tantum » Geometram eo se demisisse, ut tirones manu duceret, et » *Elementa* conscriberet, quae bis praelum, eo vivente, fati- » garunt, et pro sua insigni et ubique nota facilitate atque » utilitate, saepius fatigabunt alios; sed, in Elementis ipsis, » inquit ille, quantus Geometra emicuit! Quid autem Ele- » menta dico, quibus ea miscuit et addidit, quae sublimes » etiam animos detineant? Ab Elementis ad universam, quanta » est, Mathesim animum applicuit, illa methodo eam tradi- » turus, qua ista conscripserat, non tam sui commendandi,

Digitized by Google

» quam disciplinarum Mathematicarum et discere cupientium » causa. Totam itaque *Astronomiam*, rem sane pulchram et » arduam (unde librum orditur Veteranus) in octo libris or» dine scientifico, quod nemo hactenus, ita digessit, ut iam » etiam sine Magistro perduci possit, in quam non nisi admodum » difficulter, doctore praeeunte, dabatur penetrare; *Geometriam* » *Practicam*, *Opticam*, *Catoptricam*, scientias iucundas et » ingeniosas, eodem stylo ad eumdemque finem elucubravit. » *Dioptricam* dum tractat, iturus porro per omnes, quas Geo» metriae subalternas dicimus, egregios conatus mors inter» cepit, aetate sane immatura, ad quam tamen mirandum, » inter difficilia studia et affectissimam valetudinem perve» nisse. Ad hos elimati ingenii labores adiunximus, inquit idem » qui supra, *Architecturam militarem*, non quia illam praelo » destinarat auctor, sed quia eiusdem stylo, materia et com» pendio existimavit placituram iis, quos iuvat hisce studiis » initiari. »

A. C. M.DC.LXI.

—

ARGUMENTUM.

I-II. Allatis et elevatis S. Francisci Xaverii Reliquiis, institutaque rogante Senatu eius Novena, cessat pestilentia. III. Herenthalienses turbae per Canonicum Antverpiensem unumque Iesuitam pacantur. IV. Regulatur piscatio in Scaldi per ordinationem ab Aula.

ACTA PRIORA.

I. « Quantum superior hiems intensior, tantum haec remis» sior fuit; et incipiebat non modice serpere accensa per » aestatem superiorem contagio; opportune autem allatae ab

Digitized by Google

» Urbe erant Reliquiae Magni Indiarum Iaponiaeque Apostoli
» S. FRANCISCI XAVERII, per Italiam et alibi celebris contra
» malum istud Patroni, quem iam variae in circuitu urbes
» coeperant solemnius invocare. Placuit ergo Magistratui, cum
» approbatione Episcopi, quam solemnissimam earumdem
» Reliquiarum translationem fieri, ab Aula Sodalitatis Latinae
» longo circuitu ducendarum usque in templum Domus Pro-
» fessae. Instituta ea processio est Dominica Sexagesimae,
» die XX Februarii; et primum utriusque Domus Patribus
» omnibus linteatis faces praeferentibus, tum universo fere
» Magistratu. Ad easdem Reliquias in excelso pegmate per
» Reverendissimum Antistitem collocatas, cantatus est hymnus
» Ambrosianus, tum ad earumdem osculum sub solemni Sacro
» admitti coeperunt, primum utriusque Ordinis Optimates,
» tum alii quicumque. Cum autem non desinerent continuo
» affluere supplicabundi Cives, plures successive sacerdotes
» usque ad octavam vespertinam lassari oportuit. Continuata
» deinde per novemdium devotio est, concionibus et officiis
» variis interpolata, per omnes successive Sodalitates et Cate-
» chismos. Memorabile autem est, quod cum antea alternis
» saltem diebus domus aliquae de novo corriperentur et lue
» exstincti denuntiarentur nonnulli, toto eo novemdio nemo
» correptus, nemo exstinctus sit. Cum autem postridie finitae
» devotionis istius, aliquis ante Curiam defunctus repériretur,
» territus ea re Magistratus, Episcopum rogavit, curaret ad
» alios novem dies Xaverianarum Reliquiarum expositionem
» protrahi, prout factum est. Et ne popularis ardor deferve-
» sceret, institutum, ut deinceps quotidie eaedem sacrae Reli-
» quiae in Xaveriano altari manerent expositae, ac tribus per
» matutinum tempus vicibus osculandae praeberentur. »

II. « Exhinc nulla notabilis in Urbe mortalitas fuit; semper
» tamen aliqua, quae Iesuitas, eo ministerio deputatos, coegit

Digitized by Google

» in assignata ad id domo sequestratos manere. Horum inco- » lumitati ut consuleret Civitas (nam etiam in Lazareto, ad » unum horae quadrantem dissito, procurandi erant aegri) » prospexit eis Magistratus de minori rheda qua per summos » calores euntes redeuntesque extra moenia uterentur; domum » etiam supellectili commodiore instruxit. Correpti et ex- » stincti nihilominus ex illis duo sunt, quorum unus Sacerdos » *P. Ioannes Guilielmus a Steyn*, Principi Condaeo, cuius » castra fuerat comitatus, impense carus, in festo B. Aloysii » simili in opere caritatis exstincti, mortuus est, idque cum » fratre laico post paulum secuto. Providentes autem Patres » fieri posse, ut sua quoque in Civitate domus contagio affla- » retur, itaque cogerentur etiam sani a consuetis ecclesiae » suae ministeriis abstinere, et solita in auxilium proximorum » studia intermittere, curaverunt ut suburbana sua ad recrea- » tionem domus, latius extensa eductaque altius, capax » fieret plurium usque ad triginta, qui ibi commode recipi, » indeque ire ac redire ad munia sua tali casu obeunda pos- » sent; quod liberalitate Domicellae Annae Houtappeliae, » quae antea cum sororibus aedes, ut dictum est, hortosque » donaverat, factum. »

III. Hactenus historia Domus nostrae : dum ista curant Patres ad Domum Professam manentes, « unus ex Collegio » Herenthalium profectus (ut habent Annales eiusdem domus) » dissidium sustulit, quod ibi occasione onerum belli tempore » toleratorum plures iam annos civilem inter et suburbanum » Magistratum vertebatur, magno cum utriusque partis dis- » pendio. Ei sopiendo non semel frustra allaborarant varii » utriusque cleri, tam secularis quam Religiosi, Superiores. » Tandem Pater socio usus uno ex Canonicis Antverpiensi- » bus, vix rerum perito (neutrius nomen exprimunt Collegii » Annales) utramque partem, nihil alteram scientem de altera,

Digitized by Google

» ultro citroque conveniendo, ad eas deduxit conditiones, ut, » quod antea desperatum videbatur, prius peractum sit quam » serio agi sciretur; tanta cum populi Herenthaliensis appro- » batione et gratulatione, ut multi assererent, non fuisse » maiorem privatim singulis in pace Hispano-Gallica aut Hol- » landica. Etenim ad amicum et hilare Magistratus utriusque » convivium accessere festivi sonitus maiorum campanarum, » tormentorum explosiones et ignes quasi triumphales, eo » quod sic finiebantur innumerae lites. Pacificationes siquidem » istae, totis Regnis communes, minus videbantur affecisse » singulos, quam haec privata inter unius eiusdem Reipubli- » cae Magistratus, quorum utrimque exhauriebantur aeraria, » nullo publico profectu et communi cum scandalo; quod, » qui Civium pacem mutuam constituere et sartam tectam » servare debebant, eam inter se habere non possent. »

IV. Die XVI Aprilis, Bruxellis prodiit, ac deinde publicatum ex podio Curiae est, edictum, piscationi in fluminibus consulens, huius tenoris: « PHILIPPUS, Dei gratia Rex..... » Marchio S. R. Imperii, Dominus Salinarum atque Mechli- » niae, Dominator in Asia Africaque, omnibus praesentes » hasce visuris salutem. Cum experientia quotidiana doceat, » quam inordinate et irregulariter agatur circa piscationem » in fluminibus Scaldis et Rupelae, aliisque rivis et aquae- » ductibus Brabantiae, nec non circa loca subiecta fluxui ac » refluxui inundantis aquae, ab iisdem fluminibus communi- » catae, non solum propter multitudinem veliferarum et oblon- » garum desuperque patentium navicularum, quas a fundo » radendo CRABBERS SCHUYTEN, vel etiam haustra, vulgo EEMERS, » nuncupant, quarum praecipuus usus est in Scaldi, Wint- » hamum et Austrewelam inter, quae naviculae fluviis impo- » sitae, ipsos sic claudunt exhauriuntque, ut nullus fere piscis » possit evadere quin maiores capiantur, et minores in

Digitized by Google

» bibus suffocentur; sed etiam piscando iis retiaculorum » generibus, quae propter macularum angustias habentur » illicita, nec non ex eo capite, quod pisces sistantur, prae- » sertim aestivo tempore; et aquae vitientur macerando lino in » fluvios et communes rivos iniecto; quo fit ut exterminentur » omnis generis pisciculi (vulgo 'T GRAEUW), ipsumque etiam » semen, unde propagari species debent, copiaque fluentis » suffici, ita ut haec tali ratione citius possent omnino destitui » piscibus, magno cum Nostro Nostrorumque subditorum prae- » iudicio ac damno, per quos eiusmodi fluvii decurrunt, ius » habentium in iisdem piscandi, communiterque incolentium » Ducatus Nostri Brabantiae regiones; Nos, volentes ad » commodum et incolumitatem populi Nostri praedictis in » futurum prospicere, ordinavimus et decrevimus, ordinamus- » que et decernimus per praesens edictum puncta sequentia. »

V. « In primis nemo, cuiuscumque conditionis vel status, » audeat in fluviis praenominatis uti ad piscandum haustris » vel rasoriis iam dictis, priusquam id sibi ex iure competere » demonstraverit; sed omnes ea istic habentes prompte sub- » moverint, sub poena triginta Carolinorum florenorum, et » iactura navium retiumque, et capturae, donec ii qui id sibi » ex iure competere asserent, titulos suos et iura exhibuerint » probaverintque.

» II. Nemo praesumat in iisdem fluviis aut aquis commu- » nicantibus, sistere vel sisti facere piscem quemcumque, » parvum aut magnum, sub simili poena tempore hiemali; » aestivo autem, sub mulcta duplici.

» III. Licebit omnibus subditis Nostris, quibus privilegium » piscandi intra suum cuiusque districtum competit, eo libere » frui, utentibus apparatu texturae permissae; ceteris autem » prohibetur piscari, sub simili mulcta et retium privatione.

» IV. Nemo ausit in praedictis fluviis, vel etiam paludibus

» fossisque communicantibus, linum macerandum imponere,
» sub poena viginti florenorum, quoties id fuerit facere de-
» prehensus.

» v. Nemo ibidem praesumat reti piscari, a mense Maio
» usque ad medium Septembrem; quo tempore debebunt
» omnes cum suis haustris recedere Austrewelam; post medium
» autem Septembrem redire ad opus faciendum omnes pote-
» runt, usque ad Maium.

» vi. Tum vero non licebit aliis retibus uti, quam quae
» furcis explicantur (RIEKNETTEN) quae quidem retia in maio-
» ribus fluminibus possunt habere longitudinem ulnarum qua-
» draginta; in minoribus vero, dumtaxat sedecim (ut sunt
» ea retia quae dicuntur VLOUWEN, BALNETTEN, CRUYSNETTEN)
» cum profunditate, macularum amplitudine, aliisque ex usu
» antiquitus definitis, prout singulorum mensurae pendent in
» Camera Politiae, cum officialibus communicandae: quas
» mensuras qui excesserit, viginti Carolinos solvet, retiaque
» amittet.

» vii. Alterius omnis generis, superius non expressa retia,
» censeantur prohibita; ac nominatim WAEYEN, a flando dicta
» velut *flabella*, quae omnia retexi et comburi iubentur, sub
» mulcta praedicta.

» viii. Permittitur nihilominus piscari cum retibus, quae
» secundum ripas funibus trahuntur ad capiendos Gammaros
» (GARNATEN), instruendis nassis necessarios, dummodo minutili
» pisces in iis comprehendendi reiiciantur in aquam, neque
» serventur vendanturve, sub poena viginti Carolinorum,
» toties quoties, cum iactura retium.

» ix. Nemo etiam praesumat in dictis fluviis capere aut
» sistere lucios vel etiam alburnos (SNOUKEN EN BLIEKEN) nisi
» intra oculos et caudam longi sint, hi quatuor pollices,
» isti, novem; neque minores licebit vendere aut vendendos

Digitized by Google

» exponere, sub poena viginti Carolinorum ipsorumque pis-
» cium captura. »

Hos novem articulos alii duodecim sequuntur, per quos executioni mulctarum officialibusque consulitur, ad communem instructionem notitiamque minus necessarii, et in vernaculo impresso legendi.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii, *iidem* viii *Iunii, Feria* iv *post Pentecosten, actam* v *Iunii.*

Consules. — Dl. Ioannes Antonius Tucher. — vi. Dl. Ioannes van Weerden II.

Scabini. — Dom. Henr. van Halmale. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — Dom. Alexander Goubau. — Dl. Henr. vande Werve. — D. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Dl. Philippus Helman. — Dl. Florent. van Berchem. — M. Nicolaus Noyts. — Dl. Phil. Augustin. Cano. — Ioannes Bapt. Balkin. — M. Ant. Maria Frarin. — M. Gregorius Mertens. — Dom. Franciscus Rubens. — M. Ioannes Vequemans — M. Iacobus de Witte. — Adrianus Borrekens. — Petrus van Biesthoven.

ARGUMENTUM.

I. Cruciformis ecclesiae Andreanae fabrica perficitur. Fossa Saccararia fornice tegitur. II. Suggeritur Civitati modus fossas internas purgandi, immissa dulci aqua; sed consilium hactenus neglectum, suspenditur. III. Mulctatur Senatus a Rege Armorum, ob permissam usurpari in scuto Coronam Imperialem; quam id immerito, probarent exempla ab Advocato Nys, ex vetustis ecclesiarum fenestris aliisque indubitatae antiquitatis et auctoritatis monumentis, studiose collecta si invenirentur. IV. Obitus Norberti Abbatis, eiusque acta. V-VI. Obitus Danielis Zegers, Soc. Iesu, pingendis floribus nominatissimi.

Digitized by Google

ACTA POSTERIORA.

I. Crux ecclesiae Parochialis S. Andreae, quae dudum imperfecta steterat, licet ea causa quotannis institueretur collecta, tandem plene contecta est, ex cuiusdam piae personae legato testamentario; ita ut iam solum restet absis chori cum fornice perficienda.

Eodem anno indultum est die xviii Augusti, ut Fossa Saccararia, quae eatenus aperta manserat, fornice ducto obtegeretur : idemque indultum est habitantibus ad Fossam Minoriticam, duas tertias sumptuum conferentibus dominis aedium adsitarum, prout habet Ms. E., fol. 272.

Cellitae quoque seu Alexiani celebraverunt hoc anno ducentesimum annum professionis suae sub Regula S. Augustini.

II. « Mense Septembri quidam Florentius van Langeren, » Cosmographus et Mathematicus Regius, exhibuit Magistratui excogitatum a se modum purgandi civitatem a corrupto » illo aere, quem exhalant fossae, ipsam tertio auctam intersecantes stagnantesque. Intendebat scilicet aquas Scaldis ita » circumducere ad Lutosam portam, mediante una alterave » cataracta per subterraneum canalem, canali alteri, per quem » suam braxatores ab Herenthaliensi aquaeductu accipiunt, » nihil nociturum, in Fossam quae *Sordida*, DE VUYLRUYE, » dicitur intromissae, indeque dispensatae per eas fossas, » quae se exonerant in Ioanniticum et Petraeum, aliaque » intermedia navalia; ut per singulos affluxus Scaldis repletae, » eodemque recedente exoneratae, ipsarum alveos identidem » repurgarent ab undique incurrentibus per cloacas sordibus.

» Id cur executioni mandari non coeperit, inquit Caukerkius, » equidem nescio, nisi nimis magnarum expensarum opus » futurum sit existimatum. » Audivi ego, quia si duabus per diem horis cessare iubebatur mola illa aquatica, quae magno

Digitized by Google

cum proventu est in ponte S. Ioannis constructa, tantumdem minuendum sit pretium annuae locationis inde percipi solitum.

III. « Cum cuidam sculptori Matthaeo Borrekens, ex parte » Civitatis, commissum esset, eius scuto imponere Coronam » Imperatoriam, litem eidem Civitati coram Senatu Brabantiae movit Rex, quem vocant, Armorum; fecitque ut die » VIII Octobris damnaretur illa in mulctam, statutam excedentibus in hoc genere, per edictum anni M.DC.XVI; cum » expresso mandato, eiusmodi Coronam quam primum eradendi et sic correcti scuti exemplar impressum ad Curiam » transmittendi. »

Ita ex sententia impressa Caukerkius, nesciens quam bono et antiquo iure eiusmodi Corona adhiberi potuerit possitque ac debeat etiamnum.

Ei probando serviturus hoc loco erat Commentariolus, quem mihi pollicebatur Advocatus Nys, ex illustrium ecclesiarum vetustis picturis et fenestris vitreis, Gandavi, Insulis, Atrebati, et alibi adhuc visendis; ubi inter Belgicarum Provinciarum scuta, etiam Antverpiense collocatur, cum ea quae in controversiam nunc vocabatur Corona. Habebat etiam idem Advocatus ipsum scutum, in ligno antiquitus sculptum, et per incuriam non aestimantium talia abiectum inter quisquilias Curiae, unde extractum servabat: sed immatura viri curiosissimi mors praeoccupavit promissum; et is, in cuius potestatem litteraria boni viri scripta pervenerunt, negat se folium illud in quo ectypa talium fenestrarum a se collecta ille mihi ostenderat, hactenus potuisse invenire. Interim exstat in Deuren, in foro ad viam publicam, supra columnam novam, cui alligantur palam ab omnibus publice deridendi rei sic infamari commeriti, sculptus Leo, inter pedes tenens scutum Antverpiense imperialiter coronatum, quod non potest ignorasse pulcher

Digitized by Google

ille Rex Armorum, neque ausus fuit obmutire. Baro autem le Roy, ut vidit prolationes eo adducendas, doluit se, territum sententia praedicta, minoris dignitatis Corona usum in fronte suae Notitiae Marchionatus nostri; et ego in fronte horum Annalium sine scrupulo curavi Antverpiam imperialiter coronatam sculpi, sperans fore ut inveniatur aliquis, qui talia diligenter observando et producendo, patriae suae honorem tueatur, exemplo Amstelodamensium, numquam passurorum ut decus istud civitatis suae calumnietur aliquis.

IV. Hoc anno obiit die IX Septembris NORBERTUS, Abbas S. Michaelis XLI, cuius inter praecipua opera numerandum, praeter honorem S. Norberti Reliquiis, Praga huc translatis, impensum, et sacellum Deiparae in ambitu chori marmoribus ornatum; quod cum anno M.DC.LV maiorem suae turris campanam refundi fecisset, atque ad meliorem tonum reduci curasset, eidem alias triginta et unam addiderit, quae adeo bonae resonantiae et harmoniae sunt, ut cum quovis alio campanario opere per totum Belgium certare Michaeliticum hoc possit; pondus autem omnium ad XIIIIM.D.LXXII libras aeris ascendit. Idem grandem illam ac speciosam aulam, quam Abbas XXV anno circiter M.CCCC.LX excitaverat inter dormitorium et palatium Abbatis, ad latus claustri meridionale, feceratque refectorium et bibliothecam esse, quaeque post incendium restaurata non nisi Principum Gubernatorumque hospitio serviebat, denuo fecit refectorium, malens ipse talibus hospitibus tantisper cedere palatium suum et incommodius degere, quam ut subditi sui diutius pergerent ad quotidianam refectionem ambulare trans vetus claustrum, ad locum primi ante annos ducentos refectorii. Sanctimoniales quoque Bredanas tres huc transgressas suscepit, ut supra dictum. Defuncto autem successit Abbas XLII MACARIUS SIMEOMO, Antverpiensis, qui cum adhuc Prior esset, dicitur collegisse saepius laudatam Coenobiographiam

Digitized by Google

S. Michaelis, eamque Sandero ad aptandam tradidisse anno M.DC.LIX : institutusque Abbas, decessoris sui in utroque monasterio coepta egregie promovit.

V. Hoc etiam anno, die II Novembris, in Domo Professa Societatis nostrae obiit Frater DANIEL ZEGERS, Antverpiae natus anno M.D.XC. Non minorem hic, quam scribendis erudite libris alii, famam Domui huic acquisiverat pingendis ad naturae invidiam floribus : quod *Iustus van Vondel,* nominatissimus apud Amstelodamenses vernaculo idiomate poeta, eleganter expressit, subscribendum effigiei, quam Ioannes Livens, pictor, ex eius ignari vultu furtim delinearat; ita Danielem comparans api, ut haec ipsa se excuset naturae, quod, arte eius decepta, tamquam ad veros flores advolaverit :

Den geest van Zegers is de Bie,
Waerop de Nederlanders roemen,
Zy suyght haer honichs lackernie
En geur uyt alderhande bloemen.
Een bie quam op syn schildery,
Om schyn en kleuren aengevlogen,
En riep : Natuer, vergevet my,
Dat blom-pinceel heeft my bedrogen.

Non aeque feliciter eidem imagini subscripsit alius :

Arte sua haud similes flores pinxisset Apelles,
Quos toto acceptos Daniel orbe dedit.

Hic tamen vere significavit, quod nullius Principis Aula sit, quae non magni fecerit floridis eius tabulis decorari.

VI. Fuerat *Daniel,* in illis silvisque pingendis, usus Magistro *Ioanne Breughel,* quem *Holosericum* cognominabant, laudato in Pinacotheca ad paginam 89, post patrem suum *Petrum,*

Digitized by Google

eximium etiam pictorem : sed Magistrum discipulus mirum quantum superavit, postquam transiit in Societatem Iesu, bene usus otio, quod sua ad coelibem vitam vocatio superiorumque indulgentia ei dabat, ad huius artis exercitium; nec non opportuna monitione *Rubenii*, eum sic admirantis, ut dignaretur docere, non eadem in luce perfectioneque collocandos flores singulos; sed alios aliis praeferendos, qui ab his, velut ab umbra, plus decoris accipiant. Voluit etiam idem Rubenius penicillo suo addere figuras requisitas implendis tabulis aliquot. Talis ea est, quae apud Iesuitas in sacello Mariano facit videre Deiparam, cum Filio in brachiis quasi in recessu pictam, ut praecipuis honor videatur relinqui floridis pancarpiis, utrimque appensis per pictos superne coelestes genios, in quibus mirabilis prorsus Rubenius erat. His ille, in superiori tabulae ipsius parte, omnem eam vitam dedit, quam ars conferre poterat, nihil officientem floribus subtus ordinate dispositis. Similem huic tabulam videre est in sacello Ignatiano, cui deficientem dimidiam Sancti Patris figuram, geniosque ipsum allata desuper florida corona honorantes, supplevit *Cornelius Schut*, in figuris, praesertim minutioribus, felicissimus pictor, qui iis Zegerianarum tabularum ad hoc vacuos umbilicos ornans, magnum quoque sibi nomen fecit apud omnes Principes, etiam heterodoxos, quorum gratiam Societas captabat eiusmodi muneribus. Vicem autem *Schutto* bonam reddidit Fr. *Daniel*, quando a Superioribus impetravit, ut ei liceret quartam pro maiori altari tabulam pingere; ubi coelorum Regina, inter et super omnes Sanctos exaltata, exprimeretur. Optabant aliqui tirocinium artis sub Fr. *Daniele* ponere, si per superiores licuisset, quod quamvis multis de causis non probaretur, negari tamen non potuit praenobili adolescenti *Ioanni Philippo van Thielen*, Toparchae de Couwenborg, sub annum M.DC.XVIII Mechliniae nato, qui

Digitized by Google

ea solum causa Antverpiae elegit habitare; tantumque sub tanto Magistro profecit, quantum demonstrant opera, pag. 345 Pinacothecae, post effigiem eius laudata; uti et tres eius filiae virgines, paternum genium ingeniumque cum sanguine sortitae. Ceterum Fratrem illum Societati magis commendabilem reddidit religiosa humilitas, qua ab occupatione tam nobili ad infima quaeque gradus laicalis ministeria demittebat se, Principum favoribus nihil elatus supra se.

A. C. M.DC.LXII.

ARGUMENTUM.

I. Capucini permittuntur hortum suum extendere. II. Ingravescit annonae caritas. III-VI. Cornelius de Bie edit lingua patria Pinacothecam illustrium huius seculi pictorum, statuariorum et chalcographorum, magna ex parte Antverpiensium, quorum inde Syllabus colligitur cum laude Auctoris, scribendis edendisque mixto stylo libris occupati ultra annum aetatis octogesimum.

ACTA PRIORA.

I. Cum Patres Capucini superiori anno obtinuissent facultatem emendi cuiusdam horti seu prati, ad linteamina post lotionem siccande, eatenus siccatis in foro equino, ipsum monasterio suo adiunxerunt, clausa quae intercedebat semita, aliamque magis occidentalem aperuerunt eo loco, ubi iam tum erat angiportus vulgo impervius. Iidem absolverunt interim etiam novum refectorium cum infirmaria; et hac occasione aperuerunt totum conventum cuilibet cuiuscumque aetatis ac sexus inspiciendum; quod maximam spectatorum frequentiam allexit, a die xv Aprilis usque ad xxii.

Digitized by Google

II. Caritas annonae tanta hoc anno fuit, ut quartale secalis florenis x, tritici xii emeretur; maiori autem, quae merito formidabatur, penuriae providens Civitas, curavit naves aliquot empto in Hollandia frumento onerari, ipsumque huc advectum moderatiori pretio clam exponi; itaque providit, ne pretium augeretur, cum periculo tumultus a famelica plebecula, solita in pistores aut frumentarios dolorem suum exonerare.

III. Hoc anno prodiit Antverpiensibus typis iam saepius nominata Pinacotheca (HET GULDEN CABINET) insigniorum seculi huius pictorum atque sculptorum, partim tunc mortuorum, partim in vivis superstitum : qui et sua cuiusque opera, supra ducentos quinquaginta prosa versuque istic laudantur, plerique etiam expressis ad vivum iconibus cognoscendi; sunt autem hi magnam partem Antverpiae nati, vel commorati, aut etiam defuncti. Auctor est CORNELIUS DE BIE, Lyrae, sub hac Civitate oppidi, Notarius, Graphiarius et Audientiarius militaris : cuius, eodem in oppido nati anno M.DC.XXVII, et media aetate ab Erasmo Quellino picti, icon, Pinacothecae praemittitur una cum effigie *Antonii van Leyen,* ut Maecenatis, qualem tunc pinxit idem Quellinus, sculpsit autem Richardus Collin. Eadem Pinacotheca in Gallicam, Anglicam et Germanicam linguam traducta, lucem cum plausu tot locis meruit.

Hanc si aliquando auctori placeat usque ad finem seculi xvii iam exacti perducere, supplendo non tantum ibi laudatorum et tunc adhuc viventium historiam, et designatis quae laudanda supererant spectabilioribus cuiusque operibus, locoque ac tempore mortis, sed etiam eorum, qui novi exinde inclaruerunt, aut etiamnum vivunt, notitiam similem posteritati dando, crescet haud dubie in molem duplo maiorem opus.

IV. Interim ex eo quod iam habemus, placet excerpere elenchum eorum, qui patriam nostram nativitate sua, aut

diuturna commoratione et morte clariorem fecere; ut, considerato eorum numero, longe excedente numerum eorum, qui ex Belgicis simul omnibus colligi potuere, appareat quam non immerito Civitas nostra laudem ferat prae ceteris a copia et praestantia suorum pictorum sculptorumque. Talem ergo elenchum accipe, sine alio ordine quam quem forte in praelaudata Pinacotheca habent, necdum alibi a me ad annos praegressos laudati ex occasione, aut ad sequentes annos, quibus eorum obitus innotescat, nominatim laudandi. Sunt autem: IACOBUS VAN ES, a Wenceslao Hollar encausto expictus, ut natus Antverpiae, ubi adhuc vivebat, excellens fructibus ad secundas mensas, avibus, piscibusque ad vitae similitudinem pingendis; quo in genere etiam patriam hanc suam illustrabat ALEXANDER ADRIAENSEN.

II. ADRIANUS STALBEMPT, anno M.D.LXXX natus, qui designandis agrorum camporumque prospectibus, et congruis ad eorum instructionem personarum minutarum figuris, sic inclaruit, ut eum Rex Angliae ad se invitaverit: et mirabilia opera pergebat penicillo suo, cum Pinacotheca excudebatur, eidem elaborare.

III. ADRIANUS DE BIE, Lyranus, auctoris ipsius pater, adhuc in vivis erat, qualis exprimitur, pag. 231, caelte *Lucae Vorsterman*, annum agens LXXVIII aetatis suae. Hic primos annos in Italia egit, variis Cardinalibus eorumque Camerariis carus ob artis nitorem; unde in Brabantiam reversus anno M.DC.XXIII, eumdem porro nitorem tenuit, exprimendo ad viventium similitudinem eos, qui offerebantur, aliisque grandioribus figuris.

IV. PAULUS DE VOS, Hulstensis, Regum ac Principum Aulas implevit venationibus, aut etiam conflictibus ferarum aviumque, quas exprimebat ad vivum, quando earum admiratio nullum externum Principem Antverpia permittebat transire, quin viseret ipsius officinam. Memini ego, puerum me eius in

Digitized by Google

domo familiariter agentem, vidisse aliquoties Principem Cardinalem intrantem atque exeuntem domo eius; nec non vivum cervum et cervam, ab eodem Principe donatos, atque ibi ali solitos, ut pictori eiusque discipulis eorum species vivacius imprimeretur : nescio autem an et discipulus Rubenii fuerit : hic certe non dedignabatur picturas ab eo formatas instruere figuris, ad rem facientibus, prout ipsemet vidi. Laudatur ibidem etiam SIMON DE VOS, Antverpiae natus anno M.DC.III, ut eadem in arte eodemque in argumento clarus.

V. LUCAS VAN UDEN, uno post istum anno ibidem natus commendatur, pag. 240, pulchro poemate, propter nativam elegantiam, qua silvas, campos, agros exprimere consueverat.

VI. IACOBUS IORDAENS, natus Antverpiae M.D.XCIV, sub socero suo ADAMO VAN OORT, ad eam pervenit artis praestantiam, ut nisi illum magistrum habuisset, videri posset a Rubenio eruditus; ita huius discipulos praecipuos prope assequitur. Probant id illius, quas hic plures videmus, picturae. Ipse se pinxit, et *Petro de Iode* sculpendum dedit qualis est in Pinacotheca, pag. 239 : ubi etiam, pag. 154, discipulus eius IOANNES VAN BOCKHORST, vulgo dictus *Longus Ioannes*, LANGEN IAN, et sub hoc nomine Antverpiae notior; ubi multa illustria opera fecit vixitque et obiit, licet Monasterii in Westphalia natus.

VII. IOANNES SUSTERMANS, Antverpiensis, magno Hetruriae Duci prae ceteris Aulicis adamatus fuit, propter artis excellentiam, uti testatur Pinacotheca, pag. 242.

VIII. GASPAR DE CRAYER, Antverpiae natus anno M.D.LXXXV, ex disciplina *Raphaelis Coxi*, magistrum iudicatur superasse in iis, quae ipse Gaspar in nostra Cathedrali, Gandavique, et Nazarethano, iuxta Lyram, in Parthenone fecit operibus; proximeque accedere ad *Rubenium* eiusque discipulum *van Dyck*, qui eumdem Gasparem, qualem *Iacobus Neefs* sculpsit, pinxisse dicitur : habitabat autem fere Bruxellis, Ferdinandi

Digitized by Google

Cardinalis pictor domesticus, et ibidem mortuus circiter octogenarius.

IX. BALTHAZAR GERBIER, natus anno M.D.XCII, post longam conversationem in Italia, in Angliam transiit futurus Buckinganii Ducis domesticus pictor : per quem in notitiam Regis deductus, primum Eques creatus est et Baro in Normannia; deinde, anno M.DC.XXX, missus ad Aulam Bruxellensem, Regia istic curavit negotia; reversusque in Angliam factus Caeremoniarum Curialis Magister est; non tamen propter solam picturae excellentiam, quae summa erat, sed etiam quia liberalibus omnibus artibus, praesertim Mathematicis, Geographicis et Cosmographicis bene instructus erat. Vivum coloribus expressit *Antonius van Dyck*, unde incisum aeri exhibet Pinacotheca, pag. 249.

Celebrantur ibidem Pinacothecae, pag. 255, FRANCISCUS et IOANNES EYCKENS, inter pictores Antverpienses huius aetatis clari.

X. IOANNES COSSIERS in lucem venit anno M.DC.III, meritoque suae artis (quam a *Cornelio de Vos*, Alostano, sed Antverpiae commorante, didicerat) notus carusque Hispaniae Regi, Principi Cardinali, Archiducique Leopoldo; et suam, qualem ipsemet pinxit, ac *Petrus de Iode* sculpsit, effigiem habet. Nusquam autem spectabilius exercuit ingenium, quam in magna Beggiuagii Mechliniensis ecclesia : cuius altaria tabulis suis implevit.

XI. PETRUS VAN LINT, licet natus Antverpiae anno M.DC.IX, peregre tamen ferme egit et agebat cum conderetur Pinacotheca, ubi habet sua ipsius manu pictam, et a *Petro de Iode* sculptam iconem. Septem ille annis Romae, ut pictor, servierat Cardinali Decano et Episcopo Ostiensi, cuius ab ipso restauratae ecclesiae ad instruenda altaria tres tabulas pinxit, ibi cum Italorum admiratione visendas; inde in Daniam abiit, et ad Regis obsequium multa fecit.

XII. DAVID RYCKAERT, natus anno M.DC.XIII, Archiducis Leopoldi

Digitized by Google

aestimationem gratiamque promeruit, pingendis equitibus palatiisque, sed maxime exhibendis ad lumen, vel candelabrum, vel alias subobscuram lucem, ingenii sui argumentis incantationum magicarum aut diabolicorum phantasmatum, qualis est tentatio S. Antonii, ut dicitur in Pinacotheca, ante et post effigiem, quam ipsemet pinxit; sculpsit autem *Fredericus Bottats*, Antverpiensis.

XIII. GONZALUS COQUES, Davidis Ryckaert discipulus et gener, natus M.DC.XVIII; non solum Gubernatoribus nostris Leopoldo et Ioanni Bruxellis placuit assimilandis minutim ad vivum personis id volentibus; sed Regi quoque Angliae, Marchioni et Electori Brandeburgico et Auriaco Principi, prout testatur epigraphe subscripta iconi, quam ipsemet pinxit; *Paulus* autem *Pontius* sculpsit.

XIV. IOANNES FYT, Antverpiensis, exprimendis omnis generis volatilibus et quadrupedibus mirabiliter excellens, praedicatur pag. 339 Pinacothecae.

XV. FRANCISCUS DE NEVE iuvenis Romam tetendit, ibique Raphaelem Urbinatem sic didicit imitari, ut in Pinacotheca encomium prolixum meruerit, quale Italia universa ei dare dicitur : unde redux, in suburbano Domini van Leyden, artem suam spectandam reliquit.

XVI. Annos XXXVI nati erant Antverpienses duo IOANNES PETRI et PETRUS BOEL, quando utrumque longo poemate honoravit auctor Pinacothecae, ubi et effigies eorum videre est; *Petri* quidem, ut a *Luca Vorsterman* iuniore delineatam et sculptam; *Ioannis* vero, ut pictam ab *Erasmo Quellino*, sculptam a *Conrado Lauwers*. Prior commendatur a marinis diversitatibus pace ac bello, pelago tranquillo aut tempestuoso; posterior ab animalibus, fructibus floribusque.

XVII. IOANNES VANDEN HECKE, Quaremundae, prope Aldenardam, in Flandria genitus, Romam petiit; moratusque annis

Digitized by Google

aliquot est apud Bracciam Ducem: cuius gratiam consecutus arte sua, tabellis minoribus conceptus proprior, et quaslibet florum fructuumque et animantium species exprimebat. Sedem is Antverpiae habebat cum Pinacotheca conscriberetur. Indigenae vero GASPAR et NICOLAUS VAN EYCK erant, quorum prior assimilandis maris naviumque aspectibus famam sibi acquirebat; dum alter tamquam Vigiliarum civilium Capitaneus, quasi ex muneris sui functione quaevis spectacula militaria penicillo adumbrabat: et utriusque coaevus CORNELIUS DE HEEM fructus, flores, vasa aurea argenteaque et porcellana, reliquumque mensalem apparatum penicillo repraesentans, posteritati commendare se studebat.

XVIII. IOANNES DE DUYTS, annos natus XXXIII, utilior fuisset spectatoribus, si ingenium, quod eatenus fere occuparat pingendis nuditatibus, divertisset ad honestiora argumenta.

XIX. IOANNES SIBRECHTS quemdam *Cornelium van Berchem*, apud Hollandos Harlemii famosum in minutis figuris pictorem, proxime imitatus est; et LUCAS FRANCHOIS, magni Rubenii discipulus annis pluribus, reversus in patriam suam Mechliniam, studii fructum retulit pingenda ibidem ad vivum Condaei Principissa, totaque eius nobilitate tunc istic commorante: quin et ipse se talem pinxit, ut magistri penicillum toto vultu et habitu agnoscere in discipulo videaris; nec minus laudare debeas dexteritatem sculptoris *Cornelii Woumans.*

XX. Simili vivacis vultus posituraeque elegantia, a quodam *Abbe* delineatum PETRUM VAN BREDAEL sculpsit *Conradus Lauwers;* annos tunc quidem XXXII dumtaxat natum, iam tunc tamen, lustrata Hispania aliisque Provinciis, instructum abunde ad rurales, hortenses, architectonicosque prospectus, et minuta animalcula curiosissime exprimenda. Se ipsum vero encausto effigiatum dedit. CAROLUS VAN SAVOYEN, id est, *de Sabaudia*, dictus, artem suam in Hollandia non inglorius

Digitized by Google

exercebat cum Pinacotheca edebatur; Antverpiae tamen natus anno M.DC.XIX.

XXI. FRANCISCUS FRUYTIERS in eadem lauderi meritus, ob insignem qua pollebat facultatem assimilandi species personarum viventium, singulariter autem mihi commemorandus hic venit, causa Venerabilis Magistri mei Ioannis Bollandi, ad quem iam expirantem accercitus, quarto post impressam Pinacothecam anno, Christi M.DC.LXVI, vultus in morte deformati lineamenta ita feliciter reduxit, ex veteri, quam ante annos quinquaginta impresserat animo idea viri, sui tunc in scholis humanioribus Praefecti; ut qui senem adhuc vegetum noverant extremis vitae annis, iurarent, ad verum nihil posse similius pingi: quod etiam praestitit *Richardus Collin*, exceptam e pictura imaginem aeri incidens cum vita spectandam ante tomum primum Martis, cui immortuus ille fuit. Simile quid in altero meo Magistro Godefrido Henschenio praestitit *Nicolaus Huberti*, Nicolai filius in eo quem prosequimur Pinacothecae libro non nominatus, qui, pictoriam artem edoctus a patre, numquam eam professus est, Regiis vectigalibus colligendis praefectus; dignum tamen hoc loco non praeteriri, probat praefixa tomo VII Maii imago, ut eam aeri incidit *Philibertus Bottats*, Frederici filius; probat etiam parem Fruterio famam illum consequi potuisse Nicolaum istum, si licuisset per officium tractando soli penicillo vacare. Interim pictura utraque servatur in Musaeo nostro.

XXII. ANTONIUS GOUBAU tantum moribus ac vita constanter coelibe, et verae virtutis cultu laudabilis, quantum excellebat arte, qua per ambitum inferiorem ecclesiae Ignatianae eas omnes tabellas pinxit, quibus obteguntur loculi, inter marmoreos parietes excavati capiendis Martyrum e Romanis coemeteriis extractorum corporibus; grandiores autem tabulas, privatorum aedibus ornandis, mira cum varietate quasi in foro

Digitized by Google

aliquo digessit, et ad extremum invenit modum sic exprimendi quidquid tapetiarius posset lana sericoque conficere textoriis suis radiis, ut veris tapetiis nihil cedant lintea sic ab eo figurata.

Iconem suam noluit in Pinacotheca spectandam dare; sed GASPAR DE WITTE, egregius florum ac fructuum pictor, ab Antonio praefato depictus, docere potest, quam vitam is daret iis quos assumebat effigiare. Interim in floribus fructibusque cum GASPARE certabant GEORGIUS VAN SON et IOANNES VAN KESSEL, ab Erasmo Quellino depicti, qui tres simul apud nos floruerunt cum IOANNE BAPTISTA VAN DEYNUM, sub annum M.DC.LI unius civicae turmae Capitaneo, ad miniaturas, ut appellant, praestantissimo; in quo, ipsiusmet manu depicto, finitur pars secunda Pinacothecae.

V. Tertiam eius partem non soli pictores, sed etiam chalcographi et statuarii implent, nostrates mixtim cum externis, ante editum librum viventes; quorum aliquos hic referri dignos sufficiet turmatim colligere, utpote necdum antea nominatos, ac solis fere poematis ab auctore laudatos, absque ulla designatione particularium operum. Sunt autem IOANNES VAN MILDER, HUBERTUS VANDEN EYNDEN, ANDREAS COLYNS DE NOLE, IOANNES CARDON, SEBASTIANUS DE NEVE: quos omnes Antverpiae natos et commoratos cum laude (alios enim praetereo) excellentia artis superavit, utrique Quellino alibi descripto suppar, PETRUS VERBRUGGHEN, positis tota urbe altaribus altariumque sepimentis, organis, tumulis et portis notus, cuius etiam effigiem ab *Erasmo Quellino* pictam, a *Conrado Lauwers* sculptam in Pinacotheca invenies. Reliquit autem PETRUS iste artis suae heredes filios, PETRUM et HENRICUM.

VI. Inter chalcographos, ante superioris seculi medietatem claros prae aliis, occasione iconum Pinacothecae insertarum, laudandi sunt, laudanturque ii, quos pictorum nostratium

Princeps Rubenius idoneos censuit quibus crederet praestantiores suas tabulas aeri incidendas; et eo nomine in Pinacotheca commendantur IOANNES WITDOECK, a quo habetur Crucifixio tripartita, ornans altare maius in ecclesia S. Walburgis; NICOLAUS LAUWERS, qui nobis adorationem Magorum expressit; ac diu postea primariae Bruxellis in palatio Aulae altos longosque tapetes, ubi, iuxta Rubenii eiusdem designationem, exprimitur Ecclesia, per Eucharistiam triumphans de omnibus divinissimi Mysterii hostibus; cum Fide, hinc sensus intellectumque humanum pro illa captivante, inde idololatrica sacrificia ad eiusdem exhibitionem dissipante.

Similiter Rubenio, Antonio van Dyck, Iacobo Iordaens, aliisque operam suam locarunt BOETIUS et SCHELTIUS, a patre cognomen ADAMI, a BOLSWERT, sua apud Hollandos patria, potius celebriusque cognomentum sortiti; famam autem opesque Antverpiae; magis etiam IOANNES et HIERONYMUS WIERIX, faciendis inimitabili arte icunculis plerumque sacris, et tota Europa etiam nunc expeti solitis: quo in genere similiter excelluit IOANNES BAPTISTA BARBE, nec non uterque CORNELIUS GALLE.

Sed imprimis Rubenio placuit PAULUS DU PONT, sive Pontius, cui a magisterio LUCAE VORSTERMAN ad se transgresso, suam ipsius effigiem sculpendam ille dedit, qualem supra originalem protulimus. Multa quoque Antonii van Dyck opera PAULUS idem sculpsit; ipse vero pingendum se praebuit *Ioanni Livens*, et sculpendum PETRO DE IODE. Hic vero, *Henrico Goltzio* magistro usus, post longam in urbe Romana commorationem, redux in patriam anno M.DC.II, vixit usque ad annum M.DC.XXXIV, eiusque effigiem in Pinacotheca locandam sculpsit synonymus filius, etiam ipse inter chalcographos valde nominatus; qui suam quoque iconem a THOMA WILLEBRORDO BOSSAERT sic pictam sculpsit, ut inde genium et ingenium pictoris intelligas, qui

Digitized by Google

Bergo ad Zomam natus anno M.DC.XIII, Antverpiensibus poterat adnumerari, tamquam *Gerardi Zegers* discipulus; et, post multa Auriacis Principibus elaborata opera, regressus Antverpiam, ubi personam eius exsculptam videbis pag. 167 Pinacothecae.

VII. Antverpiam quoque sua praesentia et sculptis encausto operibus plurimum honoravit WENCESLAUS HOLLAR, Praga in Bohemia natus anno M.DC.VII, unde vix tandem dimissus a patre iam vicennis per varias Germaniae urbes peregrinatus est; tandemque Colonia discedens cum Comite Arundelio, post revisam obiter Viennam ac Pragam, eumdem Comitem in Angliam est secutus, factusque Ducis Eboracensis domesticus. Sed, regno mox bellis turbato et Catholicis vehementer vexari coeptis, noluit amplius ibi manere, atque Antverpiam venit, ubi, inter alia artis suae specimina, sculpsit Basilicae Marianae toto orbe celeberrimam turrim, qualem Baro le Roy inseruit pulcherrimo suo de S. R. I. Marchionatu operi; ipsum vero simili encausto expressit IOANNES MEYSSENS, is qui Pinacothecae auctori multam toto libro operam commodavit, pictor et sculptor, et utroque titulo ibidem laudatus : ubi etiam videre est eius effigiem, ab ipsomet pictam, et a filio *Cornelio* sculptam, apud quem impressa Pinacotheca prodiit, anno, ut supra dictum, M.D.LXII.

VIII. Porro non isto solum opere, Antverpiensibus tam glorioso, nostra se memoria dignum praestitit auctor illius, sed pluribus quoque aliis patria nostra lingua utroque stylo scriptis, per omnem vitam ad mores iucunde informandos. Vin necdum effeti, et adhuc scribendis libris intenti, nosse vultum, ut habeo mihi commodatum? Hic eum subiungo simul et epigramma, quale composuit ipse sub eo, sic Teutonice expressum et his Latine redditum :

Digitized by Google

Quod nil sim nisi terra et cinis,
Agnosco vivens, dum veniat finis:
Et totum pretium mei laboris
Minoris fateor esse valoris.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII *iidem*, VI *Iulii*, *Feria* V *hebdomadae* VI *post Pentecosten.*

CONSULES. — Domicellus Ioannes Antonius Tucher II. — x. Magister Aegidius Mertens II.

SCABINI. — Dom. Henr. van Halmale. — Dl. Wilh. Despommeraulx. — Dl. Henr. vande Werve. — M. Thomas Nieupoort. — Dom. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Dl. Ioannes van Weerden. — Dl. Florent. van Berchem. — Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Philip. August. Cano. — M. Gregorius Mertens. — Dl. Aegidius Happaert. — Dl. Fr. Paulin. van Broeckhoven. — M. Ioan. Bapt. Greyns. — Dl. Franciscus Rubens. — Dl. Iac. Ferdin. de Villegas. — Dl. Phil. Albertus Clarisse. — Iacobus van Eyck.

ARGUMENTUM.

I-V. Archidux Leopoldus Viennae moritur. Vita, iussu Caesaris Leopoldi a P. Nicolao Avancino scripta, typis Plantinianis excuditur: eiusdem tumulus et epitaphium. Effigiei honor habitus, contemptus castigatus.

ACTA POSTERIORA.

I. RELIQUUS hic annus nihil memorabilius habuit, quam obitum et funus Serenissimi LEOPOLDI Archiducis, qui XX Octobris CoMpLeVIt DIes sUos, ut habet epitaphium, eidem

positum, cum tumba quam una cum illo sculptam infra exhibeo, sicut spectatur post Vitam, *Auctore Nicolao Avancino S. I. et S. Theolog. Doctore*, impressam anno M.DC.LXV Antverpiae, typis Plantinianis, curante *P. Ioanne Bapt. van Hollant*, Antverpiensi, defuncti per ultimos vitae annos Confessario; qui et morienti ad extremum praesto fuit, et quidquid ad suae devotionis fomentum, ille solebat penes se habere ac circumgestare, ita volente Caesare, in Belgium attulit. Eadem autem senex optimus nostro Musaeo donavit, et in manum tradidit omnia, cum copiosa plurium monumentorum supellectile, servitura novae Vitae componendae a successoribus meis, si quando placeat Deo, Sanctorum honoribus decorandum probare ex argumentis, quorum naturae ordinem supergredientium iam nunc habentur et colliguntur specimina.

Interim non grave erit Vitae illius Dedicatoriam, *Augustissimo et Invictissimo Leopoldo, Romanorum Imperatori* etc., inscriptam hic legendam dare.

II. « Domesticum agnominem Patruum, Serenissimum LEO» POLDUM GUILIELMUM, in militia Imperatorem, in Ecclesia » Sacrorum Antistitem, in utroque Austriacum Principem, Sa» crae Maiestati vestrae ad genua submissus praesento. Dulcis » adhuc memoria, et numquam interiturus in Maiestate Tua » affectus, quo tanti Herois virtutem suspiciebat, securum » me reddunt, non futurum ingratum munus, ad cuius vel » nomen cognatus animus serenissima voluptate perfunditur. » Utinam fata illum in proxime eius mortem secutas tempe» states Ottomannici furoris servassent superstitem: nullus » dubitet, cui vel Leopoldi nomen a fama auditum, vel prae» teritorum annorum commemorata est gloria, quin, quem » toties pro Augustissimo Fratre per Germaniae bella, toties » pro Catholico Rege per Belgii turbines, profudit sangui» nem; eumdem quoque, pro conservandis Sacris Maiestatis

» Vestrae regnis ac provinciis firmandoque Imperio, eiusdem
» amori consecraturum fuisse; ut vel etiam Ottomanicam rabiem
» proculcaret, vel cadens barbaram immanitatem oppprimeret!
» sed placuit Superis in antecessum illum vivorum numero
» eripere, ut soli Maiestatis Vestrae virtuti campus ille ape-
» riretur, ex quo parvo milite, sed magnis animis stipata,
» et praesidiis fulta divinis, numerosos exercitus profligaret;
» eoque desperationis adigeret, ut qui tumido spiritu bellum
» intulerant, deiecto animo pacem postularent. Nec minoris
» gloriae fuit petenti pacem concedere, cum posset victorias
» serere, quam bellum incitatius urgere, cum velles Chri-
» stiano sanguini parcere. Unius aestatis labore omnem illam
» depressit audaciam Maiestas Vestra, quae plurium annorum
» excrevit superbia, et barbararum gentium adiuta praesidiis
» omnem Asiam, de victoria certior quam de pugna, in
» Hungariam, Croatiam, et proximos Austriae, Styriae et Car-
» nioliae limites effuderat. »

III. « Non contexo hic Maiestati Vestrae panegyricum, in
» quo nobiliores calami desudabunt : sed illud assero, nisi
» orbis Imperatorem habuisset Augustissimum LEOPOLDUM,
» acerbius tulisset funus sibi nuper erepti LEOPOLDI GUILIELMI;
» quem nemo tamen bonus non flevit, quia nemo non amavit.
» Illum ergo, Maiestatis Vestrae grande solatium, Augustissimi
» Avi Vestri dulce delicium, Augustissimi Parentis Vestri
» firmissimum post divina praesidium, Germaniae Herculem,
» Achillem Belgii, Ecclesiae vindicem, assertorem Patriae,
» ideam Principum, Austriadum gloriam, militum animam,
» belli Imperatorum Ducem, Pontificum lumen, illum tot e
» Vaticano tripode commendatum oraculis, tot Regum ac
» Principum laudatum elogiis, tot gentium ac populorum
» desideratum votis, tot orbis universi deploratum lacrymis;
» LEOPOLDUM GUILIELMUM, in suis delineatum virtutibus et

Digitized by Google

» gloriosis meritis, Maiestati Vestrae praesentem sisto; quem » vivum semper geris in corde, et assidua virtutum expres» sione longe reddis augustiorem. Scio praesumptionis ac » temeritatis quamdam esse speciem, obscuro ab homine » magnorum gloriam celebrari; sed veniam meretur praesum» ptio, quam suasit totius orbis affectus. Hic sine culpa est » audax, sine crimine impudens, et sese Imperatorum vultibus » impune obiicit. Non ad aevi melioris venam, sed rudibus » lineamentis ostendi, quid olim, quid etiamnum hodie ten» tare possint alii in Maiestatis Tuae augustas panegyres, » quantumvis sese rerum gestarum pondere lassari experian» tur. Faciat optimus Deus ut, quem Maiestas Vestra nomine » refert, gloria antecellit, vivendi quoque spatio longius ex» tenso in myriades superet; et, si immortalis esse aut non » potest aut fastidit, quam diutissime saltem Religionis, Au» striacae domus, Imperii ac totius orbis commodo, morta» lium habenas ad felicitatem moderetur. Ita omnium bonorum » votis precatur

Sacratissimae maiestatis vestrae *infimus ac devotissimus Capellanus* . Nicolaus Avancinus.

IV. Sequitur necessaria ad lectorem allocutio, post breve praeconium Viri, supra invidiam positi, cuius innocentia et animi integritas tanta fuit, ut ab omnium iudiciis sui aestimationem extorserit. Praefatur auctor, quod quae sparsim de illo, aeque pio ac invicto, aeque sago ac toga inclyto Heroe, a fama aliquando audivit lector, imo et quae non audivit, quaeque cum secutura posteritate obstupescat, hic, velut in unum fascem collecta, exhibiturus sit.

« Non est mihi, inquit, mens Annales rerum ab ipso gloriose » gestarum contexere, quod a me postularunt alii, quibus » et amori fuit et venerationi leopoldus : solum eius virtutes

Digitized by Google

» ad posteros transmittendas suscepi. Opus in tres partes
» digessi : quarum Prima complectar eas, quae Principis sunt;
» Secunda, quibus belli Imperator eminuit; Tertia demum
» eas, quibus plurium ecclesiarum Antistes effulsit; ut si quis
» unius alteriusve ordinis ac dignitatis virtutes postulet, eas
» una habeat, nec cum fastidio passim mendicare cogatur.
» Sed qua haec omnia fide acceperim, qua prodam, quaeris?
» Certe maiore quam mea. Scribo calente adhuc LEOPOLDI
» cinere. Scribo iis, quibus non tantum in memoria, sed
» prope dixerim, in oculis est LEOPOLDUS. Non me existima tam
» temerarium, qui prodire in aream velim sine clypeo. Si
» proinde Caesarea quandoque consilia, si Regis Catholici
» arcana ingredi videar, non crede inania vulgi figmenta.
» Nihil conscripsi, cuius autographa non legerim : horum
» myriades ad manus habui. Quae de rebus bello gestis
» enarro, accepi eorum qua calamo, qua ore, qui et auctoritate
» prima volent, et ipsi singulorum fuerunt spectatores. Neque
» me unius tantum fidei mancipium feci : centurias habes,
» quas exhibeam. Sed eos, inquis, quorum ille affectui exu-
» peraverat. Quid ni? nam qui eum non amaret, neminem
» inveni; et si quis forte fuerit, latere amoverit. Nemo enim
» vult videri odisse, quod amant omnes, ne odio se obiiciat om-
» nium. Quae demum de iis virtutibus profero, quae hominum
» oculos effugiunt, habeo tum ipso Serenissimo Archiducis
» chirographo, tum candido eorum testimonio, qui animi
» illius latebras omnes habebant perspectas; quibus quidem,
» vivo LEOPOLDO, silentii lex sancta fuit; sed quibus mortuus
» id unum reliquit solatium, ut libere tandem possent de
» LEOPOLDO loqui; et quae obstupescebant ipsi, aliorum quo-
» que admirationi exhibere. Haec tecum candide et amice:
» neque enim temere te velim credere, nec ego scribere.
» Vale : et ubi universa perlegeris, selige quod imiteris.

Digitized by Google

V. Ad calcem operis omnia in compendium videtur sibi contraxisse auctor brevi elogio, quod, laminae incisum, auctoritate Caesarea fecit appendi tumulo; et cum huius iconismo sic sculpsit, ut opus non sit ipsum communibus typis seorsim exprimi, dum originalis tabella ad manum est; nec non species defuncti populis venerabundis ad spectaculum expositi.

VI. Unum hic addiderim, ex ore P. Hollandi acceptum, videlicet, Viennensibus civibus adeo infixam haesisse opinionem, de LEOPOLDI sanctitate conceptam, quo ipse Pater adhuc Viennae degebat tempore, ut expositam ante iconopolarum officinas effigiem transiret nemo, qui non venerationis ergo caput nudaret; omnesque nunc optent tam pacata tempora, ut commode liceat apud Romanam Curiam agere de canonizatione : cuius spem tam permulti adhuc in animo fovent. Idem Pater mihi asseruit novisse se Bruxellis varias clarissimarum familiarum aedes, ubi ad privatam et plus quam civilem venerationem LEOPOLDI effigies, vel coloribus expressa ante aulea pendebat, vel sculpta stabat in abaco, sola et absque aliis ullis; ad unam autem earum accersitum se fuisse, causa consilii, in communi totius domus consternatione capiendi. Invitati istic complures ad coenam hilariter agebant, quando convivarum uni obvenit necessitas exonerandi alvi, quare subito consurgens, postulata venia, in proximum conclave iculariter se inferrebat, nec ut alio pergeret persuaderi potuit, ea ratione quod istic diceretur Archiducis veneranda icon servari religiosius : quin potius inverecundo sarcasmo blasphemiam addidit, ad quam omnes exhorruere. Exspectabatur nihilominus rediturus quamprimum, sed frustra : nam post diuturniorem solito moram requisitus, repertus est mortuus, eo situ corporis, qui omnes moneret, quae causa tam funesti exitus fuerit. Aliud consilium tunc capi non potuit, quam ut, cunctis iuratis ad silentii arcanum tenendum, honori sic exstincti consuleretur,

elato quam secretissime posset cadavere. Quem casum, numquam fortassis scripto mandatum mandandumve, visum est hic adnectare, ea quam tanto tamque certo auctore ego et socius Conradus Ianningus accepimus fide, securi, quod post tot annos nemo revelaturus sit nomen, quod nec mihi nec cuiquam alteri creditum fuit a religiosissimo viro, et alieni honoris zelantissimo, atque adeo de rebus suis velut in proximam mortem disponente.

A. C. M.DC.LXIII.

ARGUMENTUM.

I. S. Franciscus Xaverius, novo viciniae vexillo electus Patronus, ipsam exinde praeservata a peste. II. Fundatur ecclesia Capucinarum. III-IV. Gevartii nostri eximia eruditio et felix poesis a Rege Christianissimo insigni honorario condecoratur. V-XIX. Oirschoto ablatum corpus incorruptum Vener. Mariae Marg. de Angelis, sepelitur iussu Magistratus in Cathedrali Silvaeducensi. Conventus divertit Antverpiam.

ACTA PRIORA.

I. Ad annuam Xaverianarum Reliquiarum expositionem in votiva ante Quadragesimam Novena, ante easdem tot arsere cerei, quot capere non potuerant undique congesta candelabra, circum pegma in medio ecclesiae alte evectum. Solemniorem diem unum fecit vicus is, in quo Domus Professa consistit: qui cum novum sibi vexillum, ad vigilias faciendum constituisset, in eoque exprimendum, tamquam Patronum suum, Sanctum Thaumaturgum, elatum in crucem Christum praeferentem militibus Christianis, in hostem barbarum ducendis, se cum ipso vexillo ante aram eius stetit tota in armis turma, sub solemni quod cantandum erat Sacro; eoque ibi consuetis

Digitized by Google

caeremoniis benedicto, strictis omnes gladiis ipsum circumegerunt, ac rursum honori illius inclinatum pulchro ordine extulerunt, et explicatum in area ternis fistularum explosionibus salutaverunt. Exinde autem observatum est, nullam huius vici domum pestilentia afflatam tot iam annis fuisse.

II. Die VII Aprilis, iactus est primus lapis ecclesiae Capucinarum per deputatos a Senatu, caeremoniam benedictionis obeunte *D. Iacobo Ianssens*, matris Ancillae nepote, ex commissione Episcopi, cum duobus ecclesiae Georginae Sacellanis; et die XIV Septembris plantata est Crux, inter portas ecclesiae atque conventus, a *Domino Humbeeck*, ecclesiae Cathedralis Canonico, prius benedicta. Eadem ecclesia, intra biennium perfecta, die VII consecrata est in nomine Sanctissimae Trinitatis; capellae vero duae, in honorem Deiparae et S. Francisci; primam Missam celebrante Episcopo, sub regimine Sor. *Franciscae* praenominatae, alias *Ianssens*, quae defunctae amitae suae successerat.

III. Die XXI Iunii, Illustriss. D. *Ioannes Bapt. Colbertus*, Regi Christianissimo ab intimis Consiliis, eiusdemque aerario Praefectus supremus, et sacrarum largitionum Comes, ex illius mandato epistolam Gallice scripsit GEVARTIO nostro, in hanc sententiam : « Nomen tuum non solum apud eruditos per » Franciam clarum, neque eorumdem approbatio unica est » merces vigiliarum tuarum; Rex ipse, instructus de tuo inge» nio praestantiaque operum, voluit aestimationis suae singu» lare aliquod testimonium exhiberi tibi; eoque mandavit » mihi, ut cum hisce consignari in manus tuas facerem inclu» sum collybum, certiorem te faciendo benevolentiae ac pro» tectionis suae. Non potui a Sua Maiestate mandatum accipere, » cui hilarius obedirem; laetissimus futurus semper, si mihi » offerantur occasiones similes testandi, quod sim, Domine » mi, humillimus Tibique addictissimus famulus. COLBERT. »

Digitized by Google

IV. Amplior aliquanto fuit epistola, quam, eiusdem mensis die XVIII. scripsit conciliator istius gratiae, vir Nobilissimus Amplissimusque D. *Ioannes Capellanus*, eiusdem Regis etiam Consiliarius, sic Latine reddendam : « Magnus a prima iuven» tute mea admirator eruditionis vestrae, fructu non mediocri » percepto ex opusculis, quae, dum apud nos in Francia esses, » dedisti in lucem, carus doctis omnibus atque imprimis » D. Praesidi Memmio, iucundissimam habui occasionem, » grandia tua in litteris merita explicandi D. Colberto, generali » Finantiarum Intendenti, qui, cum in Rege detexisset pro» pensam voluntatem demonstrandi aestimationem suam erga » tui similes, iam ille confirmare non destitit, quoad eliceret » exequendum, sine mora mandatum significandum per epi» stolam eius cum adiuncto collybo. Utrumque debet tibi acci» dere gratissimum, tamquam fructus famae tuae, quam » videbis coronatam tam honorifico testimonio tanto pluris » aestimando, quanto maioris est a quo procedit. Quantum » autem penetrare potui in mentem Suae Maiestatis, non in» tendit ille hoc munus tibi largiri tamquam indigenti, cui » novit a fortuna satis commode prospectum esse; sed ut » argumentum, quo intelligas quanti aestimet eruditionem » tuam. Nihil dubito, quin huiusmodi favorem ponderes » ut dignum est, tuoque ad D. Colbertum responso mox » declaraturus sis, quantopere te ipsi obligatum agnoscas » pro tam generoso tamque ultroneo officio. Ad me quod » attinet, sufficiet, si mecum in hac parte gratum habueris; » meque censeas, Domine, talem, qualis semper esse volo, » vester humillimus et obedientissimus famulus.

CHAPELAIN.

V. Dum haec alibi aguntur in Francia, et Gevartio suo ob honorem inde oblatum gratulatur Antverpia, torquebantur in Brabantia haeretici celebri rumore eorum mirabilium, quae

Digitized by Google

annum iam quintum incipiebant vulgi sermonibus iactari, variisque sententiis agitari, circa incorruptum corpus *Venerabilis Matris Mariae Margaritae ab Angelis*, mortuae, ut supra narravimus, Oirschoti apud Theresianas, v *Februarii* anno M.DC.LVIII, inter quartam quintamque postmeridianam : exinde enim absque ullo corruptionis indicio formosissimum, atque per omnes artus flexile manserat ac si viveret; et tamen gelu intensissimum, ipsum quoque ad Antverpiam Scaldim constringens, hominibus et curribus transmeabilem tenebat, et Religiosae citra difficultatem poterant deferre defunctam ad crates monasterii, cupide ab accurrentibus ad spectaculum inquilinis videndum; et sic illud toto triduo manserat instar pueri molle; die tamen VIII Februarii, repertum est intumuisse ad stuporem peritissimi chirurgi Magistri Fey, cum pluribus aliis ad crates admissi, qui suspicatus hydropem esse, suasit Sororibus ut aquam inter cutem extrahi permitterent; sed ne prompte id fieri sinerent, prohibebat saepe iteratum Matris tunc mandatum, ne corpus suum sepelirent antequam adesset frater suus; et timebant ne aqua emissa foeteret, et illud nequirent insepultum ad eius usque praesentiam servare; tandem tamen persuaderi sibi permiserunt ut ad claustrum admitteretur coram paucis sectionem facturus.

VI. Considerato deinde cadavere, iussit afferri vasa aenea ligneaque, quibus exciperetur aqua nimium copiosa. Verum, facta incisione, non plus quam poculum unum effluxit, nec erumpebat ventus qui posset causa credi tam grandis tumoris. Mirum fuisse defunctae morbum dicebat ille, et cuius causam penitius explorari foret operae pretium. Cum igitur foetor nullus sentiretur, permiserunt Sorores ut circa stomachum apertura fieret. Interim stabat D. Silvester ad crates, dicebatque bonam Matrem nihil tale sibi umquam indicasse; sed aliquanto tempore ante mortem suam, cum ambo ad crates starent, dixisse :

Digitized by Google

Hoc loco me excoriabitis; quod mirum valde audienti accidit: quare eius filia, Soror Maria Theresia a Iesu et Ioseph, ipsi Matri dixit, patrem suum ea praedictione turbatum nonnihil fuisse: ad quod ipsa subrisit: cumque corpus, ut dictum est, aperiretur, recordatus illius verbi sit.

VII. Facta ergo scissura circa stomachum, et nobilioribus partibus inspectis, apparuit pulmo integer, aeque ac stomachus et renes; hepar vero nonnihil durum et adustum; sic tamen ut curabile malum esset: lien parumper erat inflammatus, sed nequaquam letaliter: in folliculo fellis animadvertebant sonare aliquid, quod, facta incisura, videbatur simile capitibus trium clavorum bene politorum, quorum materiam gustu tactuque explorantes medici, saporem nullum vel salsum vel amarum senserunt; neque calculi videri poterant, utpote nimium leves: duo siquidem dimidiam solum appendebant coronam Francicam, singuli septem unciis minus; tertius similiter coronam mediam, minus duabus. De his beata Mater Sorori Mariae Theresiae duobus ante mortem annis dixerat, quod clavos acceperit ad eum fere modum, quo Sancta earum Mater Theresia; de quibus cum distinctius aliquid explorare tentaret illa, statim Maria Margaretha conticuit.

In vita autem Sanctae Matris, per nostrum Franciscum de Ribera, eius Confessarium, Hispanice edita, et per Matthiam Martinez Latine reddita, lib. IV cap. X, sic legitur, propria eius manu scriptum: « Alias haec ad me Dominus verba protulit:
» Noli metuere, filia mea, ne quis te a me divellere queat.
» Tum se mihi per visionem imaginariam, uti et alias, admo-
» dum interne repraesentavit, dexteramque suam porrexit,
» dicens: Aspice clavum hunc: futurum enim est signum
» et arrhabo, iam inde a die hoc sponsam meam te fore.
» Hactenus quidem ipsa id promerita nondum eras; posthac
» honoris mei studiosissime rationem habebis, non modo ut

Digitized by Google

» Creatoris, Regis ac Dei tui, verum etiam ut vera sponsa » mea; honor quippe meus, iam tuus est; ac tuus meus. »

VIII. Post haec, ut redeamus unde divertimus, inventa est etiam immediate supra stomachum, in eius orificio, durities quaedam magnitudine pruni; cuius carne undique secando detracta, reperta intus est forma aleae, eiusdem cum clavis coloris, id est lapidis Lydii : quae causa videtur fuisse eius difficultatis, quam bona Mater diu experta fuerat in capiendo cibo; unde in eo nullum gustum habebat, cum diceret: Odorem quidem percipio cibi, et bene sapit; sed est aliquid quod transitum impedit. Nempe singulariter affici solita fuerat ad eum Dominicae Passionis locum, ubi dicuntur milites super vestem Salvatoris misisse sortem; id quod cum ea devotione quadrabat, quam habebat circa Dei providentiam : nam Proverbiorum XVI, versu 33, dicitur : *Sortes mittuntur in urnam, et a Domino temperantur.*

Cum ergo chirurgus comperisset corpus totum sanum et integrum esse, relinquendis suo loco intestinis paulum stuppae supposuit, tantumque et absynthii inspersit, quantum pugillus caperet; scissuram vero consuit communi acu ac filo. Deinde relatum est corpus ad chorum, nec amplius inventum est tumidum ut antea.

IX. Die post obitum septimo, cum corpus necdum esset sarcophago inclusum, inflexibile inventum est, sed parte dextera congelatum, sinistra autem etiam postridie; itaque mansit quasi hebdomadis tribus; quoad, cessante gelu, etiam ipsum ad flexibilitatem priorem rediit. Prima Martii coeperunt crura in pustulas ebullire, unde copiosa aqua erumpebat, de subcute valde candida; cuius epidermis paulatim tota defluxit, praeterquam a facie; et aqua ista per poros distillans, una cum sanguine nonnullo, tam erat copiosa, ut secundo vel tertio quoque die opus esset ad eam excipiendam mutare lintea,

Digitized by Google

quadruplicata vel quinduplicata. Haec stillatio ad quinque vel sex hebdomadas duravit; et cauterium brachio inustum, quod diebus ante mortem quatuordecim coaluerat, cicatrice abscedente apertum est iterum, sanguinemque mundum ac vividum stillavit: alterum cauterium quod in crure habuerat, triginta tribus diebus apertum manens, emisit humorem, qualem homines sani solent. Postquam iste sanguinis et aquae fluxus desinit, coepit saepe effluere purissimum oleum: primo quidem omnino candidum, postea vero coloris successive sublimioris, instar succini: atque hic fluxus duravit usque ad xxiv Iulii anni M.DC.LVIII, quando, iubente R. P. Provinciali Ioanne a Matre Dei, humatum corpus est, fluente interim tanta olei copia ut Religiosae impleverint plus quam centum phialas, singulas duarum unciarum, praeter innumera linteamina eodem impleta : et quia deerant lintea, nec modum sciebant sistendi eum fluxum, impediendique ne per sarcophagum efflueret in chorum, scripserunt Magistro Henrico Gillis, Apothecario Eyndhoviensi praenominato, petentes consilium; qui suasit vasa porcellana loculo supponere, exceptura stillas suaviter decidentes.

X. xxvii Aprilis, aperta sub brachio sinistro est locis duobus cutis, infra axillam, intervallo trium digitorum supra invicem, ad mensuram unius pattaconis; ex quorum superiori sanguis, ex altero sanguis et oleum manavit; xv Iunii deprehensum est etiam ex ore et auribus oleum fluere, et in olla qua excepta fuerat aqua, extracta per incisionem, inventum est remansisse humi per inadvertentiam frustulum unum adipis, alterumque, quae frustula etiamnum hoc quo scribimus anno M.DCC.XI, servantur incorrupta.

Prior cista, in quam repositum corpus fuit die xi Februarii, facta est ex rudibus asseribus, comparatis ad pegmata in choro facienda, quae ostendens ipsa aliquando Domino Lintermans :

Digitized by Google

Ex his asseribus, inquit, facietis mihi sarcophagum; cuius praedictionis ille recordatus non fuit, nisi diebus aliquot post eam impletam. In hac cista iacuit illud corpus usque ad XIX Iunii M.DC.LVIII, quando transpositum fuit in alteram, ex asseribus dolatis, paulo altius elevatam a terra, supra quinque vel sex tigna, sub quibus posita sunt quadrata duo vasa ex albo ferro, quibus stillans oleum exciperetur : itaque mansit insepultum corpus usque ad XXIV Iulii, nullo vel minimo adminiculo ad eius incorruptionem conservandam adhibito, uti in attestationibus videre est.

XI. Tandem cum beatae huius germanus frater, Petrus vanden Cruyce, morbo impeditus, tardaret Oirschotum venire, propter nimiam suam debilitatem, mandatum venit a praefato R. P. Provinciali, ut corpus, eatenus incorruptum, sepelireter. Tum Mater Vicaria, quae tunc erat Lintermanni filia, Soror Maria Theresia a Iesu et Ioseph, advocatis ad veritatis testimonium idoneis arbitris, aperiri sarcophagum, eatenus in choro stantem, iussit, inventumque est corpus hoc in statu : membra omnia iuncturis suis firmiter connexa absque ulla graveolentia; et Mater Vicaria caput atque manuum et pedum digitos commodissime flexit in omnem partem, licet nonnihil arefacti essent, et oculorum palpebrae, instar pergamenae chartae, sicut pulsatae sonum aliquem darent. Extremam partem nasi trahens illa, coram adstantibus, flexit ut voluit, quamvis haec et labia similiter ferme arida erant; genae autem rotundae quidem, sed durae, et absque ulla corruptione; color vero totius corporis, manuum, pedum ac faciei, erat idem qui dactylorum siccorum; et sonum, cum pulsabatur, dabat.

XII. His ita compertis, et legaliter descriptis, repositum est venerabile corpus in cistam suam et sepultum; itaque mansit usque ad XXVI Augusti M.DC.LX, quoad Oirschotum venit R. P. Ludovicus a S. Theresia, Definitor Parisiensis Provinciae,

Digitized by Google

et Visitator generalis Flandriae; qui iussit illud de sepulcro extrahi, reperitque plane incorruptum, et iterum terrae infodi mandavit, usque dum aliter ordinaretur. Cum autem in Brabantiam redivisset, iussit Oirschotum venire ex Hollandia Missionarios duos, qui corpus visitantem comitati fuerant, videlicet Patres Petrum a Matre Dei, et Bernardum a S. Ioseph. Hi mandarunt illud iterum de terra levatum, collocari in choro Religiosarum, prout factum est, ibique retentum usque ad diem x Maii M.DC.LXIII; quando, iussu praepotentium Dominorum Statuum Hollandiae, ablatum Oirschoto corpus est, translatumque Silvamducis, hoc qui sequitur modo.

XIII. Die x Iulii et lapsis post mortem Beatae Matris annis quinque totidemque mensibus et diebus, Oirschotum (ubi tunc erant Religiosae duodecim, interque eas quinque novitiae, professae reliquae) improvisi advenerunt irruperuntque violenter in monasterium submissi a Statibus equites centum, pedites sexaginta, malleis et ferramentis aliis, quae secum attulerant, instructi; vecte etiam ferreo unum brachium longo, et arbore humo vulsa, qualem vix quinque viri gestare poterant, ad portam arietandam. Dicebantur etiam Boxtelae instrumenta alia a fabro ferrario postulasse, qui negavit ea commodare ad bonis male faciendum, quale quid intendi ab eis satis videbat: patuitque id ex furiali modo, quo non solum per portam (quae aperienda offerebatur, nisi eam effringere maluissent) sed etiam per tectum irruperunt, nonnullis locis ita humile, ut longioris staturae vir illud manibus suis attingeret. Tum exertis gladiis sclopos intentare Monialibus coeperunt, prae pavore semimortuis, ultimamque sibi horam instare arbitrantibus: duae autem in suis cellis decumbebant, et Sorores omnes iugulari credentes, praestolabantur manibus iunctis flexisque genibus coronam martyrii, dum milites clamabant, omnes debere proficisci secum. Alii interrogabant ubi esset Papa vel Presbyter

Digitized by Google

earum; et eo frustra aliquamdiu requisito, Praedicantium Agens, cui imperium in ceteros datum videbatur, nomine Moerenkerken, Matrem Reverendam aggressus, nudato gladio pugnisque minax, magno cum furore mandavit, ut sibi monstraret corpus Mariae Margaretae de Angelis : esse enim iniunctum sibi, nisi exhiberetur, evertere omnia, nec unum lapidem super alium reliquere. Hinc auctus omnibus pavor ac moeror; nec tamen ulla fuit quae fateretur ubi esset.

XIV. Tandem tamen repertum est sub lectica cuiusdam Religiosae, intra cistulam, ex tabulis per medium serratis compactam, in quam illud Sororum aliquae abdiderant. Tum milites, magno cum impetu foras prorumpentes cum gladiis exertis in plateas, et cistulam imponentes carro, clamabant : Invenimus Diabolam; multaque similia blasphemantes ingressi sunt civitatem cum tubarum tympanorumque clangore, et corpus in Curiam detulerunt. Nec mora : congregata ante eam ingens multitudo est, quae cum irrumpere vellet ad spectaculum, impeditus eis ingressus est, solumque honestioribus aliquibus personis accessus permissus, quamvis aliqui etiam pecuniam offerrent. Sequentibus diebus aliquot ostensum etiam pluribus est corpus, coram Praeside Swerto.

Deinde inclusum in alteram maiorem cistam, cuius ille sibi clavem servandam tenuit.

XV. Erat in priori cistula inventa exigua lampas argentea, in formam cordis fabricata cum pauxillo olei, quantum uno cochleari implendo vix satis esset, ardere solita ante venerabile Sacramentum in choro; cui ex uno latere erant haec verba insculpta : VOTA MEA DOMINO REDDAM; ex altero ostiolum aperiebatur, ad oleum infundendum; quam lampadem istam consternatione ibi deposuerat Sororum una in cistulam Venerandi corporis. Atque hoc est totum fundamentum earum omnium calumniarum quae deinde in beatam Matrem bonasque Sorores

factae sunt: nam incorrupti corporis integritas captum superabat incredulorum, ex tali argumento iudicantium omnia per magiam acta, aut per aliquam humanam industriam; et dicebant, quod Sorores, mediante lucernula illa, sciverant medullam sic elicere ex ossibus, ut iis remaneret inducta sola cutis. Et vero tota corporis Beatae substantia videri poterat, ex viventis voto, quasi in oleum conversa: quia, cum aliquando cor suum effunderet ante Venerabile Sacramentum, saepe optabat, post mortem suam in oleum mutari ante illud arsurum ex amore.

XVI. Dicebantur etiam eaedem Religiosae, ut Matris suae corpus incorruptum servarent, ustrinae frumentariae siccandum imposuisse, et alia plura; propter quae essent dignae vel vivae concremari omnes tamquam veneficae, vel perpetuo carceri mancipari; nec ullam satis dignam poenam excogitari tanto scelere posse. Alii nihilominus asserebant, primo vel secundo post corpus Silvamducis allatum die, fuisse corpus clam a medicis visitatum, et revera cum intestinis repertum integrum. Novem vel decem diebus postea, instituta fuit publica visitatio, unde processerunt attestationes falsae; quia ad eam vocati medici, siverant se pecunia corrumpi, etiam Catholicus unus, nomine GODSHOVEN, qui ante mortem retractavit falsum quod dixerat testimonium; maxime cum unus eorum, qui adfuerant, id ipsi in faciem coram aliis exprobavit, speciem etiam pecuniae acceptae nominans tam distincte, ut diffiteri non posset.

XVII. Ita visitatum corpus constituerunt Domini et Magistratus honeste sepeliendum in Cathedrali ecclesia S. Ioannis, prout fecerunt hoc modo: Noctu inter quartam quintamque Augusti, sub horam duodecimam, a Curia ad ecclesiam delata est cista, nigro panno tecta, non consuetorum libitinariorum humeris, sed in rheda Praesidis supranominati, quam in alia

Digitized by Google

sua rheda ipse sequebatur, comitatus rubrae virgae satellitibus, praelucentibusque sex facibus, ac multo populo comitante, et circiter quadragiuta personis urbanae Vigiliae deputatis, neque quisquam de plebe permissus est ecclesiam ingredi, ne quis forte tumultus oriretur a plebe.

XVIII. Tum ante praeparatum sepulcrum deposita est cista, et Praeses Dominos Scabinos rogavit propius accedere, et eorum quae facturus erat, eisque monstraturus, testes fieri. Mox aperiri cistam iussit, qualem protestabatur accepisse; ostenditque corpus omnibus suis partibus integrum: rursumque illam claudens demitti coram eis in fossam iussit et claudi. Qui praesens in Curia aderat Vigiliarum Capitaneus Everwinus Kilpatrik, cum inde ad ecclesiam deveheretur corpus, saepe postea asseruit, paratusque fuit cum iuramento testari quandocumque opus foret, sensisse se turbam avium in aere volantium; quas non conspiciens, elevaverit vultum, probaturus an humor aliquis de coelo caderet, quasi pluviae sonum illum causantis, et vidisse candidam unam avem, quae circum rhedam volitabat continuo, et quod, quamdiu poterat, illam prosecutus sit oculis, neque enim, vigilias agens, audebat deserere stationem suam, alias libenter prosecuturum corpus usque ad ecclesiam.

XIX. Hactenus relatio, ex traditione Sororum tunc praesentium et attestationibus iuratis collecta, mihique anno M.DCC.XI quam fidelissime transmissa, cum obtestatione auctorum, ne aliis qualibuscumque scriptis vel impressis utar, propter varios in iis deprehensos errores: hanc autem relationem acceptam refero ex Consule Paschasio Ignatio vanden Cruyce, qui Oirschoto excedere coactis, suum in Cleydael praetorium cessit, donec novum quod nunc Antverpiae fundatur monasterium perficiatur.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, XXX *Septembris, Feria* IV *hebdomadae* XIII *post Pentecosten.*

D. Procopius de Lalain, Comes de Rennebourg, Baro de Gaesbeeck et Assiecourt, a Consiliis belli, Toparcha de Montigny ad Mosam et Cantin; Campiductor turmae unius peditum Leodiensium Suae Maiestatis; Gubernator et Capitaneus Civitatis et Districtus Athensis, etc.

D. Philippus Guilielmus de Steenhuys, et Baro de Poederle, Toparcha de Flers et Meerbeke, etc. Regi a Consilio Status atque Privati, et Rei navalis, Brabantiae Cancellarius.

CONSULES. — Domicellus Henricus vande Werve. — IX. Magister Aegidius Mertens.

SCABINI. — D. Henr. van Halmale. — M. Ioannes Sneyers. — Dl. Ioan. Ant. Tucher. — Dom. Pasch. Fr. vanden Cruyce. — Dl. Philippus Helman. — Dl. Floris van Berchem. — M. Nicolaus Noyts. — Dl. Phil. Augustin. Cano. — M. Gregorius Mertens, *Pens. suff.* Dl. Philippus Schoyte. — Dl. Balthasar de Cordes. — Andreas Mertens. — M. Io. Bapt. Greyns, *Thes. suff.* Dl. Aegidius Happaert. — Dl. Franciscus Rubens. — Dl. Iacobus Charles. — Dl. Alb. Phil. Clarisse. — Dl. Ioannes van Mechelen. — M. Rudolphus Zegerus van Langenberg.

AMPTMANNUS. — D. Ludovicus Clarisse, Toparcha de Dielbeke, Berghem, Cobbegem etc. defunctus † II. Novembris, eique substitutus nepos suus *D. Ludovicus Antonius Clarisse*, Comes de Claremonte, Toparcha de Argenteau, Regi a Consiliis belli, et primus in Belgis a secretis, atque Audientarius,

Digitized by Google

cuius alibi ac fere Bruxellis occupati, vices Antverpiae sustinebat patruus eius Scabinus, *Dl. Philippus Albertus Clarisse.*

ARGUMENTUM.

I. Imago Deiparae Neapolitanae apud Carmelitas elevatur honorantibus beneficia. II. Guidae S. Lucae nova ordinatur Camera, supra Bursam, cum theatro ad usum poetarum, et Academia ad exercitia tironum pictorum atque sculptorum.

ACTA POSTERIORA.

I. « Post S. Bavonis festum, magna cum solemnitate ma» ximoque omnis conditionis confluxu populi, in ecclesia » Patrum Carmelitarum, exaltata est imago Virginis Neapo» litanae. Hanc devotionem, non solum per octiduum videre » fuit, sed et temporis successu usque in diem hanc magis » magisque accrevit : ita loquuntur frequentes confessiones, » communiones, comprecationes, quae diebus Mercurii, huic » devotioni sacris, tam mane quam vesperi in ecclesia videntur; » scilicet MARIAM, non solum in originali, sed et in authentica » effigie, omnes MATREM AMABILEM (sub quo titulo exaltata est) » experiuntur. Huic devotioni fovendae non parum contulit » munificentia D. Ioannis della Faille, qui altare hoc non » noviter erexit, sed novo pulchrius, columnis scilicet e Lydaeo » lapide excisis, effecit. Adiuvit liberali eleemosyna Domina « d'Horenbeke, mariti sui D. Ludovici du Bois restitutae sani» tatis symbolo : NOVIT MARIA, SATIS EST. Picturam limbo argenteo » circumduxit praenobilis Domina M. van Breuseghem, per» illustris Domini Alexandri della Faille, Marcgravii, coniux. » Sex demum argentea et ponderosa candelabra, cum bino » aureis filamentis acu picto ornamento, adiecit Deo et Mariae » devota praenobilis Domicella Isabella della Faille. » Haec ex monumentis sacrarii suggesta, ut accepi, sic reddo.

Digitized by Google

II. Die xviii Octobris, *Gulda S. Lucae, seu Violarum*, quae est Pictorum, dimissa, quam habuerant in foro maiori, Camera, festum suum egit in superiori Bursae ambitu ad partem Orientalem, quam eorum exercitiis, conventibus atque academiis Civitas concesserat, sub Decanis Martino Huybrechts et Consalvo Coques : ubi etiam suum habent commodissimum ad comoedias recitationesque theatrum : Cameram autem tam ornatam picturis, ut instar spectabiliora Civitatis loca censeri mereatur.

A. C. M.DC.LXIV.

ARGUMENTUM.

I. In singulis funerum faces stuferi sex, et totidem floreni in equos indicti. II. Reliquiae S. Andreae sollemniter inferuntur in eius tandem ferme perfectam ecclesiam. III-IV. Similiter et in suburbanam S. Willibrordi a fundamentis restauratam, refertur miraculosa icuncula ex sacello Pannitonsorum, in quo tamen non ideo refrixit, sed magis crevit Deiparae cultus, in ornamentis et officiis sacris. In gratiam Marchionis et Marchionissae de Caracena anticipatur circumductio machinarum amburbalium.

ACTA PRIORA.

I. Sicuti praecedenti anno, ex Pleni Consilii deliberatione, indicti fuerunt sex floreni in singulos equos, testante id libro Ms. A, fol. 238 : ita nunc in singulas faces, funebribus exequiis praeferendas, stuferi sex; aequum iudicante Communitate, ut quibus ad sumptus non necessarios abundabat pecunia, inde decerperent aliquid ad publicam necessitatem levandam.

II. Die iii Aprilis, transversa navis ecclesiae Andreanae perfecta et ab Episcopo consecrata fuit, in eamque illatae

Digitized by Google

sunt ipsius Sancti Apostoli Reliquiae, ab ecclesia Fratrum Minorum, omnibus quatuor Mendicantium Ordinibus processionem comitantibus.

III. Consecrata est etiam nova S. Willebrordi ecclesia, eo loco exstructa, ubi, ex veteri ante Hollandicam pacem ecclesia, nihil supererat praeter exiguum sacellum, cum reclusae unius adhaerente cellula; Deiparae autem miraculosa icuncula, quae una cum suo Viceparocho servata fuerat in sacello Pannitonsorum via Caesarea, hinc illuc processionaliter relata est, cum omnibus ad eam factis oblationibus et anathematis. Hoc facto antiqua populi erga ipsam devotio istic quidem insigniter refloruit; non tamen eadem quidquam imminuta est in sacello praedicto, sed mirabiliter aucta. Volenti enim ipsum claudere Episcopo, Sacramentorumque Eucharistiae ac Poenitentiae usum in eo sistere, ablato Venerabili, opposuit se honestissima vicinia tota, pollicens, curaturam se ut ibi nec die nec noctu deesset lumen, cum quotidiano Sacrificio. Multo autem amplius praestitit quam peti poterat. Etenim, posita ibidem icone alia, locum antea inornatum (quidquid enim offerebatur, censebatur Willebrordianae Virgini offerri, ad eius ecclesiam reparandam) non solum congrue instruxit, ad continuandum, qui vehementer ibi accreverat, Deiparae cultum, divinumque Missarum, Laudum etiam musicarum, concionumque officium; sed etiam lapideo fornice et grandibus vitreis ac pavimento altarique marmoreo, item propylaeo, odeo, tabulis, statuis, scamnis, sic ut nullius alterius opificii sacellum possit cum eo comparari; et multis Presbyteris eo accurrentibus pene continuum fiat Missae sacrificium.

Denique chorus ecclesiae Burgensis fornice inductus est, insigniterque ornatus, uti et ceterae per urbem ecclesiae, dum pii cives gestiunt advenientibus ex Hollandia Zelandiaque hospitibus, suam erga Dei cultum ornatumque templorum magnificentiam ostentare.

Digitized by Google

IV. Hic nunc primum occasio venit cum laude nominandi virum, mihi quoad vixit amicissimum et nostri de Sanctis operis contra obtrectatores defendendi studiosissimum, *D. Bartholomaeum Lopez de Andrade*, natum Antverpiae D. Emmanuele Lopez de Andrade, Hispano, uno ex Regiis Thesaurariis, quos a computo faciendo *Contadores* appellant. Is iam inde ab anno praetitulato, coepit accuratione summa Hispanica lingua contexere Ephemerides familiae suae; iisque etiam de negotiis publicis intexere quaedam, praesertim Antverpiam concernentia, unde excerpam subinde aliqua, ab aliis praetermissa : puta quod die VII Maii in hanc urbem venerunt MARCHIO et MARCHIONISSA DE CARACENA, sumptoque in Abbatia S. Michaelis hospitio, proxima Dominica, tunc XI dicti mensis, sub cursu litterae Dominicalis E. in Curiam invitati a Magistratu ad coenulam, inde spectaverunt procedentes machinas amburbales, quales processurae erant in Dominica Trinitatis VIII Iunii.

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Per litteras S. E. VI *Iulii, feria* VI *Hebdomadae* V *post Pentecosten.*

CONSULES et SCABINI *iidem.* — Domicellus Henricus vande Werve II. — x. Magister Aegidius Mertens IV.

SUBSCULTETUS. — Domicellus Balthasar vander Heyden. *Ex Scabinis ad Consilium Brabantiae promotus. Substitutus.* — Domicellus Franciscus Rubens, fil. *Petri Pauli*, *Pictoris*.

ARGUMENTUM.

I. Excusantibus se rationabiliter Iesuitis ab administratione paucularum, quas pestis infecerat, aedium, maioris periculi tunc futuram quam fructus, et cui Parochi sufficiebant, suscipiunt eam curam primum Bogardi, tum Augustiniani. II-III. Rediturus in Hispaniam Caracena, recreando Principi puero, praemittit rhedulam cum equulis sex, et celocem parvulam, omnibus maioris bellicae munimentis assimilatam, utramque elegantissimam.

ACTA POSTERIORA.

I. Domus urbis pauculas per aestatem pestis invasit, et illico ad Iesuitas, semper in eiusmodi obsequia promptos, missi sunt a Magistratu et Capitulo, qui peterent aliquos ad id destinari. Admissa ab iis postulatio, sed, ut alias, petitae induciae, donec diffuso latius malo appareret, non otiosam futuram caritatem. Illi vero nullam ferentes moram (urgentibus scilicet Parochis, quorum alias officium est quovis morbo laborantes iuvare), quaesitus est alius, nec difficulter repertus in coenobio Bogardorum, quod forte per id tempus fuerat peste afflatum; non illibenter id ferentibus Iesuitis, eo quod falso rumore sparsum erat in vulgus, ipsos, plurium millium aureorum stipendio annuo perpetuoque conductos obligari ad Ministerium istud; quod sicut antehac gratis semper, ita et deinceps parati erant praestare ad quemcumque nutum Magistratus, quando id exigeret vera necessitas, qualem tunc nullam fuisse successus docuit, cito purgatis pauculis illis, quae fuerant infectae, domibus. Idem cum accideret anno sequenti, idemque a Patribus responderetur; et, absente Consule, Patres Augustiniani se importune ingererent, admissus eorum unus est; nec opus fuit deinde pluribus, cum solus ille et incomitatus permitteretur, quocumque vellet, ambulare et ingredi; Iesuitis autem inusitatum sit, quemquam absque socio, saltem laico, per urbem discurrere solitarium. Hoc tamen ut excusaret necessitas, adhibebatur ex collo Augustiniani pendens vitta sericea coloris violacei, innexa bursulae sinu abditae, in qua continebantur Sacramenta, animam agentibus conferenda : quam vittam quisquis videbat, monebatur transeunti exhibere reverentiam, neque in via sermone inutili sistere sic munitum.

II. Sub haec, sciens Marchio, venturum sibi hoc anno ab Hispania successorem, cogitabat quo potissimum munere

Digitized by Google

oblectaturus esset puerum Regem. Ac primum admirationi et oblectationi futuros credidit, ob rei in Hispania novitatem, molossos illos, quibus hic plurimum utimur ad trahenda, tum alia multa, tum curricula puerilia. Curavit igitur praestantissimos octo adduci ex Anglia, ubi procerissimi et robustissimi generantur, unius aetatis et coloris omnes, cum ornatissima magnique pretii rhedula, quam illi egregie phalerati et seiuges traherent, aurigante puero Aethiope, ad id probe instructo. Sed monitus, ingeniis Hispanicis videri posse non satis dignum Rege, quamvis puero, tam ludrice instructum vehiculum, molossis Anglicis substituit equulos Hitlanticos, nihilo illis altiores, et ad cursum etiam concitatissimum agiles magis.

Ut autem non solum terra, sed etiam aqua ludere Rex posset, fabricari fecit elegantissimam celocem velificaturam in Regii viridarii spatioso lacu; in qua celoce nihil desideraretur eorum, quae possent in maxima quavis navi servire, ad delicias compositam totam : erat enim instructa tribus malis, ex quorum duobus malis proportionatisque antennis, vela tria; ex tertio, duo pendebant, praeter quartum rostro infixum, cum velis etiam duobus, omnibus elegantissime pictis et historiatis; qualia etiam vexilla erant carchesiis eminentia, et aplustribus ad venti arbitrium volitantibus. Totum autem illud navigiolum erat a foris inauratum, prout ipsum aeri insculptum repraesentat imago, intus pretiosis praestantissimorum pictorum tabulis convestitum, dicebaturque integrum auri millionem constitisse. Sic autem erat fabricatum ut dissolvi in partes, cistisque impositum transvehi in Hispaniam posset, rursumque coagmentari facile. Sed tanta impensa et industria, cum non minori eius bene servandae sollicitudine, servare non potuit grandiorem qua vehebatur navim, quominus concepto igne periret in mari; nec scio an eadem non fuerit fortuna rhedae et equulorum.

Digitized by Google

III. Prius porro quam Belgio excederet ipse Marchio, appulit D. FRANCISCUS DE MOURA *Cortereal*, *Marchio Castelli Roderici;* et diebus aliquot moratus in Furensi prope Bruxellas palatio, indeque civitatem subinde clam invisens, ipsam die XX Octobris solemni cum pompa ingressus est, et consuetum novis Gubernatoribus sacramentum dixit, vicissimque excepit.

Die autem XXI praedicti Octobris, officio suo defunctus decessor, sub vesperam Bruxellis egressus est, terrestri itinere Madritum iturus; sed infirmitas uxoris, tertiana laborantis, redire ipsum in urbem coegit, unde filias suas Ostendam praemisit, inde in Hispaniam navigaturus; ipsa vero non ante XIII Maii sequentis in viam se dedit, cum germano fratre suo, Don Iosepho Ponce de Leon, ante menses aliquot ea causa huc advecto.

A. C. M.DC.LXV.

ARGUMENTUM.

I. S. Franciscus Xaverius Patronus assumitur a Parochia S. Andreae, erecto altari; a Praefectis Politiae eiusdem statua collocatur in Camera ipsorum. II. Appellit huc, per noviter apparatum Canalem Ostendanum, prima cum vino Hispanico navis. III. Scaldis altius intumescit.

ACTA PRIORA.

I. S. ANDREAE Parochia, erigens sibi novum S. FRANCISCI XAVERII altare, suscepit novam erga eumdem Sanctum Thaumaturgum devotionem; quando ille, nomine omnium parochianorum, electus est in Patronum contra pestem, continuata per totam Octavam religione. Sed magis memorabile, quia magis publicum, fuit decretum eius *Camerae* quae *Politiae* dicitur,

Digitized by Google

his verbis conceptum, et in Acta Civitatis relatum : « Decretum » est ad Dei gloriam, eius Matris Sanctissimae ac Virginis Mariae, » S. Rochi et S. Francisci Xaverii, contra pestem Patronorum, » ut cerei tribus candelabris, coram totidem statuis respective » impositi, auctoritate Senatus, in hac Camera ardeant quotheb- » domadis certis diebus, scilicet Sabbatis, ad honorem beatis- » simae Matris ac Virginis Mariae; die Martis, ad D. Rochi; » die Iovis, ad S. Francisci Xaverii; et per Octavam Nativitatis » Marianae, nec non per Octavas Sanctorum dictorum Patro- » norum quotidie; ut omnipotens Deus, per eorumdem patro- » cinia, Urbem hanc et omnes nos protegat a contagiosa lue. » Ita decretum, in pleno consessu dictae Camerae, per Do- » minos Deputatos, die Martis VIII Aprilis, me, ut Grapheo, » praesente, *Ioanne Baptista van Dooren.* »

II. Die v Martii, per canalem Ostendanum novum, seu potius noviter aptatum navigiis, a mari huc transvehendis, appulit Antverpiam ex Biscaya unum ex iis (quae, quia altiori mari vix se audent committere, a legendis littoribus BYLANDERS dicimus) vinis Hispanicis onustum; cuius navarchus magno cum plausu exceptus, quia primus, donatus est insigni aplustri librarum decem Flandricarum. Sed canalis iste, magno praeparatus impendio, maximoque futurus commodo toti Brabantiae Flandriaeque, si quam utilis facilisque tam expeditus quoque eius usus fuisset; exiguum autem nunc utrique fructum offert, dum Hollandi Zelandique (quorum interest unice, necessarios se haberi, impeditis nostris per mare commerciis) modum inveniunt efficiendi, ut mercatoribus nostris hactenus tolerabilius sit, compedes ab iis Scaldi iniectos pati, quam dispendia morarum, Ostendae ab ipsis ministris Regiis obiiciendarum, ne quam cito alias possent ac deberent ex portu solutae, praevenire possint suos istic rivales, citius in Hispaniam appellendo.

Digitized by Google

III. Aliquod etiam incommodum hoc anno fuit a Scaldi, ad quatuor cum dimidio pedes supra Wervam elato, sicuti notatum legitur ad postes Geranii in ripa positi, quemadmodum istud, dum detumuit fluvius, notatum exhinc aliquoties invenio, ducta linea, et anno adscripto, non item die, quem etiam notari convenisset.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII, I *Maii, Dominica* III *post Pascha, actum* V *Aprilis.* — D. Claudius Lamoralius, Princeps de Ligne et Emblize, S. R. I. Marchio, de Roubaix, Comes de Fauquemberg, Aurei Velleris etc. — Dom. Philippus Guilielmus de Steenhuyse etc. Cancellarius.

CONSULES. — Dominus Henricus van Halmale VIII. — I. Domicellus Wilhelmus Despommeraulx.

SCABINI. — M. Ioannes Sneyers. — Dom. Alexander Goubau. — Dl. Henr. vande Werve. — Dl. Io. Antonius Tucher. — Dl. Florent. van Berchem. — Dl. Philippus Schoyte. — Ioannes Baptista Batkin. — M. Aegidius Mertens. — Dl. Aegidius Happaert. — Andreas Mertens. — Dl. Ioannes Vequemans. — Dl. Phil. Albert. Clarisse. — Iacobus van Eyck. — Dl. Ioann. van Mechelen. — M. Libertus van Hoven. — Dl. Phil. Franc. Varicq. — Domicellus Ioannes van Weerden.

ARGUMENTUM.

I-V. Excipitur novus Gubernator, Marchio de Castel Rodrigo. VI. In Domo Professa P. Ioannes Bollandus scribendis Sanctorum Actis immoritur. VII-XXVI. Celebrantur exequiae Philippi IV, eximio erecto coenotaphio, cui exornando bonam operam praestat Gevartius et mox obit, operibus et effigie a Rubenio picta, superstes.

Digitized by Google

ACTA POSTERIORA.

I. Die xvii Augusti, cum caeremoniis, in adventu novorum Gubernatorum consuetis, exceptus est Antverpiae MARCHIO DE CASTEL RODRIGO : atque ad portam Caesaream obvium habuit Consulem Halmalium, cum Decanis Guldarum, cereos albos praelaturis; eamdemque portam reperit gentilitiis suis insignibus adornatam, subtus vero descriptos, Gevartio dictante, versus hosce.

Mouriadae clypeo castra haec septena coruscant,
Maurorumque iacent ossa inhumata Ducum.
Cesserit huic, clypei Dominus septemplicis Aiax,
Aeacida quamvis sit Telamone satus.

II. Hinc recta itum ad templum Cathedrale, agendis Deo gratiis pro adventu felici praeparatum; ubi ad dextrum latus portae maioris in tabula expressus Rex Catholicus sedebat, filium suum, Hispaniarum Principem, adstantem dextra complexus; cui S. P. Q. A. variis inscriptionibus, etiam chronicis, vitam et salutem apprecans, dicebat :

De nostris annis tibi Christus adaugeat annos.

Et per epigraphen, ex Psalmo cv sumptam :

DICIt oMnIs popULUs : fIat, fIat.

Ad sinistrum portae latus appensa erat tabula, in cuius suprema parte ingens Aquila, Castella Septemgemina in scuto deferens, cum hac epigraphe :

Castra haec Burgundos Belgasque invicta tuentur;
Missa Aquila auspiciis, magne Philippe, tuis.

Digitized by Google

III. Sub istis spectabatur Gubernator ipse, medius inter Avum et Patrem; quorum primo, *Marchioni* Castel Roderici, sic subscribebatur :

Ille hic Christophorus, *vasti moderamina mundi*
Providus, Hesperiae primas, et flexit habenas,
Consiliis summis admissus curisque Monarchae,
Ceu Iovis arcanis Minos, et proxima cervix;
Ponderis immensi dum pressus Ibericus Atlas
Respirat, gemino curas et dividit Orbi.

Alteri, don emmanueli de moura cortereal, *Marchioni Castelli Roderici, Comiti de Lumiares, Hispaniarum Magnati, Belgarum et Burgundiorum Gubernatori* ante annos novemdecim, haec erat epigraphe :

Inclytus emmanuel, *non inferiora secutus*
Quam genitor, Magno fidus comes ipse Philippo,
Lysia Castellae rupit dum perfida leges,
Legatum stupuit Roma atque Vienna loquentem :
Burgundos placido et Belgas moderamine rexit,
Hispano-Batavae pacis fundator et auctor.

In medio denique excellentissimus ipse D. franciscus de moura stabat, cum huiusmodi sibi subscripto salutantium voto :

Marchio, Lusiadum prisco de sanguine Regum,
Anversam, francisce, *venis optatus ad urbem,*
Mouriade, per Avi vestigia, perque Parentis
Iam pridem ad patriae fastigia vectus honorum.
Piratas Lybico pepulisti classe profundo :
Solve catenatum prope nona decennia Scaldim,
Rursus et hinc geminos volet et Mercator ad Indos.

Mitto cetera, et addo ultimam inscriptionem hanc :

Digitized by Google

IV. « Excellentissimo Dynastae, Domino Francisco de Cor-
» tereal, e Regia Lusitanorum prosapia oriundo, Marchioni
» Castelli Roderici, Comiti de Lumiares, Hispaniarum Magnati,
» insularum Tercerae, S. Georgii, Faialis, et Pici Praefecto
» hereditario, Ordinis militaris Christi magno Commendatori;
» Belgarum et Burgundiorum, pro Philippo IV, Hispaniarum
» Indiarumque Rege, Gubernatori auspicatissimo, quod nuper
» Sardiniae Prorex, repressis Lybica per littora et toto Medi-
» terraneo mari grassantium piratarum latrociniis, acerrimum
» orae maritimae vindicem se praestiterit; ac deinde universae
» quoque Gothalauniae Prorex, singulari providentia prae-
» fuerit; et nunc auspiciis Regalibus Oceanum commerciis,
» flumina, diu clausa, navigationi, emporia opulentiae, Bel-
» gium universum pristino splendori sit restituturus; S. P. Q.
» Antverp. eius Excellentiae, Providentiae et Vigilantiae in-
» comparabili devotissimus, optatissimum adventum gra-
» tulantur. »

V. Comites venienti adequitabant Dux de Veraguas, Princeps de Ligne, Marchiones de Roubaix et Monroy, Comesque de Zalazar; sequebaturque in rheda filia eius, Domina Ioanna, sed ut incognita. Ita progressum ad S. Michaelis est, consuetum Gubernatorum hospitium; unde postridie deductus a Magistratu est ad amburbalia spectanda, quae fuerant a praecedenti Dominica in hanc diem, ab eo octavam dilata, ac deinde prandio sumptuoso tractatus in Camera Statuum, accumbentibus ei ibidem Dominus Halmale, Despommeraulx, Varicq et Marcgravio atque Ammano. Ante podium, peristromatis speciosis ornatum, prandebat D. Ioanna cum Domicellis quibusdam suis honorariis. Nobiles praenominati aliique in Camera proxima, Senatus totus in Collegio; quibus omnibus sic pransuris, ne longior mora fieret, si Ambacta et Guldae exspectandae fuissent, solae machinae processerunt ante

Digitized by Google

Curiam. Ita rem totam, qui composuerat, Plantinianis typis publicavit Gevartius, additis impendio publico duabus grandibus tabulis, quas pinxerat Erasmus Quellinus, Hubertus Quellinus encaustice insculpserat aeri, una Regem Philippum cum Filio et XVII inferne Provinciis, altera Comitem exprimente.

VI. Die XVII Septembris, pie obiit in Domo Professa P. IOANNES BOLLANDUS, in Ducatu Limburgensi natus; vir Latinis Graecisque litteris excultus, et insigni historiarum scientia praeditus: qui ab annis XXXV succedere iussus in Heriberti Rosweydi cogitatus, potius quam conatus, *in Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur vel a Catholicis Scriptoribus celebrantur;* eadem ex Latinis et Graecis aliarumque gentium antiquis monumentis colligere exorsus est stylo Auctorum primigenio, eaque notis ac commentariis opportunis illustrare; iamque absolverat Ianuarii ac Februarii Sanctos quinque praegrandibus tomis, quando immortuus est Martio, iubilarius in Societate, aetatis anno LXIX, magnam laborandi materiam posteris relinquens. Mortuum miratur in suis eruditorum Actis anno M.DC.LXVIII Gallia, qui primus sit ausus ordiri telam, quam non speraret pertexturum se umquam, nec nisi a pluribus successive allaboraturis pertexendam. Interim de vita, virtutibus atque operibus eius habetur prolixus ante tomum primum Martii Commentarius, cum eius ad vivum expressa effigie, quam etiam hic produco; et simul moneo, patriam eius non fuisse Tillemontium sive *Thenae;* sed Iulii Montem, vulgo Iumont, oppidum vicinum Bollando: inde ei genus et cognomen; in quo tamen errari video a nostris etiam, errantem Bibliothecae Iesuiticae auctorem secutis.

VII. Die XVII eiusdem Septembris, Madriti pie obiit PHILIPPUS IV, Rex Hispaniarum et Princeps Belgii; testamento relinquens heredem omnium suorum Dominiorum filium unicum CAROLUM, sub tutela Reginae matris, cui Consiliarios

Digitized by Google

adiungebat Praesidem Castellae, Vice-Cancellarium Aragoniae, Inquisitorem generalem, Comitem de Penaranda, Archiepiscopum Toletanum, et Marchionem d'Aytona. Morienti sine liberis Carolo substituebatur eius soror, Infanta Hispaniae, coniux Imperatoris; hic vero, post eamdem cum liberis suis; quibus omnibus deficientibus, vocabatur in successionem Dux Sabaudiae; et in huius liberorumque defectu, soror Regis, Franciae Regina, ita tamen ut eius ex Rege liberi, spem nullam ex quocumque capite habere possint ad successionem; sed bene alii, si quos fortassis vidua ex alio toro suscipiat; cum testator omnino vellet Franciae Reges eorumque liberos ab Hispanica successione exclusos.

VIII. Die IV Octobris, allatus hic nuntius est de obitu Regis: decretumque mox ut omnis Magistratus totumque Thesaurariae officium luctum induceret, cum subtili ex pileis serico palliisque terram verrentibus; in eumque finem consignati sunt singulis ex parte Civitatis floreni centum et viginti; similiter et Decanis ad diei Lunae Consilium venientibus. Accensis etiam Brevioris Virgae, et Nuntiis Civitatis datum est unde lugubriter vestirentur. Die XVII, hora post meridiem III, totus Senatus cum Curiis subalternis, Vicomagistris, aliisque Communitatem repraesentantibus, processerunt ad Cathedralem, interfuturi solemnibus pro defuncto Vigiliis ante Castrum doloris, ut vocant, cereis grandioribus mille et centum illuminatum; ad quorum maiores ducentos appensa erant Regis insignia. Sequenti die mane, simili modo processum est ad funebrem Missam, decantandam ab Episcopo, assistentibus Abbatibus S. Michaelis et Tongerloensi. Coenotaphii Regii seu monumenti sepulcralis, vel capellae ardentis, iconismum grandibus duabus tabulis aeneis, a fronte et latere conspiciendum, Erasmus Quellinus delineavit, Lucas Vorstermans sculpsit, epigraphis ornavit eleganterque descripsit, pridem ad talia exercitatus,

Digitized by Google

Casperus Gevartius, Plantinianisque typis excudendum dedit hoc modo :

IX. « Stabat in medio templo moles, LII pedes alta, lata XX, » longa vero, si gradus excipias, pedes XXVI; columnas quatuor » totidemque pilas complectens; partim marmoratas, partim » aureo colore subfusco variegatas; columnis circumquaque » erant innexa candelabra, cum infinitis cereis, qui, per totam » etiam machinam ab imo usque ad summum dispositi, totum » coenotaphium grato splendore illustrabant. Adscendebatur » in molem utrimque per gradus decem. Hic erectum erat » feretrum Regale cum insignibus undique appensis. Feretro » etiam imposita erant sceptrum et corona.

» In architrabe et coronice stabant mox nominandae figu- » rae muliebres, supra singulas columnas singulae: inter » quarum duas in unaquaque parte collocata erant Regis » insignia. In fastigio eminebat PHOENIX, e cinere paterno » renascens, cui Regia imminebat corona. Infra in basibus » columnarum depicta erant flumina lugentia, quae Regna » et Provincias referebant; quorum etiam insignia undique » apparebant per utrumque templi latus. Lacrymae ad tumu- » lum sic exprimebantur :

Quis, gemino Phoebi surgens de cardine, planctus
Europamque Asiamque simul Lybiamque perustam
Personat; atque alio penitus sub sole repostos
Antipodas plangore quatit? stupet aurea fulvi
Unda Tagi, capitique innexas Baetis olivas
Diripit: Herculeae gemitu sonuere Columnae.
Maximus, heu! gemino Regnator in orbe PHILIPPUS,
Austriacum columen, sidusque, et Ibericus Atlas,
Occidit, heu! Patriae mitis Pater occidit, eheu!
Quo duce tuta Fides, cui relligiosa parentum

Digitized by Google

Debetur pietas, quo vindice floruit alma
Iustitia, et latum stetit inconcussa per orbem
Rerum humanarum divinarumque potestas.
Omnis ad exequias, qua sol oriturque caditque,
Orbis eat: Divos venerentur Numina manes.
Ter sacros cineres, augusti funeris umbram,
Tellus una tegat; tumulum cui mundus et omnis
Immensum debet rerum natura sepulcrum:
Hunc velut exstinctum plangant sua sidera solem,
Dum fessos mergit maria in Tartesia currus.
Fortunata suum commutans Insula nomen,
Nereos ut vasto doleat peritura profundo;
Passim rura, lacus, lacrymarum et flumina, laudes,
Magne PHILIPPE, *tuas, collesque et saxa loquantur.*

ANTERIOR HUIUS MOLIS PARS.

X. « Infra Phoenicem, in molis apice, haec inscriptio :

Ex patrio surgit redivivus funere Phoenix.

» In superiori coenotaphii taenia, ad latus dextrum stabat
» DEFENSIO FIDEI, cuius caput ornatum erat Sacro Galero, qui
» inter margaritas et villosum sericum, ex quibus contextus
» videbatur, adiunctam habebat Spiritus Sancti, sub specie
» columbae, effigiem, fartusque erat albis pretiosisque murium
» Ponticorum (*Armelinas* vocant) pellibus nigricantibus, illorum
» caudis ex Galeri margine undique dependentibus; dextra
» gladium gerebat, cuius capulus et vagina gemmis erant
» respersa. E capulo militare pendebat cingulum, pretiosis
» item lapillis radians et aurea insigne fibula : quae munera
» Summi Pontifices mittere iis Principibus solent, qui in defen-
» denda Religione orthodoxa strenue se gesserunt, vel ad eam

Digitized by Google

» armis protegendam se accingunt; altera manu vexillum
» tenebat, in quo Christi crucifixi imago apparebat. »

XI. « Ad latus sinistrum MONARCHIA AUSTRIACA, dextera
» manu varia sceptra gestans, laeva mundi globum : dextero
» pede galeam premit; quam Monarchiam Gustavus Adolphus,
» Suecorum Rex, aiebat omnium Monarchiarum maximam,
» teste Torquato Comite Priorato in Historia Suecica, et Grotio
» et Baudio. Inter utramque vero Imperii Hispanici insignia
» a plorantibus hinc Austriae, inde Burgundiae geniis tene-
» bantur. In tabella, quae in medio zophori sub Regis insi-
» gnibus erat collocata, haec erat inscriptio :

Non sunt immensis opibus venalia fata;
Sed rapit et sceptra : suum in Fortuna superbum,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum :
Quantum est hoc Regnum, quod Regibus imperat ipsis!

XII. « Inferius ad latus dextrum, secundo gradui inscri-
» ptum erat hoc epitaphium : » Potentissimo et Invictissimo
» Monarchae Austriaco, PHILIPPO IV, Hispaniarum Indiarumque
» Regi Catholico, Neapolis, Siciliae, Hierosolymae, Lusita-
» niae, Navarrae, Sardiniae, Corsicae, Fortunatarum, aliarum
» plurium insularum, et terrae firmae, Oceani Atlantici Tha-
» lassocratori, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Lotha-
» ringiae, Brabantiae, Limburgi, Lucemburgi, Geldriae,
» Mediolani; Comiti Habsburgi, Flandriae, Burgundiae, Arte-
» siae, Hannoniae, Namurci; Principi Sueviae, Marchioni
» Sacri Romani Imperii; Domino Salinarum, Mechliniae etc.
» in Asia et Africa Dominatori; Europae totius ex novo orbe
» Locupletatori; publicae tranquillitatis Fundatori, in utraque
» fortuna Magno : quod infinitis gentium undique coniurata-
» rum copiis, utriusque Germaniae, Hispaniarum et Augustae

Digitized by Google

» Domus Austriacae (qua nulla ab orbe condito latius regnavit) » excidium frustra conspirantibus, prope unus, velut clypeus » terra marique obiectus, Sacrum Romanum Imperium, proa- » vitam et orthodoxam Religionem, per annos XL continuos » invictis armis animisque propugnavit ac propagavit. S. P. Q. » Antverpiensis, Patri patriae indulgentissimo, clementissimo, » pacifico, bono Reipublicae Christinae nato, intempestive, » proh dolor ! erepto, veris lacrymis insolabiliter dolens, » parentabat. »

XIII. In sinistro latere, secus gradus, istud epitaphium legebatur : « *Viator, quavis properes, siste gradum*, et portento- » sam, ab omnibus retro seculis inauditam, Monarcharum » Austriacorum, Hispaniarum Indiarumque Regum Catholico- » rum pietatem, et in orthodoxa et proavita Religione propu- » gnanda et propaganda fortitudinem, zelum ac liberalitatem » obstupesce. Philippum Macedoniae Regem, Alexandri magni » patrem, summis in coelum laudibus extulit antiquitas, quod » ob violata Maiorum Sacra, templo Delphico direpto, cum » Phocensibus Graeciae populis bellum decennale gesserit, » quod Sacrum est appellatum. At quid hoc ad incomparabilem » Philipporum Hispaniarum, Indiarumque Regum pietatem ? » qui bellum prope seculare, ob violata Maiorum Sacra, cum » Divinae Apostolicae ac Regiae eorumdem Maiestatis perduel- » libus, terra marique gessere; plus quam trecentis nummo- » rum regalium Philippicorum millionibus in illud impensis : » ut vere cum prisco vate de Rege Philippo dici possit :

. . . . si solveret ignis
Quas dedit immanes sacra in stipendia gazas,
Argenti potuere lacus, et flumina fundi.

» Refundat ea tibi ac retribuat, o Sacra ac Divorum manium » soboles, bonorum omnium largitor Deus, qui coronat te in

Digitized by Google

» Misericordia, qui replet in bonis desiderium tuum : renova-
» bitur, ut aquilae, iuventus tua. »

XIV. In dextera columnae basi lugens ARETHUSA, Siciliae fons, apparebat, cum Alpheo depicta : in aversa basis parte haec legebatur epigraphe :

Moesta brevi divisa gemit Trinacria ponto ;
Flet passis Arethusa comis : iamque Elidis amnem
Alpheon, et priscos torva aversatur amores
Serius, et Scyllam cernit rabidamque Charybdim
Fervere, et incautas aestu absorbere carinas.
Ipse etiam gravius flammante immugiit Aetna
Enceladus, fractisque vomit fornacibus ignes;
Hippotadae furibunda cohors, Austrique sodales
Torvius Aeoliis auditi ululare cavernis.

XV. Sinistrae columnae basis SCALDIM referebat, tristem et compedibus ligatum. In altero basis latere haec erat inscriptio :

Tristior, at Batava dudum sub compede pressus
Illacrymat Scaldis, qui pridem, vindice Rege,
Sperabat solvi : Sors et mors omnia versant.
Sunt rerum fatique vices. Premit ecce Batavos
Ille olim socius Tamesis. Hinc pressus Amisus
Et Vahalis luget : Scaldis miseratur, et olim
Elati sentit decrescere cornua Rheni.
An pietas polluta patrum, vindictaque coeli,
Ceu Ninives, nimios frangit Rhamnusia fastus ?

Ex hac parte apparebant ad feretrum appensa Bavariae insignia, et sub ipsis Regium quoque paludamentum.

Digitized by Google

MACHINAE LATUS DEXTRUM.

XVI. In coronice a dextra parte stabat CLEMENTIA, altera manu ramum oleaginum, altera hastam puram tenens : a sinistra parte FORTITUDO, utraque manu columnam sustinens. Inter has Regiis insignibus adiuncti erant genii Occidentalis et Orientalis Indiae, tanti Monarchae mortem deflentes. In medio zophori pluteo haec legebatur inscriptio : *Novus coeli indiges Rex Catholicus, requiescat in pace, quam divis eius Manibus et sacrae Propagini orbis Christianus debet: illamque in terris perennem faxit Deus hominibus bonae voluntatis, et dissipet gentes, quae bella volunt.*

XVII. In basi quadratae pilae, sub FORTITUDINE, spectabatur SEBETHUS fluvius Neapolitanus, fractum olivae ramum gestans moesto vultu, altero cubito urnae incumbens. Interior basis pars hanc epigraphen legendam exhibebat :

Parthenope fracta stupuit Sebethon oliva
Serpere, et ignivomas mons Vesbius egerit iras,
Sulphureisque operit vicina palatia flammis,
Ceu cinere eiecto lymphisque calentibus, alte
Testatur clausum per viscera tosta dolorem :
Vicinique amnes lugent, Ticinus et Arnus
Eridanusque (olim ut Phaetontis funere fratris)
Cernit electriferas rursum illacrymare sorores.

XVIII. In alterius pilae basi depictus SEQUANA, Galliae fluvius, dextera manu Lilia tenebat; cui haec adiuncta erat inscriptio :

Cognatos moerens testatur Sequana planctus :
Rex socerum, Regina patrem, gemit altera fratrem

Digitized by Google

Iam senior Regina, decus torrentis Iberi
Utraque; flet Delphinus avum, qui spirat Achillem
Iam puer, et Tyriae subvertere moenia Byrsae
Destinat, ulturus proavum, et fera vincula Divo
Iniecta. Herculeas miseratur Regia Gades
Lupara, et insolito pallescunt Lilia luctu.

Feretro huic affixa erant insignia Tyrolensia, et ante ista in pulvino holoserico iacebant chirothecae ferreae, una cum gladio.

SINISTRUM CENOTAPHII LATUS.

XIX. In superiori operis taenia, supra pilam dexteram stabat TEMPERANTIA, frenum utraque manu gestans : in altera parte LIBERALITAS, ex cornu copiae aureos argenteosque nummos largiter fundebat. Inter utramque Regia iterum insignia erant erecta, adsedentibus, lacrymantium forma, BELGII et ANTVERPIAE geniis, et infra illa hoc epitaphium : *Adsta, Viator, quisquis es, et venerare tumulum* PHILIPPI IV, *Regis Catholici : cuius vita omnis, ut et Maiorum ipsius divae memoriae Principum, Philipporum II et III, prope continuum fuit, adversus perduelles, de Deo eiusque in terris Vicario perperam sentientes, bellum quod ipse sui victor, eiusque divina mens, contemtorque ambitionis et infinitae potestatis animus, publico Orbis Christiani bono, mortalitatis memor, paucis ante obitum annis, vera, sincera, Christiana et (ut boni omnes vovent) perpetua pace terminavit.*

XX. Abacus sinistrae pilae INDUM, Orientalis Indiae fluvium, lacrymantibus oculis repraesentabat; qui praeter urnam, copiae cornu manu gestabat, ex quo, margaritarum lineis superbissime ornato, omnia aromatum genera, quibus illa regio exuberat, in terram spargebantur. Haec basis altera sui parte haec carmina legentium oculis obiiciebat :

Digitized by Google

Ecquis ad Aurorae populos, alioque calentes
Sole Philippinas, tam magni funeris ibit
Nuntius? Heu! primi spectator luminis Indus
Ingemet ereptum, Gangesque Hypanisque PHILIPPUM,
Gemmifer Hesperium Regem plorabit Hydaspes,
Taprobaneque suam submittet moesta tiaram.

XXI. Depictus erat in pilae dextra spira amnis Americae celeberrimus, cui ab inexhausta auri et praecipue argenti copia, quam inter limpidissimas arenas ubique volvit, Hispani nomen indiderunt *Rio de la Plata;* nos Latine ARGENTEUM aut etiam Graece ARGYREUM amnem possimus appellare. Hic igitur altera manu innitens urnae, quamvis altera cornu copiae teneret, unde magna auri argentique, facti, rudis, signatique, vis emanabat, vultu nihilominus tristissimo Regis Catholici obitum lugebat: quem moerorem, in aversa parte basis, hi versus describebant:

Nec minus Occiduo tristis sub cardine Titan,
Mexica sublatis, plangetque Peruvia palmis,
Multifidas avium vellens de corpore plumas;
Maragnonque rapax, et Magellanica flebunt
Aequora. Nigrantes Argenteus amnis arenas,
Pallidior fulvum Potosis mons egeret aurum,
Margaridumque ferax pelagus, circumflua gemmis
Insula, candentes alga de divite gazas,
Parcius Idalias atque evomet aequore conchas.

Haec tumuli pars BOHEMIAE ATQUE HUNGARIAE insignia ostentabat; et ante illa alter item ex holoserico pulvinus calcaria deaurata sustinebat.

POSTERIOR MOLIS PARS.

XXII. In superiori cenotaphii taenia, ad dextram PIETAS

Digitized by Google

cum patera, quasi sacrificans, arae adstabat : ad sinistram vero IUSTITIA, velo capitis ultra oculos demisso, cum consuetis sibi armis, statera et gladio. Regis insignia in medio Genii duo, alter HISPANIAE, ITALIAE alter, lamentantes servabant.

XXIII. Dextrae columnae basis referebat DANUBIUM, notissimum Austriae et Pannoniae flumen, lugubris formae urnae adsidentem, eo quod illius potissimum, quem nunc mortuum deflet, subsidio et virtute, se toties contra irrumpentes Gothorum, Turcarum, aliorumque coniuratorum hostium copias defensum fuisse recordetur. Ad pedes ipsius abiecta iacebat tiara Turcica, cum acinace et sagitta confractis. Apud Danubium hi versus legi poterant :

In freta prorumpens septena per ostia moeret
Ister, et Austriacos irrorans largius agros,
Ultorem gemitu defensoremque fatetur
Occubuisse suum. Misera o! Germania, quondam
Aemula dum Regum vis atque excita Gothorum
Barbaries totas in te transfunderet arctos,
Balthica ferratas vomerent dum littora turmas,
Iusque datum sceleri templisque arisque nefandas
Inferret flammas, centumque exscinderet urbes :
Lappones, Finnique truces cum castra locassent
Ad muros, Nortlinga, tuos, duce fratre, Philippus
Suppetias misit validas, mavortia gentis
Agmina Iberorum, bellatricesque catervas
Roboris Italici. Fusae penitusque fugatae
Relliquiae, Gustave, tuae; victore sub Austro
Succubuit Boreas, debellatique Triones,
Fernandique Aquilis cecidit certantibus Anguis,
Inter Parrhasias frustra qui sibilat Arctos,
Caesaris auspiciis domitus, magnique Philippi.

Digitized by Google

In alterius columnae spira TIBERINUS, considerans quantum Romana Religio in PHILIPPO MAGNO propugnatorem amisisset, prae dolore sibi crines evellebat, cui haec adiuncta erat epigraphe :

Ipse pater fracta Tiberinus arundine luget,
Nec secus ac Pharium Nilus deplorat Osirim :
Quin septem gemini fremuerunt murmure colles
Luctifico, quondam ceu servatore Camillo,
Vel placido labente Numa. Flet Petrus amare,
Paulus et iniectas reminiscitur ipse catenas,
Barbaricas horrens clades, nisi Creta repulso
Respiret Scythico (pudor heu !) prope capta, tyranno.

XXIV. Atque hactenus quidem universum fere terrarum orbem, ut maximo totius mundi Monarchae iusta rite fierent, cenotaphium ad lacrymas pariter effundendas provocabat. Ille tamen, in summo huius molis fastigio sese ostentans PHOENIX HESPERIUS, inter supremos luctuosissimi funeris honores, a praesenti dolorum invitamento, revocatos ad spem futurae sub novo Principe felicitatis, spectantium animos oblectabat. Nec minus solatii addebant versus isti, sub utraque huius partis columna adscripti, quasi phoenicem e paternis cineribus resurgentem, a maiorum virtute non degeneraturum, augurabantur:

Quis subitus celso delabitur aethere splendor
Aureus, attonitos perstringens fulgure visus ?
Quid querimur, Cives ? Moestos attollite vultus,
Atque oculos dudum lacrymis siccate madentes.
Ecce, ubi stat rursum casiis redolentibus alte
Aedificatus apex, nitidasque innoxia lambit
Flamma trahens, patrio e cinere atque ossibus exit

Digitized by Google

(Parturiente rogo) roseusque enascitur ales,
Sidereis rostrum radiis cristamque decorus;
Non secus ac laeto redivivus germine Phoenix
Nascitur, Assyriam solis orientis ad urbem.
Mira fides! Sacro e genitoris funere surgit,
Nomine Caesareo, et Divum de semine Princeps,
Quod Caroli gemini magnusque et maximus alter,
Quintus, ad Occasum Caesar spectatus et Ortum,
E coelo in terras caro emisere nepoti.
Ut Proavos Patremque refert! quantum instar in illo est!
Semina virtutum demissa et tradita coelo,
Progeniem Sacram Heroum Divumque beabunt.
Austrias, Hesperii moderatrix maxima sceptri
(Quaque regente orbis gaudet, nec sentit, adempto
Coniuge, mutatas rerum, quas flectit, habenas)
Sollicita natum cura et pietate fovebit.
Sic puerum (ut fama est) fovit Berecynthia mater,
Cum puerum super astra Iovem natura locaret,
Lacte ipso crescentem ad fulmina vimque tonandi,
Queis sua iura orbi et rata foedera sanciat Ultor.

XXV. Altius oculos sublevantibus, medius zophori pluteus vota publica, hisce versibus concepta, exhibebat :

Publica iam totum resonant pia vota per orbem,
Prosper Nestoreos vivatque et regnet in annos
CAROLUS, *Hesperias geminas qui temperat aequis*
Legibus : et famulis Indis venerandus; utrique,
Caesaribus proavis Augustior, imperet Orbi.

Et paulo inferius haec verba, ex Psalmo XLIV deprompta, quibus Caroli II imperio diuturna prosperitas exoptabatur :

Digitized by Google

Intende, prospere procede, et regna.

XXVI. Hactenus GASPERII GEVARTII nostri cygnea vox : cygnea dico; quia post hanc uno dumtaxat mense superfuit, die XXIII Martii defunctus anno LXXII aetatis, ad extremum usque spiritum sibi praesens, nec enim ex eius, adeo licet provectae, aetatis vitio aliquo, sed ex fortuito in tibia vulnere decessit vir praestantissimus, nullo, quod dolendum, post se relicto herede, qui sciret aut posset aestimare relictum ab eo non solum curiosissimi Musaei thesaurum librarium, nummarium, antiquarium, sed eruditissimarum ac praelo fere maturarum lucubrationum; quae fere universa, sub manibus diversa omnino curantis generi, distracta sunt inter auctionariorum licitationes, ad magnum dolorem nepotis CAROLI IACOBI SIVORI; postquam ab ephebis excessit, et avi sui materni genium ingeniumque aestimare scivit. Et tunc studiose recollegit qualescumque Bibliothecae olim instructissimae reliquias, una cum insculpta aeri effigie, quam mihi benigne utendam, et huic loco inserendam commodavit, ut ei pro epitaphio sit, quod proprium nullum nactus sit, satis superque ex suis operibus cognoscendus : quae vel ideo libentius inserui Annalibus hisce tamquam illustriora ad posteritatem monumenta, publicumque Civitatis nostrae honorem spectantia.

Prototypon, Rubeniano penicillo expressum, ex ore viri circiter quinquagenarii, apud clarissimum nepotem videre licet ectypon cum vidisset amicorum unus, Bertinus, Notarius Antverpiensis, et doleat non legi subscriptum quidpiam, quod eruditionem viri distinctius commendaret; dum viro in omni eruditione maximo brevem meditatur epigraphen, prolapsus ad opera nominanda et successive addens, quae identidem in lucem veniebant; excrevit encomium, ante fatalem *Casperii* casum, in elegiam longiorem, quam (absque typographici

Digitized by Google

praeli subsidio) subiungi tabulae pridem sculptae posset. Eam ergo manuscriptam inventam apud nepotem praelaudatum, hic apponendam duxi.

Musarum soboles, nostrique GEVARTIUS *aevi*
Gloria, sic vultus oraque docta gerit.
Regum summus amor, lingua qui clarus in omni,
Iudicii penetrat mystica cuncta face.
Quem puerum gremio Latiae fovere Camenae,
Crescentem Cyrrhae Cecropiaeque iugis;
Regia cui iuveni Gallorum strenuus [1] *Atlas*
Regali quondam pectore dona dedit;
Dum Patri [2] *augustos gratatur carmine vultus,*
Quos celer elato Sequana *ponte refert,*
Nec minus ingenium coluit Lutetia, docti
Cum festos ignes *pangeret arte metri.*
Aurea dum promit primaevae Electa *iuventae,*
Queis data non paucis est panacea libris.
Dum tribuit (vitae lustris vix quattuor actis)
Papinio *in* Silvis *nomen opusque suum.*
Dumque Scyro latitans illo duce prodit Achilles,
Spernit et Argolicas Thebais alta minas.
Sed magne conspicuos pridem instauravit honores
Belgiacis, voti dum pia vota *reus.*
Colle tuo, Regina poli, pro prolis [3] *Iberae*
Fundit, et Alberti *prosperitate Ducis;*
Dum celebrem celebrat Guzman, *monachamque Isabellam*
Et vestrum, [4] Rockox, *atque* Aytona, *decus.*
Dum canit Austriacos Andina voce triumphos
(Post Nortlingano parta tropaea solo),

[1] Ludovicus XIII. — [2] Henricus IV. — [3] Isabella Clara Eugenia. — [4] Sub eius effigie.

Digitized by Google

Festive erectos Anversa nuper in urbe,
Moenia Fernando *primum adeunte sacra;*
Irrita Francorum dum post tot praelia Nato
Caesareo Austriaco [1] *laurea serta parat;*
Dum paci Batavae *Ianoque* [2] *applaudit Ibero,*
Gallica dedenti castra Ducemque neci.
Et modo regalis dum pandit foedera lecti,
Perpetuum Gallis *queis sociatur* Iber.
Singula quid memorem, Casperi? *Sidera vastae*
Sperarem citius iungere posse Tethi.
Fama tuum nomen, nullum quod nesciat aevum,
Laeta per Austriadum ditia regna canit.
Hinc tibi Caesareis *effulgent pectora donis,*
Et, Fernande, *tuis, et,* Leopolde, *tuis.*
Hinc te Rex, Indo veneratus utrique, Philippus
Pridem a Consiliis fecit et historiis;
Quin Christina, *sui Pallasque et gloria secli,*
Martis [3] *Hyperborei filia, pacis honos,*
Est dignata tuas Anversae invisere musas,
Auratoque sacrum cingere torque latus.
Iam quoque Liligeri decorant te munera [4] *Regis,*
Pacifer *ut per Te sit sibi missus* Hymen.
Nec satis est vivos facundo vivere Reges,
Versu, etiam prohibes post sua fata mori.
Usque adeo exequias Philippi ardente sacello
Exequeris, Phoenix *quo redivivus adest.*
Ille, inquam, Phoenix (gemino qui nuper in Orbe
Magnus) adhuc vivit, mortuus, in Carolo.
Quin age, dum Heroes semper das vivere musis,
Da musas itidem vivere et usque tuas.

[1] Leopoldus Guilielmus. — [2] Ioanni Austriaco. — [3] Gustavi Adolphi, Regis Sueviae. — [4] Ludovicus XIV.

Digitized by Google

Prodeat o tandem Caesar *pius* Antoninus.
Proferat Augusti dogmata prisca sophi.
Socraticae vigeant te vindice scita senectae,
Tollat et elatas Porticus [1] *alta Scholas.*
Prodeat ipse suo per te iam redditus aevo
Manlius, *Ausoniae Consul et Urbis amor.*
Prodeat illa Ducum, Dinthero *auctore, Brabantum*
Historia, et Patriae iura reclude tuae.
Virtutis splendore tuae, livore maligno
Iam domito, meritas bacchare cinge comas.
Quod migret Anversam *per te facundia linguae*
Ausoniae, narrant ingemuisse Tibrim.
Proque suo Carolo, *Belgarum Principe,* vota
Publica, dives agri Belgica saepe legens :
Macte, ait, ó vates, Carolo *dum vota Monarchae*
Concinis, ipse canit te quoque Regis honor.
Omen habent voces; nam te modo Cyrrha fatetur
Laurigeros inter sceptra tenere viros.

A. C. M.DC.LXVI.

—

ARGUMENTUM.

I. Novo Regi Carolo II. Bruxellis sacramentum dicunt Ordines Brabantici. II. Vota publica accinente Gevartio. III. Illius nova moneta. IV. Appellit huc ingens copia navium. V. Fossa Minoritica fornice tegitur. VI. Bellum a Gallo, contra pacem recens iuratam, Flandriae infertur. VII. Munimenta civitatis restaurantur, cooperantibus etiam Religiosis. VIII. Contributio pecuniaria ad bellum indicitur. IX. Iubilaeum promulgatur. X. Succurritur per Iesuitas Francis in ergastulo captivis.

[1] Stoica.

Digitized by Google

ACTA PRIORA.

I. Die xxiv Februarii, Excellentissimus Princeps D. Franciscus de Moura Corte Real, Comes de Lumiares, Hispaniarum Magnas, etc. Belgii et Burgundiae Gubernator, Regio nomine solemne Privilegiorum servandorum iuramentum illustrissimis Ordinibus praestitit, et vicissim ab illis, fidem obsequiumque perpetuum voventibus, suscepit, populo gaudente et feliciter acclamante : *Vivat Rex.*

Ita legitur, dictante Gevartio, sub grandi publicorum votorum tabula, quam hic Antverpiae excudit *Gaspar de Hollander*, ubi invenitur iuvenculi, imo pueri adhuc et quintum dumtaxat annum ingressi, Regis effigies AQUILA et LEONE succollantibus, et pendentibus subtus Regis insignibus, serto hinc palmeo, inde laureo cincti; stipantibus autem latera duabus grandiusculis statuis, altera PROVIDENTIAE seu VIGILANTIAE, lampadem ardentem tenentis dextra, ad pedem habentis gruem, symbolum suum, altera IUSTITIAE. . . . .
Reliqua desiderantur [1].

A. C. M.DC.XCIII.

. . . .

. . . Bruxellis pertractandam : dignarentur ergo discedere ex Camera Statuum , intra quam convenerant. Verum illi id facturos se negarunt, antequam ea, ob quae convenerant, omnia

[1] De lacuna videsis Praefationem editorum, Tomi I, pag.-IV.

Digitized by Google

absolvissent. Eapropter magistratus usque ad horam quartam perseveravit in Collegio; videns autem Decanos obstinatos in proposito, suam quisque domum abiit; Decani vero pernoctarunt in Camera praedicta, et Pensionarius hora quarta mane Bruxellas tetendit, atque cum eo Dominus Lescornet tamquam Thesaurarius, Decanis persistentibus in loco usque ad diem Sabbati.

Tunc Bruxellis epistola advenit, nuntians interdictionem et manutentionem praefatam non ita facile retractandas: quare decretum est, ut Consul Halmalius eodem post Pensionarium proficisceretur. Verum sub horam XII advenit ab ipso Lescornet epistola alia, per expressum significans adfuturum eum Antverpiae ad horam quartam; nec dubitare quin Magistratui et Decanis plene satisfacturus esset. Convenit ergo die et hora designatis Magistratus in Collegio, sed dictus Lescornet ante sextam non comparuit: adveniens autem, exhibuit patentes litteras, unde constabat manutentionem personae suae confirmatam esse, contra quam Civitas appellaverat ad Consilium Brabanticum; simulque insinuabatur parti, responsum ab ea exspectari intra sextum diem.

Addidit tamen praedictus Thesaurarius, malle se quieti publicae sacrificare ius suum, quam illud obtinere pertinacius litigando; optare tamen ut prius liceret sibi Decanos alloqui, iisque declarare mentem suam. Placuit vehementer Magistratui tam bona voluntas, moxque eadem indicata Decanis est, qui soli duodecim in Camera supererant, responderuntque de ea sibi ad socios referendum.

V. Tenuit ea res usque ad horam vespertinam, quando, congregatis tandem omnibus, ad eos progressi ambo Consules cum Pensionario, exposuerunt petitionem Thesaurarii. Verum illi praefracte responderunt, quod ipsum audire nollent. Itaque Pensionarius, protestatus seram iam esse noctem, sequenti

Digitized by Google

autem quae Dominica erat die, deducendam generalem processionem annuam, ex voto pro cessatione sudorifici morbi: convenirent, inquit, die Lunae, progressuri ad electionem, quam spondebat, per actum legalem. Hoc contenti tantisper Decani, videbantur mox discessuri, ubi eiusmodi actum accepissent. Retulerunt ergo quae cum Decanis egerant Consules et Pensionarius ad Magistratum, cui praesens Thesaurarius, haud parum indignatus est, quod eum audire Decani nollent: formatum tamen instrumentum Collegiale est, et oblatum congregatis; sed hi interim mentem mutaverant, dixerantque, ipso vespere velle se Thesaurarium eligere, ad quod vocati fuerant. Conabantur quidem Domini isti placare commotos; sed frustra cum obstinatis agebatur. Tali audito responso, perplexus haesit Thesaurarius, vehementerque commotus: siquidem, inquit, boni isti viri audire me nolunt, neque exspectare proximum diem Lunae, pergam ego iure agere, neque officium abdicabo. Hinc nova commotio animorum, quos paulo ante recreaverat spes pene certa felicis exitus.

Decanos nemo non culpabat, quod tam pertinaciter recusabant admittere instrumentum praedictum, per quod certa ipsis reddebatur electio praetensa; sed ad hanc petulentiam perduxerat eos prioris temporis nimia indulgentia, per quam sibi arrogaverant potestatem tantam. Interim omnium oculi animique conversi erant in Thesaurarium, quem obsecrabant, ne bene coepta dimitteret, quandoquidem inter ipsos Decanos non pauci voluissent procrastinari negotium; sed vincebantur numero contranitentium; qui ut hanc sibi factam iniuriam remittere vellet ille, obtestabantur; offerebantque Registro Civitatis inserendam honorificam mentionem propensi ipsius erga Regem ac Civitatem affectus, quo deposuisset ultro munus suum. Tandem ergo precibus omnium cessit, sese abdicans Thesauraria. Erat iam hora noctis undecima, quando

Digitized by Google

Decanis oblati sunt tres, videlicet *Labistraet*, Scabinus, *vander Heyden*, Exscabinus, et *Lescornet*, Thesaurarius defungens : electus est autem *vander Heyden*, qui eadem noctis hora solitum praestitit iuramentum, et sic tota illa commotio cessavit, pariterque periculum seditionis.

VI. Sub finem Septembris absolutum est propylaeum portae meridionalis ad ecclesiam S. Iacobi, munificentia honorati et opulenti Presbyteri *D. Henrici Hilleweroe*, magni benefactoris istius ecclesiae; qui etiam in eadem maius altare ipsius S. Apostoli, candido ex marmore, cum statua elegantissime sculpta, erexerat. Propylaeum autem maius ad portam occidentalem sub turri, iam olim inchoatum, et anno praeterito aliquousque provectum, non ante annum M.DC.XCIV ad finem perductum est; iamque solum restat porta septemtrionalis ad Kipdorpiam, simili ornatu non facile decoranda; quamvis ibi magis conveniret, habita ratione situs ad viam, frequentissimam hominibus, et domibus splendidissimam. Sed ne id ibi quoque fiat, impediunt frontispicio boreali sic praestructae domus, ut per eas solum pateat angustus aditus ad ecclesiam, quae ex elocatione earum, in fundo eius eiusque impendio exstructarum, haud contemnendum capit proventum, ad solvenda debita, choro aedificando contracta.

VII. XXIII Octobris mane, sub horam tertiam, venit huc vidua Ducissa Hannoverana, *Benedicta Henrietta Palatino-Rheni*, quam verosimiliter huc traxerat desiderium videndi ambas filias, iam fere nubiles, quas habebat apud nos collocatas in convictu Ursulinarum; et quarum maior nuptura erat Principi Ludovico Badensi, altera Gastoni, Magni Ducis Hetruriae filio secundo genito; recessit autem Ducissa Turnholtum die XXVIII; et die XVIII Decembris ipse Princeps Badensis Breda huc advectus per Rubram portam. Hic est generosus ille armorum Caesareorum ductor in Hungaria contra Turcas, et in Imperio

Digitized by Google

contra Francos; qui a Magistratu salutatus, vinoque oblato honoratus, postera die tum visa procul dubio, sed dissimulanter, ea quam petiturus erat uxorem, Bruxellas abiit, magna, ut dicebatur, negotia tractaturus. Rediit autem rursum Bruxellis die xxx, atque hinc in Hollandiam, unde spatio sedecim horarum traiecit in Angliam, ubi Parlamento persuasit, Sabaudiae Duci, contra Francos arma sumpturo, ingentem pecuniae summam subministrare, et classem numerosam instruere pro communi causa.

A. C. M.DC.XCIV.

ARGUMENTUM.

I-VI. Nova Henrici Thieullier typographia initiatur edendis compendio Actis Sanctorum plus quam trecentorum octoginta ad usum sortitionis menstruae, primum Teutonice, tum Latine, ac denique Germanice ; VII. Tum Latinae Graecaeque linguae praeceptis denuo recognitis, ad usum studiosae in Collegiis iuventutis. VIII-X. Tomi primi de Actis Sanctorum Iunii sub auspiciis Leopoldi Imperatoris, quem secuturi essent alii tomi quatuor, offerendi filio eius ac successori Iosepho, eorumque augustissimis coniugibus Eleonorae et Elizabethae.

ACTA PRIORA.

I. Obierat anno M.DC.XCI, die XXIV Augusti, *Michael Cnobbarus*, editis intra sedecim annos Sanctorum Aprilis tomis tribus, et septem Maii cum suo Propylaeo, magnum inter typographos ac bibliopolas nomen meritus : obierat autem, nullo, qui succedere posset, herede relicto : Antverpienses vero alii, in ea temporum difficultate, recusabant prosequi tam sumptuosae

Digitized by Google

molitionis lentaeque distractionis impressionem. Id ego praevidens, futurumque ut, demissis Actis, plures concurrerent, aut etiam involarent in ea quae vocantur *Suffragia* et *Latinae Graecaeque linguae Praecepta Scholasticalia*, quorum intuitu, post Meursios, Cnobbarus susceperat onus Actorum, aliis intolerabile visum, curaveram, ut Regio CAROLI II diplomate in me transferretur facultas, ad eadem tria eligendi typographum ac bibliopolam, qui cum aliorum quorumcumque exclusione idoneus iudicaretur. Elegi deinde, cum facultate superiorum, *Henricum Thieullier*, in typographia Cnobbariana nostroque opere pluribus annis probatum, virum prae aliis impigrum et industrium, ad Graecas Latinasque litteras etiam ex manuscriptis colligendas; inhiantem vero occasioni erigendae propriae typographiae, si inveniret Maecenatem, cui primis aliquot annis utiliter navaret operam, et typos suo periculo sumptuque comparandos impenderet. Haec cogitantem animavi ad nostri Musaei servitium iis conditionibus quibus sperabat efficere posse quod moliebatur.

II. Coepit ergo sic animatus imprimere ea, quae dixi, compendiosa Sanctorum Acta, quibus suggerebam novas elegantioresque prioribus laminas aeneas viginti quatuor; post quarum ectypa impressae vitae, sedecim uno in folio, possent vel discindi pagellatim in sodalitiis distribuendae, vel quadrifariam sectae complicataeque, religari in tomulos duos, cum suo Indice et communi ad Lectorem Praefatione, totius opusculi rationem reddente, quam hic iuvat annectere.

« Pium institutum per singulos menses sortiendi unum Patronum ex Coelitibus, sub eo mense recurrentibus, ab illustri Ducum Gandiae familia per eorum quartum S. Franciscum de Borgia, postea Praepositum generalem tertium Societatis Iesu, in hanc nostram Religionem est introductum; per eamdem vero communicatum erectis sub ipsa Sodalitiis

Digitized by Google

Marianis, et consequenter toto Christiano orbe receptum, approbatione tanta, ut vix ullus piorum hominum coetus cuiuscumque sexus nunc inveniatur, qui ipsum sibi non fecerit familiare. Continet enim facilis haec ac popularis praxis, omne nostri erga Sanctos officii punctum, quod in veneratione, invocatione, et imitatione consistit; dumque ei iungitur mutuae suffragationis exercitium, impletur cumulatius Christianae dilectionis praeceptum : membrorum quoque uno in corpore solidatur compago, dum alia pro aliis, et singula pro omnibus, iuxta Apostolum pie sollicita, generales aliquas utilitates promovere, vel necessitates levare iubentur, universaeque congregationi profutura petere, et nocitura deprecari. »

III. « His ita iam inde a principio constitutis, nostrorum praefatis Sodalitiis dirigendis praefectorum eo identidem incubuit cura, ut quod experientia probabat utilissimum, adscitis etiam ornamentis, gratius ac iucundius redderent; et ipsos, qui invocandi imitandique proponebantur Sanctos, etiam facerent vulgo notiores.

» Ad hoc conducturae videbantur icones, unumquemque Sanctorum in suae professionis habitu vel notabili aliquo vitae actu repraesentantes; cum sententia ei virtuti congrua, quae imitanda proponeretur, et quam qui sorte accepisset, toto ruminans mense, in eadem proficeret. Sed nihil illuc aeque iudicabatur posse facere, quam brevis notitia vitae cuiusque. Hanc ergo in aversa pagina poni placuit; quod in hac nova impressione secutus etiam ego sum, stylo tamen quem commodiorem censebam nativo ac simplici; delectu autem Sanctorum novo, et partium ordine nonnihil variato. Quid autem in utroque spectaverim, quid priorum inventis superaddiderim, ex sequentibus articulis disce :

» I. Nequaquam laborandum mihi putavi, ut, quod alii sollicite fecerant, cuique diei aptarem proprium Patronum, ex iis

Digitized by Google

quos ipsi adscribunt Fasti Sacri. Cum enim non una sit omnium dierum ratio, sed alii pluribus maioris nominis Sanctis abundent, aliis nec unus quidem talis suppetat, cuius vel acta dilucide scripta exsteut, vel sint satis certae exploratae que veritatis ac celebritatis; imitandam mihi censui Matrem Ecclesiam, quae in concursu festorum plurium, unum suo die servat, ceteros differt in proxime sequentes, et a proprio solemnioris Sancti officio vacantes. Ita effeci ut maiorum Sanctorum nationumque nullus praeteriretur, quod alias caveri non poterat; nullus proponeretur, cuius vel nulla esset vel incerta historia.

» II. Ut autem quam plurimos potioris notae in hanc Epitomen adducere possem, abstinui a Christi Deiparaeque Mysteriis, in Kalendario diem certum occupantibus, nedum ab eorumdem mobilibus festis: isti enim cum sint communes omni tempori Patroni, sortitioni menstruae minus apte adhibentur. Si tamen etiam ista Mysteria magnopere desiderari cognovero, poterunt in alia aliqua editione, *Nativitas*, *Circumcisio*, *Adoratio*, *Baptismus*, *Crucifixio*, *Resurrectio*, *Ascensio Christi Domini*, cum festo *Venerabilis Sacramenti* praeponi parti primae, tamquam *Sancti Sanctorum*: Parti vero secundae totidem festa Mariae Virginis, velut *Reginae Sanctorum omnium*: videlicet *Conceptio*, *Nativitas*, *Praesentatio*, *Desponsatio*, *Annuntiatio*, *Visitatio*, *Purificatio* et *Assumptio*.

» III. Sub quaque icone, post nomen Sancti atque virtutem ad eius exemplum exercendam, collocavi orationem ei accomodatam; et quidem cum respectu plerumque ad id quod postulandum vel deprecandum proponitur; sic ut omnia quatuor quamdam inter se connexionem habeant, et eadem in facie sub unum simul adspectum haberi quotidie possint. Vitam autem cum sententia, quas bis terve per mensem relegere sufficit, in aversa pagella collocavi, hoc etiam servans, ut sententiae omnes ruminandae, ex solis Sacris Scripturis

Digitized by Google

proponerentur : postea tamen placuit alias ex Sanctis Patribus deligi, sicut antea factum fuerat.

» IV. Breviculas in aversa pagella vitas nullis observationibus moralibus interpolavi, quo facilior esset, etiam modice eruditis, decursus historiae, nativo nudae veritatis aculeo et decore satis ornatae, ut placeat, potentis, ut moveat. Nolui etiam eamdem intricari quaestionibus inter eruditos controversis, vel definitionibus a vulgi sensu abhorrentibus, licet maxima ratione vel auctoritate fultis. Communia autem sector sensa, talia tamen quibus nihil falsitatis opinor subesse. »

IV. Haec nova suffragiorum forma et stylus ita eruditis multis placuit, ut non deessent qui opusculum hoc, prae omnibus meis hactenus editis operibus, laudarent volverentque; et, quamvis Bibliopola meus gravaretur magno numero exemplarium Cnobbarianae editionis, redemptorum a mortuariae domus curatore, ne quod illa damnum pateretur, istis tamen etiam distractis, nova haec fuerint intra annos quatuordecim recudenda; non tamen cum additis quae supra promitti videbantur Christi Domini atque Deiparae festis : recusa sunt autem duplici forma, ut qui sub Sancti cuiusque icone mallent ex veteri usu legere alicuius Sancti Patris sententiam, haberent congruam virtuti, quae imitanda proponitur, omissa scilicet, quam eidem impetrandae composueram, precatiuncula; licet eam non proposuerim tamquam publice usurpandam (ut arguerunt aliqui) quales sunt illae, quibus in Missa utitur Ecclesia, sed pro privata solum cuiusque devotione. Poterit tamen etiam haec cum desideratis, in alia post hanc editione ad calcem vitae addi, loco sententiolae ex Scripturis petitae et omnibus obviae. Altera forma, ad primam editionem, solum nominibus Sanctorum immediate subiunxit numerum diei et mensis, quibus quisque colitur, minus commode dilatum ad dorsum pagellae.

Digitized by Google

V. Teutonicorum similis, qui Latinorum, successus fuit, quamvis ad duo millia impressorum et licet superessent Cnobbariana triplicis generis pretiique levioris exempla, similiter redempta ut illa: nam et haec distracta sunt omnia, et nostra plura quam mille. Interim ne gravari se querantur assueti pretio leviori, aliaque viliora ex Hollandia sub nomine Antverpiensis alicuius ibi excusa praeoptent, placuit uti minoribus Cnobbarianae officinae laminis, honeste reparatis, iisque brevius aliquod elogium vitae cum alicuius Sancti Patris sententia aptare. Horum cum maxima copia nunc distrahatur, lentius quidem procedunt elegantiora et cariora; sed eo nihil dolet bibliopola, quod ita parcatur maioribus laminis, non nisi magno pretio reparandis, uti reparandae nuper fuerunt propter Germanica suffragia, illud requirentia. Linguae huius versionem pridem inchoatam eisdem aptavit, tandemque absolvit admodum *R. P. Wilhelmus Alstdorf,* Brigittinorum Hobokanorum Prior, pollicitus per suos calcarienses et Colonienses multam distractionem, cum illa etiam possint compingi in libellos, quibus magis delectantur Germani inferiores ad Rhenum, contenti alias ad menstruam Patronorum sortitionem vilioribus schedulis, per manus Sodalium distribuendis.

VI. Ut autem, quae rem hanc spectant, in unum colligam, non placuit nova nostra Gallice reddenda curare; quia supererant eiusdem idiomatis Cnobbariana complura.

Tandem tamen, quia haec, ante annos multos impressa, post tantam variantis istius linguae mutationem fastidio esse coeperant Gallo-Belgis, quorum usui servire debent; ut his quoque fieret satis, reparatae sunt quaedam Cnobberianae laminae olim gratiores, eisque aptatae; sic ut ita excusa suffragia Gallica leviori pretio venire nunc possint.

VII. Talia dum typis Thieullerianis minusculo charactere cuduntur, licuit curare pro Actis Sanctorum maiusculos typos

Digitized by Google

Latinos ac Graecos, quibus Iunius inchoaretur; non tamen ita statim : quia propria urgebat necessitas prospiciendi Scholis nostris, in quorum usum, sine cunctatione ulla, imprimenda erant *rudimenta Latinae linguae*, non solum, quae ex nostri Balthazaris Alvari institutione praeleguntur, sed etiam eorumdem explanatio Teutonica Gallicaque; tum eiusdem linguae auctorisque *Grammatica* et *Syntaxis ;* non item Graeci *Iacobi Gretseri institutiones* totae, in quatuor divisae libros, grandiori pretio emendos quam huius temporis angustiae patiantur, aut praesens usus exigat. Ex illis ergo, in unum contractis quoad magis necessaria, factum est impressumque *Compendium* abunde sufficiens illi horae, quae Magistro Graeco datur, et studiosae iuventuti : quam satis est eatenus instrui, quatenus opus est ut adultioribus, cum libuerit, facile sit perficere quod coeperint. Quapropter praeceptis ad nominum verborumque declinationes coniugationesque spectantibus, admixta sunt paucula illa, in quibus syntaxis verborum Graeca discrepat a Latina, et prosodiae Latinae subiunctae etiam sunt pauculae paginae, Graecae poeseos studiosis necessariae.

VIII. His expeditus novus typographus, coepit et hoc anno absolvit tomum primum de *Actis Sanctorum Iunii*, prodiitque is die ultima Octobris, cum icone frontali nova, cuius explicationem, a variis desideratam, hic accipe : Stat ibi in gradu sublimiori SOCIETAS IESU, in casula Sacerdotali SANCTORUM ACTA collecta et illustrata a suis scriptoribus, ut suavissimum thymiama sustinens in ara, et offerens diiudicanda ECCLESIAE, cui IUSTITIA assidet, et vindicanda contra adversarios, sicuti iidem scriptores ipsa vindicant ab interitu, quem minantur incursiones Barbarorum, priorum seculorum ignorantia, et rerum omnium edax tempus. Post SOCIETATEM, quam, ut pedissequa, comitatur scriptorum eorumdem DILIGENTIA, cum lampade accensa exsurgit PALMA VERITATIS inde

facientis symbolum, cum lemmate: *Vera ingenio studioque probata aeternum stabunt.*

Idem polliceri videtur pene adstans, velocis eruditique INGENII FACULTAS, capite elato et laureato, atque aeternitatis annulum manu praeferens; dum laboriosi quidam genii nituntur TEMPORI subtrahere, atque rescribere vetera de Sanctis monumenta. Denique in recessu multoque in lumine, surgit PANTHEON Christianum, dum Constantiniano zelo accensi milites, idolorum statuas arasque subvertunt. Porro non fuit de nihilo quod Ecclesiae iudicium eo tempore appellandum censuerint Auctores, quo edita ab iis eatenus Acta, non iam solis aemulorum dicteriis proscindebantur, sed calumniis atrocissimis ante suprema tribunalia impetebantur, ut multiplicis, non solum erroris, sed etiam haeresis rea.

In horum patrocinium cum sese, tam Romae quam in Hispania, erigeret eruditae veritatis zelator potentissimus LEOPOLDUS Augustus, Romanorum Imperator, visum est nulli potius inscribendum primum, quod hoc anno prodibat, dicti mensis volumen. Praemunitur illud Apologeticis quibusdam scriptis *Conradi Ianningi* nostri, quadruplici adversariorum Antirrhetico oppositis; de iis tamen in Dedicatoria epistola nulla fit mentio; sed ea tota occupatur gratulando victorias, interim dum haec Acta scribuntur, de Turcis relatas, et plures apprecando: quas quia dignum est commemorari his in Annalibus nostris, ubi toties mentio fit plausuum a piis Antverpiensibus datorum ad laetissima de iis nuntia, ipsam epistolam hic legendam accipe, prout praeponitur ipsius Imperatoris effigiei, pariter spectandae, sic exordiens.

IX. « Iunius hic mensis merito appellatur Natalis. Natalis quippe est Sancti, cuius unius, praeter Dei-hominis Deique Matris, regnantium in coelis omnium Nativitas celebratur in terris, IOANNIS BAPTISTAE, quo non surrexit maior inter natos

Digitized by Google

mulierum. Natalis idem est gloriosi, cuius unius, post summum Christi Domini Vicarium, regnantium in terris omnium, Nativitas praecipue celebranda venit, LEOPOLDI IGNATII, quo non surrexit maior inter genitos Imperatorum. Istius Sancti Ioannis Baptistae sanctissimam Nativitatem colimus hoc mense. Huius gloriosi Leopoldi auspicatissimam Nativitatem annua memoria ac gratulatione recolimus hoc eodem mense, quem et Augustissimo eius Nomini officiose dedicamus : impares quidem illustrare pro merito Nativitatem vitamque Ioannis, quam Digitus Dei in sacro Textu eminenter descripsit : nec minus impares illustrare Nativitatem gestaque Leopoldi, quae omnium in ore oculisque versantur adhuc, et clarius conspiciuntur in se, quam exprimi in tabula possint. Auditae in Nativitate Ioannis semel fuere gratulantium vicinorum et cognatorum laetae voces. Audiuntur illae quotannis in Natali Caesaris iteratae, gratulantibus ei Principibus, applaudentibus subditis, gaudentibus exteris, mirantibus universis; qui ex praeteritis eius gestis futura metientes, tacito secum animo pensitant quod illi de Ioanne palam interrogabant : *Quis, putas*, Caesar *iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Ita est. Et quidem tam multipliciter manus Domini Tecum fuit (Ad Te convertimur et nos, in hoc quinquagesimo quinto Natali tuo, gratulabundi, Augustissime atque Invictissime Imperator) ut non inferiora deinceps sperari possint Tibi, quam eluxerunt in Ioanne; certe, ut maiora, quam hactenus in Te manus Domini operata est, sperari de cetero possint, et immortalia. »

X. « Nempe manus Domini Tecum fuit, quando, hominibus ita disponentibus, ecclesiasticum amplexurus statum, iam habitu ecclesiasticus, a Domino ad Imperii solium, praeter hominum exspectationem, anno Christi M.DC.LVIII, iuvenili in aetate, elevatus es; uti puer David, praeter spem suam et opinionem omnium, a pedo pastorali ad sceptrum Israel.

Digitized by Google

Manus Domini Tecum fuit, quando gravibus aliquoties infirmitatibus olim pressus, non sine vitae discrimine, variis insuper insidiis appetitus, proditores non paucos expertus, ope Dei semper ab infirmitatibus convaluisti, insidias declinasti, proditores detexisti, comprehendisti, punivisti; mitius tamen, pro innata clementia tua, quam delicti gravitas et reorum impietas merebatur; Clementiae divinae, infra meritum punientis peccata hominum, aemulator. Manus Domini Tecum fuit, quando magni Hispaniarum Regis Philippi IV, utriusque orbis Monarchae, filiam, Margaritam Mariam Theresiam, Caesareum introducturus in torum, obstacula varia, ardua, et diuturna, desperantibus eventum hominibus, iuvante Deo, feliciter perrupisti; sponsam tandem adduxisti, alter Iacob alteram Rachelem, breviori tamen impendio temporis; ac prolem inde suscepisti suavissimam, novum Bavaricae Domui daturam heredem. Manus Domini Tecum fuit, quando una alteraque cara coniuge praematuro fato ereptis, nullum post se relinquentibus heredem masculum, interitura timebatur Augustissima Familia; nisi Dominus tertiam superinductam, Eleonoram Magdalenam Theresiam Neoburgicam, longiore vita et multiplici prole, deliciis Augustissimi Patris, in spem serae posteritatis, liberaliter beasset : atque o beet adhuc! Manus Domini, si umquam alias, Tecum fuit, quando (ita laetis tristia miscet Deus) Passaviam, cum cara coniuge et liberis, Te contulisti, victo ad Arrabonem fluvium exercitu tuo, Ipse invictus; cincta diutina obsidione, et tantum non cadente Vienna, Ipse erectus; trepidante Christiano orbe, Ipse intrepidus; fractis omnium animis, Ipse constans; illo eodem in sacello, prodigiis Magnae Dei Matris celebri, ubi aliquot abinde annis laetus laetam duxeras, tunc fisus Deo consolabaris moestam; affore e coelis opem; premi iustos, non opprimi; probandos homines adversis, ut aurum igni,

quod lucidius inde exit : sicque erecta in spem et ipsa Augustissima coniuge, perseverabatis ambo in oratione; tam efficaciter pulsantes precibus coelum, ut milites, Deo duce praecipuo, armis propulsaverint profligaverintque a moenibus Viennae infestum hostem; solverint obsidione urbem; recreaverint subactam fere Austriam, trepidantem Germaniam, paventem Italiam, lugentem Hispaniam, amans Austriaci nominis Belgium, Europam, pro liberanda Vienna, propugnaculo Christiani orbis, noctu diuque supplicantem, pene universam.

XI. Etenim Manus Domini Tecum tunc fuit, Piissime Imperator : Manus illa, quae humiliat et exaltat, quae vulnerat et medetur, quae mortificat et vivificat, quae deducit ad inferos et reducit sperantes in se. Manus illa pressum erexit sublimius, humiliatum exaltavit gloriosius, pene victum fecit victorem et triumphatorem. Scilicet, probatus adversis, merebaris recreari prosperis; urbe ex una pulsus, expugnare sexcentas; uni cedens semel hosti, hostibus potiri omnibus; transiens ad Occidentem, extendere imperium late in Orientem; timens provinciis propriis, provincias iusto bello acquirere alienas plures quam habuerint umquam Augustissimi Maiores; denique, visus aliquibus infelix, merebaris feliciter regnare et clementer imperare omnibus. Quid enim non prospere laeteque fluxit, ex quo Viennam rediisti victor? Quot urbes illa Tibi peperit obsessa! Quot provincias provincia una vastata! Quot victorias una clades, eaque levissima, ad Arrabonem accepta! Urbes lubet videre expugnatas? Expugnasti, Caesar, et manus Domini Tecum, munitissimas quasque Hungariae, Sclavoniae, Croatiae, Rasciae; imo et Bosniae et Serviae; partim (quod gloriosissimum Austriacumque est) longanimitate ac mansuetudine, sine caede et sanguine tuorum; partim (quod Caesareum est) armata fortiter manu. Posteriori modo

Digitized by Google

expugnasti praeter alias Neoselium, munitissimam arcem, in Hungaria superiore; Budam, urbem Regiam, in inferiore; Albam Graecam, emporium tam celebre quam munitum, in Servia, denuo faventibus Superis expugnandum. Expugnasti modo priori Agriam, Muncatiam, Albam Regalem, Sigetum, Canisiam, et, hoc ipso quo scribimus anno, Guilam. Reliquarum, toto belli tempore captarum, licebit inire computum ex multitudine et amplitudine provinciarum atque regnorum, debellatorum per varia praelia. Pugnasti namque cum hoste saepius; semper (quod memorabile est) victor. Ita spectavit pugnantem Barcanum, caesisque decies mille ianizaris, cessit urbs illa victori praeda, armata vi expugnata. Spectavit pugnantem Vatzia simul et vincentem, desideratisque armatorum suorum millibus octo, arbitrio victoris se ultro permisit; malens incolas suos, amplius duodecim mille, bello captos tradere, quam Barcani fortunam experiri. Spectavit pugnantem plus vice simplici Regia Buda, caesisque bis terve memorabili clade Turcis, spectavit se a victore exercitu, spoliis caesorum divite, et ereptum Mahumeti militare signum praeferente, obsessam. Spectavit pugnantem post haec Strigonium, urbs Archiepiscopalis, iam tum Caesareis armis expugnata, sed a Turcis denuo obsidione cincta; moxque exercitum tuum, fusis fugatisque hostibus ovantem, libera laetaque excepit. Spectavit denique pugnantem subacta Sclavonia, traiectoque Savo, Bosnia; et victorem, dum in Servia expugnatur Belgradum, bis sensit; mirata tuorum virtutem, qui exiguis cum copiis ausi exercitum aggredi, incredibilem obtinuere victoriam; singuli in quinque pugnantes, plures in loco occidentes quam ipsi numerabant, triginta amplius auferentes hostilia signa, totis potiuntes castris.

Et hae quidem aliaeque plures victoriae, quae non Caesaribus fuissent summae, Caesari gradus fuerunt ad maiores,

Digitized by Google

hostique internecinas. Unam eiusmodi et principium reliquarum omnium conspexit Vienna, qua se conspexit obsidione liberam, iacentibus circum cadaveribus hostium superborum innumerabilibus. Alteram conspexit Darda; cum trans Dravum munitis castris, etiam provocatus et lacessitus, sed prodire non ausus hostis; ausus vero cis fluvium redeuntes Caesareos insequi, tam internecina, paludibus fluvioque fugam prohibentibus, affectus est clade, ut eo loci divinitus videri possit deductus fuisse, quo magis absolutam Tibi victoriam daret; praemio laborum suorum victores secuto, Transilvania tota et tota Sclavonia subactis, traiecto hinc Dravo, inde Tibisco. Tertiam eiusmodi conspexit Servia victoriam, et ingemuit (erro, exultavit, excusso servitutis iugo) ter caesis deletisque Turcarum copiis ingentibus, captis bis castris opulentis, captis centum septuaginta et amplius universim tormentis bellicis, captis pariter Nissa et Vidino. Quartam conspexit cum internecione Turcarum Salankema, opitulante manu Domini Caesareo militi, qui circumdatus ab hoste, ideo circumdatus fuerit permittente Deo, ut citius pugnaret, gloriosius vinceret, pleniorem victoriam reportaret; caesa hostium multitudine plurima, caeso cum plerisque Ducibus ipso exercitus supremo Ductore, primo Vizirio, captis plusquam centum tormentis maioribus cum totis castris. Et in his quidem, Caesar, vicisti hostes praelio; nuperrime sine praelio vicisti, ut manifestius appareret, manum Domini Tecum esse. Cinctus quippe obsessusque cum Petri-Varadino totus periclitabatur exercitus tuus, nisi obsessorem exercitum mirabiliter vicisses. Vicisti autem, non ope Angeli, quod mirabile est, ut Ezechias, Rex Iuda; quo orante pro conservatione Hierosolymorum : *exiit Angelus et percussit in exercitu Assyriorum centum octoginta quinque millia*, et Regem eorum Sennacherib cum reliquis fugavit. Non item vicisti, quod mirabilius est ope cyniphum, ut Iacobus Nisibita, Episcopus sanctus,

Digitized by Google

quo orante, advolarunt divinitus examina cyniphum in exercitum Persarum, arcte prementium obsidione Nisibin; et morsu suo actis in furias elephantis atque equis hostilibus, omnes cum Rege suo Sapore fugam capescere compulerunt. Sed vicisti, quod mirabilissimum est, ope guttularum pluvialium, quas, orantibus Tecum bonis omnibus, defudit Deus in castra Turcarum, tuos obsidentium, tam crebras, ut tota inundaverint, expulerint inde cum Vizirio suo hostes, et in fugam coniecerint nocturnam. Ita qui mirabilis est Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, adest suis praecipue amicis, in manu forti atque mirabili, quando vix spes, aut ne vix quidem, superest humana, exoratus supplicibus eorum precibus, votis, inediis. Adfuit autem supplici Ezechiae Regi mirabiliter, sed per Angelos, spiritus ratione praeditos eosque potentes. Adfuit supplici sancto Iacobo Episcopo mirabilius, sed per cyniphes, animalcula animata, eaque mordacia. Adfuit vero supplici Leopoldo Caesari mirabilissime, per guttulas pluvias, rem contemptissimam, et vita, et robore, et spiritu, nedum ratione destitutam.

Considerare nunc libeat, Augustissime Caesar, et mirari longam rerum secundarum seriem, qua remuneravit aequus coeli terraeque Arbiter Deus brevissimi temporis calamitates. Dixeris, specimen dedisse bonitatis ac munificentiae suae, qua perbreves amicorum suorum in hac vita labores, praemio compensat in coelis aeterno. Etenim aestas eadem, quae anno M.DC.LXXXIII transeuntem vidit Passaviam, vidit et reducem, et victorem, et triumphatorem; caesis ad internecionem foedifragis hostibus, liberata Vienna, capto Strigonio, expugnato Barcano, profligatis ante in conspectu eius, quae e clade Viennensi supererant, Turcarum reliquiis. Annis vero continuata serie subsecutis,

Millesimo sexcentesimo octogesimo quarto, reportasti victoriam

Digitized by Google

quadruplicem, primam ad Vaciam, mox inde captam; alteram, tertiam et quartam prope Budam, mox inde obsessam; praeter oppida ditioni adiecta, Dotim, Virovitiam, Pappam, Vesprinum aliaque plura.

Octogesimo quinto, vicisti hostem ad Strigonium, ipsumque obsidione liberasti; expugnasti Neoselium, Vicegradum, Solnocum; recuperasti Filecum, Espcrias, Tocaium, Cassoviam, Debrecinum, aliasque urbes.

Octogesimo sexto, expugnasti Budam, inspectante exercitu hostili; cepisti Segedinum, Quinque-Ecclesias, Dardam, Caposvarinum, Simonthornam, Novigradum, et plurima alia.

Octogesimo septimo, consecutus es victoriam, qua vix illustrior ulla fuit, prope Dardam; accepisti emaciatam longa fame Agriam; desertam metu a Turcis Possegam et Essecum, totamque fere Sclavoniam ac Transilvaniam.

Octogesimo octavo, qui memorabilis est occupatione duplicis Albae, Regalis et Graecae, submisit se Tibi, ultronea deditione, Alba Regalis, extrema expugnata inedia, qua et coacta se dedidit Moncatia; subiecta Tibi fuit, etsi reluctans, Alba Graeca, armata fortiter expugnata manu. Ut de Lippa, Lugos, Illoco, Petri-Varadino, Titul, Orsova, Semendria, totaque Servia occupata, et victoria duplici in Bosnia relata nil memorem.

Octogesimo nono, terna commisisti praelia, et ternas retulisti victorias in Servia, admodum memorabiles: ternas item acquisivisti civitates praecipuas, Sigetum, Nissam, Vidinum, primam fame, alteram metu, tertiam vi, ad deditionem coactas.

Nonagesimo, expugnasti extrema penuria, inexpugnabilem alioquin arcem, Canisiam.

Nonagesimo primo, pugnasti pugnam Salankemensem et fortiter vicisti, tota adeptus castra hostilia.

Nonagesimo secundo, cepisti Varadinum-Grande, et arctius

Digitized by Google

Transilvaniam cum Hungaria connexuisti; nobisque dedisti copiam inquirendi in monumentum sepulcrale Sancti Ladislai, Hungariae Regis, illic magnifice olim conditi, et hoc Iunio mense a nobis illustrandi,

Nonagesimo tertio, pactis conditionibus, Tibi dedita fuit arx firmissima Iena, et cum ipsa accessio facta est immensi tractus terrarum.

Nonagesimo quarto, militavit Tibi aether, nubes, et pluviae, ignominiosam hostes in fugam coniicientes, ad Petri-Varadinum.

Nonagesimo quinto, hoc ipso, quo scribimus, vix inchoato, Tibi se Iulia offert, bono omine, pro strena; secuturo, uti speramus, pro natali dono, Temesvarino; expulsis e tota Hungaria ultra Danubium ac Savum Turcis, quo securius feliciusque imposterum possis regnare.

Atque haec suggerit Iunius, S. Ioanni Baptistae, idem et Sacrae Maiestati tuae natalis mensis; quo praedicentur magnalia, quae manus Domini cum utroque noscitur mirabiliter operata esse: sive propria id ipsi impetraveritis virtute, sive meritis Maiorum. Uterque enim gens Sanctorum estis: Ioannes quidem a sancto patre ac matre genitus; Leopoldus vero a sanctis Maioribus prognatus: quibus etiam annumeres licet, qui sancta sancte venerati, Sanctorum Reliquias sollicite quaesiverunt transtuleruntque. Paucorum ex hoc numero nunc memorem me faciunt prae ceteris Sancti duo, quorum gesta pulcherrima hoc ipso priore Iunii tomo leguntur illustrata, Norbertus atque Morandus; religiosissimorum Ordinum, alter Canonicorum Praemonstratensium Institutor, alter Cluniacensium Monachorum Thaumaturgus; uterque Domui Austriacae obstrictissimus, quod huius pietate ac opera sacrae ipsorum Reliquiae in tutiora loca translatae, celebriusque cultae fuerint. Fuit quippe Augustissimus Imperator Ferdinandus II,

Digitized by Google

gloriosae memoriae, qui sacra Norberti lipsana, in honoratiore loco inter acatholicos Magdeburgenses, fugientibus inde fugatisve Religiosis Ordinis eius viris, relicta, interposita auctoritate Caesarea, missaque ac iterata super ea re legatione Magdeburgum, sibi petiit, obtinuit, Pragam transtulit, et honorificentissime ibidem reponenda curavit. Fuerunt pariter Austriaci Principes religiosissimi, Fredericus senior, et Sigismundus, eius filius, Comites Tyrolenses ac Ferretani; nec non Fredericus iunior, praedicti nepos, Imperator, nominis sui tertius; qui S. Morandum singulari veneratione prosecuti, argenteam ei statuam bipedalem, et magnum frumenti, cerae, atque auri pondus offerendum; insuper Vitam eius describendam, et sacrum caput transferendum Viennam curarunt. De S. Ladislao, Rege, aliisque provinciarum tuarum ac familiae Sanctis, frequens lectio recurret secuturis in voluminibus. Interea Sanctis, quos modo dixi, sacrae Maiestatis tuae et Familiae tutelam, finiumque patentissimae ditionis custodiam committimus. S. Ladislao, Varadini sepulto, fines committimus Orientales: S. Norberto, Pragae honorifice conservato, Boreales: S. Morando, per Alsatiam Suntgoviamque, Habsburgico-Austriacae Genti natales provincias, mirabilibus prodigiis et corporis sui depositione celebri, Occidentales. Meridionales tutabitur, quo extendis imperium, mare ipsum; donec Manus Domini, quae tecum tam mirabiliter protendere dominium tuum coepit, illud porro tam late protendat, ut aliquando domineris a mari usque ad mare. Ita optamus, vovemus, atque oramus Dominatorem Dominantium. Antverpiae in Sacri Romani Imperii Marchionatu, VII Kalendas Maias M.DC.LXXXXV, vota eadem nostra cum primo hoc Sanctorum Iunii tomo in proximo Natali tuo Tibi stituri, oblaturi, atque iteraturi saepius.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMAE ET SACRATISSIMAE MAIESTATIS TUAE

Devotissimi : Daniel Papebrochius, Franciscus Baertius, Conradus Ianningus, Societatis Iesu.

XII. Adeo gratum Augustissimo munus id fuit, ut continuo coeperit cogitare de annua pensione constituenda alendis tribus quatuorve scriptoribus, unice vacaturis operi suo, hactenus Professae Domus paupertatem gravantibus, ideoque inter eiusdem Domus munia, ceteris communia, varie occupandis. Ita is illorum Maecenas perpetuus dici voluit et esse coepit.

Magnis exhinc animis exorsi sumus etiam *secundum Tomum Iunii* praelo Thieulleriano committere ac promovere, patremfamilias adiuvante primogenito sibi synonymo *Henrico*, duabusque adductis ab uxore secunda privignis, et ex eadem genito *Ludovico*, qui patre, sub annum M.DC.XCVI, die XXI Septembris, mortuo, transgressus ad studia litterarum, Ordinem Minorum petiit obtinuitque, laudabilem in eo tenens, etiam nunc iam sacerdos, cursum, interim dum vidua mater, mariti coeptum prosequebatur, postquam ab ea secesserat privignus Henricus, propriam sibi instruere typographiam, ducta uxore, exorsus. Sic illa, cum liberis ex priori marito, perrexit in opere, donec anno M.DCC.I praedictum Tomum secundum et tertium absolvit, ex eiusdem Caesaris voluntate inscriptos lectissimae eius coniugi filiorumque primogenito cum Dedicatoriis. Harum prior sic dirigitur ELEONORAE, *Romanorum Imperatrici semper Augustae* :

Tertium recurrit Iunius, Leopoldo, Romanorum Imperatori semper Augusto, Austriaco, Clementi, Pio, Felici, Victori, Natalis Mensis, ex quo Tomum de Actis Sanctorum Iunii primum, Augustissimo Nomini inscriptum, debita cum reverentia obtulimus Maiestati eius, ipso die Natali, gratulantium, et plurimos Felicis Imperii Annos precantium votis nostra

coniungentes. Interea alter eiusdem Iunii Tomus, non solum alteram mensis Natalis partem, sed diem quoque ipsum Natalem complexus, prodit in lucem; potiori iure quam primus, offerendus illi, cuius auspicatissimum toti Christiano orbi Natalem includit; offerendus autem (quo gratius sit munus) sub nomine Tuo, Tuasque per manus, Eleonora Magdalena Theresa, Imperatrix semper Augusta, Coniugi similis pietate, clementia, felicitate, et particeps victoriarum eius. Neque enim par est, ut, quae cetera Coniugi similis es, bonorumque particeps, non etiam partem cum ipso habeas in Actis et patrocinio Sanctorum. Quamobrem, uti primus, quem diximus, Iunii Tomus Augustissimo Imperatori meruit inscribi; ita proximus hic Tomus ambit nomen praeferre Tuum Augustissimae Imperatricis, et per Te gratius fieri munus Maiestati Caesareae. Nulla dubites : gratius fiet munus Imperatori, quod porrigitur ab Imperatrice; gratius porro Coniugi, quod transit per manum Coniugis dilectissimae; per illam manum, quae manui Caesareae olim iuncta Passavii, die XVI Decembris M.DC.LXXVI (iuvat enim auspicatissimi nexus, et temporis, et loci meminisse) Sacramentum confecit magnum in Christo et in Ecclesia. Gratius etiam reddetur munus ex natura sua; quia sacrum est, quia speculum virtutum omnium exhibet, quia imitationem Sanctorum docet, quia ducit ad felicitatem, tam in terris veram, quam in coelis sempiternam. Gratiam ei addet praeclara S. Bardonis, Archiepiscopi Moguntini, Vita, a Caesare nobis data manuscripta, hic Caesari reddenda typis cusa atque illustrata. Vita namque ista, nuspiam terrarum eatenus reperta, licet a Serrario aliisque rerum Moguntinarum scriptoribus plurimum desiderata diligenterque requisita, cum Iunius hic mensis praelo nuper parandus erat, perlustrantibus nobis Viennae Bibliothecam Caesaream, ex improviso se stitit vetusto in codice. Voluisse diceres erui e tenebris diutinis

Digitized by Google

Sanctum, et suum suo die locum obtinere inter alia Sanctorum Acta. Augebit gratiam muneri, quod, praeter generosos Christi pugiles, Primum atque Felicianum, quorum sacro Natali natus, et patrocinia expertus, Feliciani quoque nomen, felici omine, sortitus est Caesar; producantur in hoc Tomo atque illustrentur, non solum noti, sed etiam ignoti hactenus mundo Sancti, quotquot Caesareum Natalem beato exitu suo clariorem fecerunt, coelo renati. Attamen prae ceteris omnibus gratum accidet, quod nobilis heroina, Sanctorum Romani Imperii Regnique Hungarici Imperatorum atque Regum, ipsius Leopoldi Decessorum, sanguine illustris, imitatione virtutum illustrior, sanctitate illustrissima, Regina Scotiae, MARGARITA, hic resplendens uti sol inter reliqua sidera, parelion faciat in ELEONORA. Spendidiores quippe radii alterius in altera sic relucent, ut dum illius virtutes compendio recenset antiquus Historicus, tuas, Augustissima Imperatrix, coloribus suis expressisse, ac Caesari orbique toti, velut in tabula spectandas mirandasque, proposuisse videri possit; sic scribens: *Pietatis, Iustitiae, Pacis et Caritatis cultrix exstitit devota; frequens in orationibus, corpus vigiliis et ieiuniis maceravit, ecclesias et monasteria ditavit; Servos et Ancillas Dei dilexit et honoravit; esurientibus panem frangebat; nudos vestiebat; omnibus peregrinis, ad se venientibus, hospitia, vestimenta et alimenta praebebat; et Deum tota mente diligebat.* In Margarita igitur mirari poterit Leopoldus quod habet in ELEONORA; mirari poterit in Regina quod clarius elucet in Imperatrice; mirari in Consanguinea remota quod adest in Coniuge propinqua. In Margarita mirabitur Providentiam divinam, quae plerumque humiliat priusquam exaltet, perque adversa probat, ut dignos se suisque donis efficiat. Margarita enim, per matrem Agatham, Sanctorum Imperatorum Henrici atque Cunegundis, Sanctorumque Hungariae Regum Stephani et Emmerici, Proneptis

aut Consobrina, in Pannonia luci data, inde ad avitam Angliae Coronam cum patre Eduardo evocata; mox autem regno illo suo cum suis pulsa, navi marique commissa, foeda tempestate iactata, in Scotiam tandem eiecta; ibi aerumnarum suarum finem invenit, ubi novam miseriarum Iliadem timere potuerat; ibi corona aliena apud exteros redimita fuit, postquam sua Angliae a suis iniuste privata fuerat; ibi Regem obtinuit maritum, quae paulo ante Regem fugerat, regni sui invasorem: ludente scilicet rebus in humanis mirabiliter divina Potentia et Providentia.

Nolim hic ego Natali Caesareo obsessam Viennam, et quae inde consecuta sunt tristia, reminisci:

Nam dicenda bono sunt bona verba die.

Qui non cecidit, non resurgit; adversa numquam passus, non meruit prospera; nisi praecesserit pugna, nemo potitur victoria. Quia Deo acceptus erat Tobias, necesse fuit ut tentatio probaret eum. Imo, nonne ipsum oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Reflectamus igitur oculos potius, uti debemus, ad Providentiam divinam, quae talia permisit fieri, ut probaret suos; permisit obsideri Viennam, ut gloriosius liberaret; permisit periclitari civitatem unam, ut Victori panderet viam ad occupandum multas? Quid enim evenit? Nonne tristitia, ex bimestri obsidione Viennae nata, peperere continuatam annis iam quindecim, et in seros posteros continuandam laetitiam? Nonne perpetuam peperere victoriarum admirabilium seriem, et primam quidem ad Viennam ipsam, ut ubi tristia coeperant, inde laeta mox initium ducerent; alteram prope Barcanum, tertiam in conspectu Vatziae; quartam, quintam et sextam non procul a Buda Regia; septimam, ad moenia

Digitized by Google

Strigonii; octavam, Dardam inter et Paludes; nonam decimamque, in Bosnia; tres inde alias, in Servia; decimam quartam ad Salankemum; decimam quintam, ad Petri-Varadinum, sine pugna, noctu fugientibus turpiter inimicis; decimam sextam denique (ut minus memorabiles praeteream) nuper ad Zentham et Tibiscum, caesis, ut ipsi fatentur hostes, quasi triginta millibus in loco praelii? Nonne eadem mala urbes innumerabiles peperere? Strigonium, Archiepiscopalem; Budam, Sedem Regiam, Agrium, Albam-regalem, Sighetum, Canisiam, Varadinum-grande, Ienam, Giulam, arces prope inexpugnabiles. Peperere insuper Veroviziam, Debrecinum, Zolnocum, Vicegradum, Quinque-Ecclesias, Novigradum, Simonthornam, Segedinum, Dardam, Caposvarinum, Essecum, Possegam, Mocum, Petri-Varadinum, Lippam, et quidquid denique Urbium Hungaria, quidquid Sclavonia, quidquid Transilvania, amplissima Regna, continent. Et ne Austriacae Domui soli pareret aliquid Vienna obsessa, peperit etiam Ottomanicae; et quidem Imperatores, brevi tempore plures, sed ut essent plures Imperatores, victoriarum Austriacarum, et occupatarum Urbium, spectatores ac testes, omni exceptione maiores.

Redeo ad Margaritam. Mirabitur in ea LEOPOLDUS Reginam, Maiestatem suam infra caritatis officia ponentem; e Solio regali ad pauperes alacriter descendentem, ad eorum pedes procumbentem; ipsos lavantem, tergentem, osculantem; famelicis cibum, sitientibus potum, nudis vestimenta, indigis quibusque necessaria propriis manibus liberaliter porrigentem; in miseris, tamquam in membris suis, intuentem Illum qui Caritate perpetua dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Verum magis haec mirabilia sunt in Imperatrice, cuius opera caritatis non sic occulere possunt penetralia domus, quin foras erumpant; utcumque Caesar, Coniugis caritatem miratus in corde suo, aliique conscii altum sileant. Nam ipsi

Digitized by Google

pauperes, quibus pedes laverunt, mensam straverunt, cibos apposuerunt, stipem liberaliter erogaverunt Augustissimae manus, non sinunt omnia ignorari. Potest etiam, quid Mater hoc in genere faciat, facile coniici ex publicis operibus filiorum et filiarum, quos docet ipsa Natali quemque suo tot pueris egenis, quot ipsi tunc annos numerant, mensam parare, manducantibus ministrare, bibentibus fundere, saturis stipem elargiri.

Eadem Margaritae caritas, intuita in Illum, qui propter nos egenus factus est cum esset dives; tenerius etiam diligebat pauperis Christi, per voluntariam rerum terrenarum abdicationem, imitatores religiosos. His, exorato Rege, amplissimum fundavit coenobium, eo loco ubi matrimonium contraxit : hos fovebat, ut Mater; alebat, ut Nutrix; tutabatur, ut Regina : imo et delicium Matris, et Gaudium Nutricis, et corona Reginae audiebant isti. Quid vero ELEONORA? An ullum in tota Vienna monasterium est, ubi ipsa non habeat delicias? singula quotannis ingreditur; incolas praesentia sua solatur, epulo recreat, cum ipsis accumbit, pia Mater, sedula Nutrix, in nullo Margaritae inferior, superior dignitate. Quot ipsa nobiles pedisequas suas religionis amore inflammavit, inter aulae delicias virtutum religiosarum exemplar facta? quot Virgines a latere suo principes, contemnere mundi vanitatem doctas, ad parthenonem traduxit, Deo perpetuum consecrandas! Sed an unum solummodo suis precibus obtinuit fundandum Coenobium? Quotquot surgere aut resurgere Templa, Monasteria, Episcopatus vident Hungaria, Slavonia, Transilvania, merito dicam Ipsius Coniugisque deberi votis, orationibus et ieiuniis; quibus magis quam armis subiugata sunt Regna ista; praeterquam quod eorumdem liberalitas fundos, praedia, reditus denuo assignaverit pro sustentatione Ecclesiasticorum, Religiosorum, Episcoporumque, illic in Vinea Domini nova laborantium. Quis Ordo Religiosus ibi non accepit iam, aut accepturus

Digitized by Google

est Monasteria plura? Certe, Societas nostra iam introducta est in Strigonium, Budam, Albam-regalem, Sigetum, Quinque-Ecclesias, Canifam, Esekinum, Petri-Varadinum. Agriam, Varadinum-grande, praeter Missiones, tum in Transilvania, tum aliis in locis constitutas.

Hactenus Reginae, atque Imperatricis erga mortales miserosque exercita Caritas, quanta fuit erga immortales, in gloria coelesti Beatos! Quanta erga Christum Dominum, in Cruce mortuum, in Eucharistia vivum! Quanta erga Unum in Trinitate ac Trinum in Unitate Deum, Regem regum ac Dominum dominantium! Ambae, praeter Coelites alios, magnam Dei Matrem praecipuo amore a teneris prosecutae, ipsam sibi adultiores elegere matrem: cuius etiam praesentem toties expertae sunt opem, quoties facili partu laetae matres factae sunt ipsae. An nos, qui novimus, sub eiusdem magnae Matris tutela omnes alterius liberos vitam pientissime actam fine beato conclusisse, et eorum aliquos etiam miraculis claruisse; praesagire non possumus, paria alterius quoque liberos manere fata; quia par Matrum in educando cura; par omnium in Virginem Dei genitricem affectus, obsequia paria? Tam enim Virginem hi nunc, quam illi olim, docentur a pia matre maternis virtutibus colere, salutare verbis angelicis, invocare ardentibus votis, imitari congruis moribus, et toti urbi orbique exemplum praebere pietatis Marianae. Ea vero, si unquam alias, praebent illis festis Marianis, quibus cum piissimis Parentibus procedunt ad venerandam, inter musicorum concentus, magnam Dei Matrem, et illibatam Virginem, spatiosa in area ante templum Societatis Iesu (vidimus enim) sublimi columnae, avorum Imperatorum iubente pietate, impositam.

Nihilo remissior caritas Margaritae fuit, aut est ELEONORAE, erga Christum Dominum eiusque salutiferam Crucem. Hanc enim utraque in adversis confugium, in luctu solatium, in

Digitized by Google

persecutionibus suis asylum expertae, eamdem in prosperis laetisque mirum in modum exaltaverunt; illa quidem, Nigram (ita vocabant) toto Regno celeberrimam Crucem Ecclesiae a se aedificatae donando : haec vero, sodalitium ab altera Eleonora, Imperatrice Vidua, institutum, piissime prosequendo, sub appellatione Sanctissimae Crucis ; cui mox illustriores quaeque ac principes feminae nomina dederunt; ipsa vero praeesse etiam dignata fuit, raro inter imperatrices exemplo; congregatque statis temporibus adscriptas Sodales in ecclesia Domus Professae Societatis Iesu, ad id destinata; ubi constituta per leges munia pietatis, tanta populi spectantis utilitate, quanta admiratione, publice et religiose, Ipsa duce, ab omnibus obeuntur.

Alterum Amoris divini erga homines, et reciproci Margaritae erga Deum Amoris mysterium, Eucharistiae Sacramentum, quo sanctius est, eo doluit magis Regina, vix ab incolis Scotiae, aut ne vix quidem quotannis sumi, causantibus indignitatem suam : sed brevi ipsos, tam per se quam per divini verbi praecones, errorem dedocuit, torporem desidibus excussit, melius instructis desiderium Eucharistiae ingeneravit; iamque recte dispositos, exemplo suo ad illam crebro sumendam adduxit. Feliciorem hac in parte subditorum suorum, Eucharistiam sedulo venerantium et frequentantium, sortem, Viennam advecta, reperit Eleonora : civitatem scilicet ingressa Austriacam. Illum tamen ipsum laudabilem usum atque venerationem, quantum auxit Imperatrix, Eucharistiam crebro, etiam publice, sumendo, et in supplicationibus cum Augustissima familia comitando! Quale spectaculum, oculis etiam divinis dignum! videre Imperatorem orbis Christiani, eiusdemque orbis imperatricem prodire in publicum pedites, obire compita civitatis supplicabundos; illum quidem, praecedentibus, praeter Principum nobilem catervam, generosis filiis Carolo, Archiduce Austriae, et Iosepho, Romanorum atque

Digitized by Google

Hungarorum Rege; hanc vero comitantibus, cum lectissima principum feminarum turba, suavissimis filiabus etiamnum superstitibus, Maria-Elisabetha, Maria-Anna, Maria-Iosepha, Maria-Magdalena; omnes, spectantibus subditis, tam religioso incessu, silentio, vultu, ac totius compositione corporis, praesentem Eucharistiam venerantes, ut ipsi exemplo saluberrimo ad imitationem trahantur.

Transeo ad honorem Sanctissimae Triadi impensum. Hanc *Αλφα* et *Ωμέγα*, Principium et finis omnium, in cuius nomine baptizata fuerat, honoravit Margarita, exstruendo regiis sumptibus sanctissimo nomini eius magnificum in paucis ornatissimumque templum, in quo et condi exuvias suas post mortem voluit, ut, anima ad gloriosum Trinitatis conspectum avolante, corpore etiam quodammodo propior eidem foret. Eleonora autem, non modo ut signatam se signaculo Sanctissimae Trinitatis grata agnosceret, verum etiam, ut votum, pro salute populi sui in universali epidemia, a se suoque Augustissimo Coniuge religiose emissum, impleret, una cum eodem Augustissimo curavit fabrefaciendam erigendamque Pyramidem, Aegyptiis altitudine parem, praestantiorem arte, religione sanctiorem; non hominum memoriae dedicatam, sed Triados sanctissimae honori.

Quid superest modo, quod post talia suarum ipsiusmet virtutum documenta miretur LEOPOLDUS sua in ELEONORA?

Hoc scilicet, quod ipsa in tam multis, ut vidimus, admiranda, nihil admiratione dignum in se agnoscat; quanto maior est, humilians se in omnibus, et omnia referens in Eum, ex quo, per quem, et in quo sunt omnia; perfectum facta parelion Margaritae, etiam per veram animi demissionem, verumque sui contemptum in tam sublimi Maiestate.

Cetera Margaritae, solis nostri, decora, et in illis tua parelii, Augustissima ELEONORA, quid attinet pluribus commemorare?

Digitized by Google

Integram illius in hoc volumine Vitam accipe; in eamque velut in speculum intuita, Te Tibi existima in imagine repraesentari. Eadem pro speculo suavissimis propone Filiabus; ex inspectione cogituris, quae lineamenta, quis ornatus, qui mores Reginas sanctas, sanctasque Imperatrices potissimum deceant; cognita vero ita aemulaturis atque expressuris in se, dum tenerae sunt cereaeque, ut in adultiori aetate non modo Reginae (quod natalibus earum debetur), sed etiam Reginae sanctae, per imitationem Progenitorum suorum, evadant. Quod dum nos Serenissimis Filiabus tuis, Augustissima Mater, Filiisque Serenissimis Deum, omnis sanctimoniae fontem, rogamus per intercessionem Sanctorum omnium, eorum praecipue quorum hoc in volumine nomina gestaque recensentur; Tibi, et Augustissimo Coniugi gratulari liceat, quod ea pietatis semina animis tenellorum inseveritis, quae in amplam virtutum messem adolescentia, speratos reddant suo tempore Sanctorum operum fructus: ut non solum ipsa referas Margaritam Sanctam, sed universa quoque Domus tua sanctae ipsius familiae assimiletur. Ita faxit Deus Sanctique, quorum hic Acta Tibi, ac per te Augustissimo Coniugi Natale donum, qua par est reverentia, offerentes, submittimus. Antverpiae die IX Iunii M.DC.XCVIII.

Huic epistolae praemittitur Imperatricis effigies, qualem ipsa voluit absque ulla comae aut vestium vanitate, et quali pro sua modestia uti consuevit. Nihil ad pectus nudum, nihil in capite vanum, nihil in veste singulariter pretiosum vult, praeter Crucem, Sodalitii ab ea instituti tesseram. Sicut autem Augustissima mater nihil ultra modestissimae cuiusque in Aula matronae cultum voluit in sua effigie apparere, sic neque filius eius IOSEPHUS, cui, iam Romanorum et Hungariae Regi, pater suus *Tomum Iunii tertium* iussit inscribi, cultum quoque in sua imagine nullum voluit quam militarem, qualem Dux aut

Tribunus quilibet usurparet: neque addi quidquam amplius sivit, cum eidem iam Imperatori dedicandus esset *Tomus* eiusdem mensis *quartus*. Prodierunt illi quidem seculi currentis anno I et VII, quousque Annales hi sese non extendunt; visum est tamen memoriam eorumdem sic dedicatorum a prioribus separari non debere; sed hic quoque recudi ob affinitatem argumenti. Et priori quidem, cui praeludunt *Palatinae Iacobi Regis Maioricensis Leges* (quibus relegendis legendisque Augustissimus Pater LEOPOLDUS videbatur satiari non posse), praefixa Epistola IOSEPHUM, non solum *Romanorum et Hungariae Regem*, sed etiam *Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ducem Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Wirtembergae, Comitem Tirolis, Gonthier, etc.,* sic alloquitur :

Imperatoribus nostris Augustissimis, LEOPOLDO atque ELEONORAE, stitimus non ita pridem, utriusque nomini inscripta et honori dedicata, duobus in tomis Acta Sanctorum Iunii, natalis Augustissimo mensis. Nunc tertius eiusdem Iunii tomus sistere se audet Augusto Romanorum Regi, Augustissimis Imperatoribus, religiosissimis Parentibus suis, non minus religione quam maiestate proximo: Tibi, inquam, faustissimi nominis et ominis, Iosephe: sistuntque se uno hoc in tomo Maiestati Tuae Sancti plus quam sexcenti et septuaginta, partim suis nominibus expressi, partim anonymi; omnes suis Commentariis varie illustrati; in iisque non pauci, qui per Imperium Regnaque Tua, Romanorum, Germaniae et Hungariae, celeberrimi fuerunt gestorum gloria, virtutum fama, miraculorum claritate: nec desunt qui per gloriam in terris bellicam sibi viam triumphalem fecerunt ad Capitolium coeleste. Quales enim sunt! (ut nonnullos annumerem) tres sanctae sorores Virgines, Cunegundis, Mechtundis et Christiana, cum ancilla sua sancta Wibrande; quae totam dioecesim Constantiensem eiusque viciniam late implent coelestibus

Digitized by Google

beneficiis et miraculis quotidianis; sepultae prope Rhenofeldam, antiquissimam iuxta ac munitissimam, et Austriacae Familiae Tuae hereditariam urbem. Quales! sancta Euphemia, e nobilissimo Andecensi sanguine prognata; et sancta Elisabetha, mirabilibus a Deo visionibus illustrata; utraque Abbatissa, illa monasterii S. Altonis in Bavaria, haec Schonaugiae in dioecesi Trevirensi. Qualis! sanctus Benno, nobilis Comes, qui Germaniam non uno loco commoratione sua beavit; natus Hildesii, monachus et Abbas in Monasterio S. Michaelis, Canonicus Goslariae, Episcopus Misnae, depositus et miraculis clarus Monachii in civitate Electorali. Quid dicam de Sanctis duobus anonymis, in oppido S. Hippolyti Austriae inferioris, ubi corpora eorum frequentibus olim fulsere miraculis; nunc autem obliterata esset memoria omnis, nisi aliqua uno in codice manuscripto conservata fuisset in bibliotheca Caesarea Viennae, eiusmodi thesauro litterario ditissima? Ad hanc, magno librorum, ex occupata feliciter Buda advectorum, numero egregie auctam, nos anno M.DC.LXXXVIII per gratiam Augustissimi Parentis Tui admissi, atque describere quidquid ad Sanctos spectat permissi, vindicavimus ab interitu, et conservavimus aeternitati praedictam duorum Sanctorum memoriam, extractis ex indicato codice, et hic modo impressis eorumdem miraculis: quemadmodum in primo Iunii tomo ex eadem bibliotheca Caesarea impressam dedimus, non amplius perdendam, Vitam S. Bardonis, Archiepiscopi olim Moguntini; quae pridem a multis desiderata, ubique per Germaniam Galliamque frustra fuit quaesita.

Praemittitur Sanctorum Actis, quemadmodum palatio regio propylaeum, codex Legum Palatinarum regius, quibus ipse conditor Rex sibi aliisque Regibus Christianis aditum pandit ad palatium verae gloriae regnumque sempiternum. Sunt Leges istae, quas dico, Regis Maioricae Iacobi, nomine illo secundi;

Digitized by Google

atque placiturae Maiestati Vestrae, tum quia Regiae sunt, tum quia relictae a Maioribus Tuis. Regiae quidem sunt, quia conditae a Rege, Regiae familiae datae, Regia in aula observatae, Regio in codice conscriptae, non nisi Regibus offerendae. Conditae autem sunt et relictae a Rege inter Maiores Tuos, Regia Maiestate conspicuos, non postremo; utpote qui regnum Maioricae, comitatum Ruscinonis et Ceretaniae, nec non dominium Montis-pessulani gloriose possedit; quique Regum Aragoniae, Iacobi primi ex filio, et Petri tertii ex fratre, pronepos; Petri vero quarti sororius fuit; per illosque et eorum successores, sanguinem suum nobilissimum transfudit ad Maiestatem Tuam, non minus longa serie proavorum, Aragonicae familiae Regum, quam Austriacae Imperatorum, Serenissimum Augustumque Nepotem. Quantum porro admirabilitatis habet, quod eaedem Leges, iam dudum mundo ignotae ac in tenebris sepultae, nunc demum inde resurgant lucemque aspiciant, unico tantum in codice manu exarato superstites; isque codex, auro minioque distinctus, e Maiorica per alias atque alias manus varia fortuna ad nostrum Antverpiae museum tandem delatus, et nunc typorum beneficio multiplicatus, una cum Actis Sanctorum sese Maiestati Vestrae, cui sanguinis ac hereditatis iure quodammodo debetur, sistere gestiat; hisce praesertim temporibus, quibus, Deo auspice, inducta in thalamum regalem lectissima sponsa, intra biennium feliciter peperit Maiestati Vestrae delicias suas, filium filiamque; quibus olim usuveniet ex codice illo discere, quid Deo, quid Augustis Parentibus, quid sibi suisque debeant; et quibus praecipue virtutibus enituerint Maiores sui, Aragonici sanguinis : iisdem scilicet, plane Regiis, quibus enituisse Imperatores sanguinis Habsburgici Austriacique, lecturi sunt in annalibus suis domesticis Imperatorum : quibus etiam Augustissimam hodiedum enitere Domum Tuam, in religiosissimis Parentibus, in Te,

Digitized by Google

Augusto Rege, in Serenissimis Germanis Tuis, orbis Christianus videt cum admiratione universus; et saepe oculis vidisti Ipse Tuis, et exemplo monstrasti. Quae enim in Legibus suis, tum sibi, tum aliis familiae Regiae praescribit Rex Iacobus, de religione in Deum, de veneratione Sanctorum, de cura animi, de exercitiis pietatis, de caritate in pauperes, aliaque eius generis plura, nescio profecto an accuratius ipse scripserit, an observata fuerint Domi Tuae.

Vidit quippe in illa Maiestas Vestra familiam, orbi terrarum imperantem, praecipua sollicitudine satagere necubi suorum aliquis offendat Deum. Vidit domesticos inter parietes ab illa tot obiri devotionis opera, et tam religiose, ut religiosa in domo vix plura aut maiori cum reverentia possint. Vidit, et tota quanta est Vienna quotannis videt, publica eiusdem Familiae Tuae exercitia pietatis constantissime peragi plena in luce, sive illa obeunda sint ad Pyramidem sanctissimae atque adorandae Triados, a religiosissimo Patre Tuo recens erectam; sive in sodalitio sanctae Crucis, ubi pientissima Mater Tua praesidere amat; sive coram statua Deiparae Virginis, sine macula contagionis conceptae, ab Avo Tuo gloriosae memoriae Ferdinando III sublimi columnae imposita: sive in publicis totius urbis supplicationibus; sive in solemnioribus Ordinum Religiosorum festis, sive aliis locis temporibusve. Talia, inquam, Auguste Rex, vidisti in Parentibus, didicisti a Parentibus, una fecisti cum Parentibus Adolescens; atque ita Tibi crevit in Familia tam sancta cum aetate pietas, cum notitia Dei odium peccati, cum numero annorum exercitia bonorum operum ac Regiae virtutes. Testis mihi sit auspicatissimus dies, septimus Kalendas Augusti, gloriosae Dei Genitricis Matri sacer, et Maiestati Vestrae Natalis. Vidit ille dies incrementa pietatis virtutumque Tuarum, cum recurrens per annos singulos vidit Serenissimum IOSEPHUM celebrare

Digitized by Google

Natalem suum, vocatis ad Regias epulas tot pauperibus, quot ipse annos tunc complebat aetatis; quibus et cibos apponebat ad manducandum, et vinum fundebat ad bibendum; exorsus ministerium tam pulchrum in filio Imperatoris Romani, quam est vile in servo, ab ipsa propemodum infantia et uberibus nutricis: quod et pulchrius reddidisti, cum anno aetatis decimo Rex Hungariae coronatus, atque una in corona regna decem complexus; proximo inde Natali Tuo decem pauperibus, eadem manu, qua modo sceptrum regale exceperas, in mensa, uti solebas, servivisti seposita corona; nisi dicere malimus, pro una corona decem acquisivisse Maiestatem Tuam, per ministerium gloriosae humilitatis et caritatis, totidem pauperibus impensum; ut par numerus Coronarum foret ac regnorum. Perrexisti deinde annis singulis pro numero Natalium augere etiam numerum pauperum; et perrexit similiter Deus augere numerum Coronarum, superaddens post biennium omnibus fulgentiorem Regis Romanorum et Germaniae; ut videri possit in sensum absolutum commutare velle, quod sub conditione pridem cecinit, quando decennis regale sceptrum et coronam Hungariae, eique annexorum regnorum portare coepisti, ingeniosus poeta:

Tot numeras, Iosephe, annos quot sceptra recenses,
Quando annus decimus dat tibi regna decem;
Annis et sceptris paribus si crescere pergis,
Unus ad imperium non satis orbis erit.

Quid neget virtuti Tuae, iam adulti, Deus, qui pietatem pene infantis tot sceptris coronisque remuneratus est? quique Te et nasci voluit inter strepitus bellorum, et adolescere inter victorias, et extendere terminos Hungariae Tuae adhuc adolescentem, quousque viri, quantumvis bellicosi, Progenitores

Digitized by Google

Tui, penetrare numquam potuerunt; qui denique corpus Tibi paravit laboribus aptum, ferendisque assuetum; et, quod summum est, animo indidit victricem illam virtutem, Religionem erga sanctissimum Eucharistiae mysterium singularem. Quae virtus, ut summa sit, semperque fuerit in Domo Tua, a Maioribus veluti cum sanguine propagata ad nepotes, nescio quomodo primas obtinet in animo Maiestatis Vestrae, ut, nescia arctis claudi penetralibus pectoris, Tibi ac Deo solis nota, eluctetur subinde prodeatque in publicum, ac totam rapiat in admirationem Tui suique Viennam, spectantem Dominum suum Archiducem, Hungariaeque et Romanorum Regem, publicis in viis genibus flexum, venerari sacram Eucharistiam. Rapuit certe tunc, cum anno superiore Idibus Iulii exhibuit spectaculum Deo dignum, Sanctis imitandum; Maiestatem Tuam campestri habitu citatissimo cursu per civitatem Leopoldinam a venatione redeuntem, ad conspectum sanctissimi Sacramenti, quod forte illac ad moribundum portabatur, sistere continuo equos, desilire primam e curru, sequentibus exemplum comitibus, procumbere humi, atque inclinato reverenter capite, pronam adorare comitarique sub velamine panis, quem regnare credimus in coelis, Deum atque hominem Christum Iesum. Dixisses nobilem Venatorem laqueis suis, aut sui potius in Deum amoris atque religionis, captum et irretitum teneri. Haec eadem victrix illa virtus est, quae meruit in Rudolfo Habsburgico, a quatuor et amplius seculis, Coronam Imperialem: haec ipsam in tot Augustissimis Posteris eius continuata serie conservavit: haec eamdem in Augustissimo Parente Tuo Augustiorem fecit, capta Buda debellatoque magna parte Imperio Turcico: haec, quod superest debellandum, subiiciet victricibus Maiestatis Tuae armis (ita ominor voveoque, et memorata virtus Tua promittit) donec etiam capiantur Belgradum atque Byzantium. Nam

Digitized by Google

Integra devictis ut sit victoria Turcis,
Littera Christicolis B capienda ter est.
Capta Buda est: superest Belgradum et Regia magni
Moenia Byzanti: cetera ludus erunt;

Tuis nempe, Rex Magne, armis; Tuae in Deum Religioni, in Eucharistiam Pietati. Quod enim Maioribus Tuis domi militiaeque et pluribus in hocce tomo Sanctis, illa Pietas praestitit; hoc Tibi Tuo promittit; si non et praestare coeperit saltem Domi, cum binos biennio promeruit Tibi liberos, delicias Parentum, solamen Avorum, columen Augustissimae Domus, votum bonorum omnium; ut securius speres, parem militiae fortunam, Deo ac Te ducibus, aliquando fore. Eo conferent quoque plurimum exempla atque intercessiones Sanctorum, qui in hoc tomo veniunt ad Maiestatem Vestram, initio novi huius seculi,

MECAENATE LEOPOLDO I,

Augustissimo Augustae Maiestatis Vestrae Genitore: ut seculum quidem Tibi faciant Sancti illi a principio fortunatissimum totum: tomum vero, in quo veniunt, faciat Tibi gratiorem Augustissimus Mecaenas, per cuius sacratas manus audet ipsum, qua par est reverentia, offerre

Augustae Maiestati Vestrae Devotissimus cliens,
CONRADUS IANNINGUS
Cum magistro suo, DANIELE PAPEBROCHIO
Et collegis, FRANCISCO BAERTIO et FRANCISCO VERHOVIO,
e Societate Iesu.

Ita tunc erant res nostrae, cum ad opus Sanctorum velut quadriiuges applicati, speraremus commendatum nobis gloriae coelestis currum celerius provehendum. Sed tam bonam

spem praecidit mors, quae *Petrum Iacobs*, Typographum, florentis aetatis sed exiguae pridem valetudinis iuvenem, sustulit anno M.D.CC.I, XXIX Martii, priusquam *Tomum quartum* Iunii eidem Augustissimo, iam Imperatori post Patrem, sistere possemus. Factum id tamen postea est cum hac Epistola :

Tertium de Actis Sanctorum Iunii Tomum, Augusti Romanorum, Germaniae et Hungariae Regis nomini, Tuo inquam, Augustissime IOSEPHE, non ita pridem inscriptum, subsequitur nunc in lucem quartus; qui viam sibi per Tomum priorem usque ad solium Maiestatis Tuae apertam conspiciens, properat eodem etiam ipse; cupidus gratulari Maiestati Tuae novum gloriae incrementum, et salutare Imperatorem. Eo quippe Te, post editum Tomum tertium, constituit firmavitque divina Bonitas honoris ac venerationis gradu, ut altior, quo ascendas, in terris nullus sit. Adducit idem Tomus, tamquam stipendiarius Maiestati Tuae, novum subsidium e coelesti militia Sanctorum, qui et acquisitum gloriae culmen Tibi potentia sua tueantur inter mortales in terris, et ad gloriam in coelo sempiternam ducant exemplis suis, et sublevent sua virtute. In his sunt, qui praeliando hic praelia Domini, coelum victores ingressi sunt; in his, qui per terrenos honores gradum fecerunt sibi, monstraveruntque posteris, ad gloriam coelestem; in his, qui sago togaeque idonei, suos sua manu defenderunt in bello, et aequis legibus moderati sunt in pace; pacemque acquisiverunt ipsi aeternam. Atque haec Tua quoque sunt opera, Augustissime Imperator, quae incrementa quotidie capiunt, perficienturque exemplis Sanctorum in perfectum diem.

Fit item mentio hoc in Tomo multorum, qui vinculo sanguinis Maiestati Tuae coniunguntur. Hos inter eminent, sanctissimae vitae et Instituti Sorores tres, Reginae ac Virgines, Magdalena, Margarita, Helena, Ferdinandi I Imperatoris

Digitized by Google

lectissimae filiae; Maximiliani II Imperatoris sorores; Rudolfi II, Mathiae et Ferdinandi II, successive Imperatorum, amitae; Ferdinandi III, Imperatoris, proamitae; Leopoldi Ignatii, piissimi parentis Tui, abamitae; Tuaeque ipsius, Augustissime tot Imperatorum (ut de antiquioribus taceam) successor, atamitae: quae, consentientibus Augustissimis Patre ac Fratre, nobilissimum sibi condiderunt parthenonem Halae in Tyroli, ubi, institutam a S. P. Nostro Ignatio Societatem, qua licet, aemulatae, sub filiorum eius moderamine obedientissimam et Angelicam in terris duxerunt vitam, eamque sancta clauserunt morte. Harum institutum imitatae sunt tres aliae sorores Virgines, ex consanguinea Tibi Gonzaghiorum, Mantuae Ducum, Familia; neptes B. Aloysii Gonzagae: Cynthia, Olympia, Gridonia, quae et ipsae istiusmodi Parthenonem Castellione Stiverorum in paterno principatu fundaverunt; et omnes, transacta sancte vita, multos post mortem annos, incorrupto corpore, uti animo fuerant, inventae sunt, et nunc seorsim decenter servantur.

Harum patruus, B. Aloysius praedictus, ex eadem, consanguinea Maiestati Tuae familia, e Principe Religiosus Societatis Iesu factus, pacem bello praetulit, et mirabilis inter diffidentes Pacificator evasit. Nata fuerat inter Gonzaghios, Vincentium, Mantuae Ducem, et Rudolfum, Principem Castellionis, Aloysii fratrem, tam gravis simultas, ut in apertam vim eruptura timeretur propediem. Adhibiti fuerant Pacificatores multi, etiam principes viri et feminae, sed nihil de pace ad animum admittebat Dux. Tandem evocatur Roma Aloysius Mantuam, primoque cum Duce congressu, licet iuvenis esset, non amplius viginti et unius annorum, ita eius conciliavit animum fratri, ut quidquid antea sibi Dux volebat deberi, illico id Principi cederet, ipsumque ab Aloysio adductum admitteret ad mutuum amplexum, cuius ne nomen quidem antea ferre aequo animo sustinebat. Hunc

Digitized by Google

eumdem Pacificatorem, iam sanctum ac potentiorem in coelo (quem oro omnibus hoc luctuoso belli diuturni tempore Pacifica consilia inspiret) ad Te, Augustissime Imperator, Tomus hic noster primum, et solum hoc titulo, adducit; quia Tu pacis bellique arbiter in mundo post Deum praecipuus es. Te deliniat ille, ut, iniuriarum immemor, pacem concedas omnibus, qui Maiestatem Augustissimi Parentis Tui sanctae memoriae Leopoldi Tuamve immerito laeserunt. Inter feras belluas

CORPORA MAGNANIMO SATIS EST PROSTRASSE LEONI.

Cur idem non sufficiat Aquilae, volucrum Reginae? Pacem poscunt boni omnes, nosque imprimis Belgae, qui theatrum belli tot iam annis praecipuum sumus et ingemiscimus; interque alios eam petunt incolae Antverpienses in Marchionatu Sacri Imperii Romani; et nos cum illis, Sacratissimae Maiestatis Tuae Augustissimo Nomini devotissimi Clientes, *Conradus Ianningus et Auctores collegae, e Societate Iesu.*

Dum sic deproperantur Tomi isti duo, contigit viduam, impressionis curatricem, ad tertias transire nuptias; dimissoque librario negotio, officinam suam transferre in primogenitum, ex priori marito filium *Petrum Iacobs*, ducta uxore, illius per se regendae capacem. Itaque qui tum sub praelo erat *tomus quartus* prodiit sub eius solius nomine, una cum praefixa eidem *Acoluthia officii divini apud Graecos, in communi SS. Basilii, Gregorii et Chrysostomi festo.* Proditurus autem sic etiam erat *Tomus quintus,* nisi virum optimum ac diligentissimum, in medio novae suae fortunae cursu, mors praepropera abstulisset anno M.DC.XCVIII die XIII Martii. Sic ad iuvenem viduam, duplicis prolis femellae matrem, res nostra rediit: satis tamen animorum habuit, ut hunc quoque Tomum vellet absolvere; absolvitque anno viri obitum secuto. Is autem tunc prodiit, ex Caesaris voluntate, Patris in hoc

Digitized by Google

exemplum secuti, inscriptus dilectissimae eius uxori, WILLELMINAE AMALIAE, *Romanorum Imperatrici semper Augustae*, *Austriaco-Brunswicensi*, *Magnanimae*, *Piae*, *Felici*, cum Epistola P. CONRADI IANNINGI, mei in hoc opere adiutoris strenui, sub hac verborum formula: Temporis non multum fluxit, ex quo Caesareum accedere ad thronum nobis licuit Augustissimoque Imperatori nostro porrigere tomum de Actis Sanctorum Iunii quartum. Proximum illi thronum insidet Maiestas Tua, Augustissima Imperatrix: quamobrem et proximus, qui nunc prodit in publicum tomus, ad illum properat, seque sistere Maiestati Tuae gestit, conferens Sanctos, nominatim expressos, atque opera nostra illustratos, plus quam trecentos, omnes corona gloriae sempiternae redimitos in coelis, et quorum nonnulli, e Regum prosapia geniti, portarunt etiam coronas in terris, quique Germaniam Tuam ditionesque Austriacas, aut origine generis sui, aut depositione corporis, aut vitae totius cursu illustriorem fecerunt. Ex horum numero sunt, quae e generosis Germaniae populis, superato Rheno in Gallias transgressis, ibique Principatum consecutis, prognatae fuerunt, Sancta *Theodechildis* Virgo, Clodovaei, Christianorum Franciae Regum primi, filia; eiusque neptis, pariter *Theodechildis* dicta, Regiis thalamis plus vice simplici dignata, ex Theodorico Austrasiae progenita Rege; nec tantum patrem et maritos, sed et fratrem, et avos, et proavos nacta Reges. Ex adverso, venerunt in Germaniam ex Anglia duae illustres Sanctae, et ipsae Regii stemmatis, altera Regis filia et vidua, altera neptis et virgo: illa *Iudith*, haec *Salome*, appellatae; quae in Terram Sanctam peregrinatae, atque ibi sacris Christi Domini vestigiis calcata loca, ab eoque relicta salutis humanae monumenta veneratae, ex reditu substiterunt prope Danubium in Bavaria, illamque sanctis reliquae vitae suae exercitationibus et splendore virtutum ac miraculorum condecorarunt. Accedit

Digitized by Google

beata *Hemma*, in Germania et nata, et educata, et mortua; quam Vitae Scriptores testantur, recentior quidem, *in celeberrimo ac hodie Serenissimae Domui Austriacae gentilitio Archiducatu Carinthiae, origine sanguinis e Principum ac Regum prosapia* procreatam : vetustior vero, *Serenissimi et Sancti Regis* atque Imperatoris *Henrici, consanguineam fuisse.* Quid *S. Erendrudis?* E finibus Germaniae circa tractum Rheni ad interiora eius translata, praefuit Salisburgi monasterio sanctimonialium, a S. Ruperto, qui istic loci Episcopus et Apostolus fuit, fundato; quique laudatur in Vita a nobis edita, tamquam *ex Regali prosapia Francorum nobili ortus:* quod utique et consanguineae eius competit. Atque hae quidem omnes, sed et aliae illustres sexus Tui ac Regiae stirpis Sanctae, Augustissima Imperatrix, immortalia Germaniae decora, repraesentantur Maiestati Tuae hocce in tomo : earumque numerum coronat Hungariae Tuae Sanctissimus Rex *Ladislaus*, victoriis pluribus, etiam divinitus manifeste reportatis, clarissimus; ac Waradini, in finibus Hungariae atque Transilvaniae, quod Magnum passim cognominatur, et non ita pridem felicibus immortalis memoriae Augustissimi et Gloriosissimi LEOPOLDI Imperatoris, soceri Tui, auspiciis, e servitute Othomannica in libertatem Christianam vindicatum fuit; ubi et gloriosum monumentum sancto corpori suo obtinuit Ladislaus, et miraculis post mortem innumeris coruscavit.

Cui autem haec regia Sanctorum Germaniae atque Hungariae decora offerri potius conveniat, quam Serenissimae Germanorum Hungarorumque Reginae, Augustissimae Romanorum Imperatrici? Illi praesertim, quae eorumdem Sanctorum regios simul et sanctos mores non tantum aemulata semper est ipsa in se, sed in prolem quoque suam, adhuc innocentem, dulcissimas filias, a teneris unguiculis transfundit. Illae enim, quod a matre traxerunt, iam nunc incipiunt

Digitized by Google

manifestare desiderium suum noscendi et colendi Sanctos, quorum a sacro fonte nomina sortitae fuerunt, aemulae pietatis maternae atque avitae. Id enim nuper intellexi ex epistola Viri Religiosi, qui tenellarum Archiducum ingenia, ad litteras et virtutem proclivia, moderatur; dum ex illarum voluntate postulabat a me instrui de Sanctarum aliquot, illic minus notarum, rebus praeclare gestis in exemplum Alumnarum. Felix Mater et dupliciter felix! quae in stirpe felici Austriaca nuper, volente Deo, inserta, in se et in prole sua feliciter propagat antiquae pariter ac recentis Austriacae Arboris ramos, eosque decorat fructibus honoris ac honestatis. Uberiores istiusmodi fructus, quam desiderare potest tenella parvularum aetas, leget in hoc tomo Maiestas Vestra, habebitque delectum. Resplendet quippe, in altera *Theodechilde*, cum castimoniae laude, magnanimitas regia in propaganda Religione Christiana; in altera, coniugalis amor et felicitas, omni selectarum virtutum genere divinitus cumulata. In *Salome* et *Iuditha*, excelsus in divinis obsequiis animus nec labore fractus, nec adversis debilitatus. In *Erendrude*, exemplum bonorum operum, subditis aeque ac domesticis salutare. In HEMMA, multimodis a Deo exercita, constantia plus quam virilis, in orbitate, dum filios sibi duos, morte nec opinata ereptos conspicata, desiderium illorum non solum tulit moderate, verum inde maiori quoque in Deum exarsit amore. De sancto Rege *Ladislao* gratulari praecipue velim Augustissimo Imperatori, inter tot terrena sceptra, dignissimo eius etiam in regno Hungariae, ac Transilvania successori felicitatisque heredi: qui fortassis et oculo dignabitur eiusdem gesta, dilucide hoc tomo explicata, exemplo Pientissimi iuxta atque Augustissimi Parentis, qui curas diurnas nocturna Actorum huiuscemodi nostrorum lectione consuevit levare, atque ad exempla, quae legebat, Sanctorum formare sese; tum vero

Digitized by Google

etiam e coelo eosdem advocabat Sanctos in adiutorium sibi contra hostes suos. Quo et factum est, ut nihilo pauciora suo tempore, quam olim *S. Ladislaus*, imo etiam plura, Deo adiuvante, vicerit praelia, expugnaverit civitates, subegerit regiones.

Orabat nempe Caesar, et orante ipso, quod olim Moysi accidit, Duces eius reportabant victorias. Redeo ad Reginas, parelia Tua, Augustissima Imperatrix; quarum splendor virtutum eo clarius in Maiestate Tua micat, latiusque per orbem diffunditur, quo subliminori resides throno. Omnes illae videri possunt insculptae in Columna Tua coronata, supereminente Crucis salutiferae signo, quibus pro symbolo uteris cum hoc adscripto lemmate : RECTE ET CONSTANTER. Rectitudo quippe operum Tuorum respicit, ceu columna, coelum; Constantia vero in operando, opera ipsa quotidiana coronat, et quidem, per virtutem Crucis, corona gloriae aeternae. Vis commemorem singula quae recte operaris? Non ausim equidem; ne videar ad gratiam loqui, aut modestiae Tuae molestus sim.

Audebit autem absque eiusmodi metu, pridem vita functus, Venantius Fortunatus, Pictaviensis Episcopus; qui, dum annis abhinc plus quam mille et centum, poematibus suis Reginam laudavit *Theodechildem* praedictam; si iusta trutina appendantur eius encomia, Tua procul prospexisse, et in *Theodechilde* celebranda sumpsisse gesta, videri potest : ita conveniunt omnia inter se laudum praeconia. Audi igitur, non me, sed sacrum Poetam illum, eumdemque Episcopum, sanctitate vitae et eruditione etiam sacra eximium, suis modulis, praeter paucula verba, sic canentem :

Inclyta progenies, Regali stirpe coruscans!
Cui celsum a proavis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans, generis nova gloria vestri,
Electorali patruus axe micans.

Digitized by Google

Sed quamvis niteat generosa propago parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.
Cernimus in Vobis quidquid laudatur in illis :
Ornasti antiquum, Amalaberga [1]*, genus.*
Mens veneranda, decens, solers, pia, cara, benigna :
Cum sis prole potens, gratia maior adest.
Evitans odii causas micat ampla potestas;
Qua terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suavissima dicta resultant,
Verbaque colloquii sunt quasi mella favi.
Femineum sexum quantum praecedis honore,
Tantum alias superas et pietatis ope.
Si novus adveniat, recipis sic mente benigna,
Ac si servitiis iam placuisset avis.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Ut segetes fructu fertiliore metas.
Unde foves inopes, semper satiata manebis,
Et quem sumit egens, fit tuus ille cibus.
Pervenit ad Christum, quidquid largiris egeno;
Etsi nemo videt, non peritura manent.
Stat sine fraude tuum, quod mittis ad astra, talentum :
Quas bene dispergis, has tibi condis, opes.
Quae Domino vivis, summos non perdis honores :
Regna tenes terris, regna tenendo polis.
Sit modo longa salus, pro munere plebis, in orbe;
Felix! quae meritis luce perennis eris.

Quae tam dudum cecinit Poëta ille, nunc in Maiestate Tua videmus completa; cum eoque nos, ac toto Sanctorum Museo nostro, voventes accinimus :

[1] Vulgo *Amalia.*

Digitized by Google

Sit modo longa salus, pro munere plebis, in orbe;
Felix, quae meritis luce perennis eris.

Atque ego imprimis, minima Musei pars, sed ardentibus votis nulli cedens,

AUGUSTISSIMAE MAIESTATIS TUAE
Devotissimus Cliens
Conradus Ianningus S. I.

Ut autem Tomis prioribus omnibus aptatus fuit Tractatus aliquis praevius, ita hunc praecedit *Ioannis Baptistae Solerii*, novissime Museo nostro adiuncti, velut pignus suae in commune diligentiae, *Tractatus praeliminaris de Patriarchis Alexandrinis, cum Appendice de initiis, erroribus, institutis Copto-Iacobitarum,* peculiari suo et communi nostro amico, *Illustrissimo Domino Guilielmo Alberto Baroni de Grysperre, Goyck et Libersaert, Brabantiae Cancellario*, *Suae Maiestatis a Consiliis Status*, etc. cum huiusmodi allocutione.

Non diu dubitandum fuit, Vir Illustrissime, sub cuius potissimum auspiciis lucem aspicerent studiorum meorum primitiae : vix enim Sanctorum Historiographis, Superiorum nutu, adiunctus socius, vel eo nomine, tam singularem a te benevolentiam expertus sum, ut Tractatus, tantummodo inchoati, iam tum patronum te designaverim. Et vero quem alium toto nostro Belgio, aut eruditione praestantiorem, aut omni disciplinarum genere excultiorem, aut, quod me impellebat magis, vastissimi nostri de Sanctis operis studiosiorem nancisci potuissem. Quod sine ullius invidia dictum velim, sane opinor neminem. Etenim propensam in Sanctorum Historiographos voluntatem, ut saepius luculentissime demonstrasti, ita egregio deposito locupletatum exornatumque eorum Museum, perpetuum fecisti benevolentiae tuae

Digitized by Google

testimonium. Opus loquor C. Plinii de Historia Naturali, quod inter pretiosa proavorum tuorum cimelia diu conservatum, grandi in folio pergameno Venetiis anno M.CCCC.LXIX excusum est, Romanis novae formae typis tam elegantibus, ut primo intuitu iudicentur a pluribus manu exarati characteres, et typographica ars, duorum et quod excurrit seculorum decursu ad summam perfectionem adducta, necdum eos valeat superare. Et hoc, inquam, aeternum tui in nos studii monumentum.

At quam praeclare de ipsis Sanctorum Actis sentire soleas, deque eorum exacta crisi iudicare, testatissimum fecisti, dum non ita pridem magno accusationum volumine illa impetita cerneres; tantum videlicet tibi otii, gravissimas inter occupationes, reliquum fuit, ut tuomet arbitrio totam controversiam examinandam susceperis : quaeque integerrimi iudicis partes sunt, collatis accuratissime criminationum cum defensione momentis, illarum vanitatem, Actorum vero sinceram fidem veritatemque deprehenderis. Felices profecto viros litteratos pronuntiare ausim, quorum lucubrationes prudentissima in iudicando perspicacia expenderit. Id adeo me impellit ut ad te accedam confidentius, haud dubia spe fretus, quin pro ea, qua polles, rerum abstrusarum cognitione, oculo censorio sis examinaturus quae de Patriarcharum Alexandrinorum chronologica serie, primo hoc meo conatu definienda existimavi. Porro tua illa iudiciorum integritas non ad solos eruditos sed ad omnes latissime sese diffundit. Felices, quicumque aequitati tuae forenses etiam causas commissas umquam habuere; felices qui, te arbitro, domestica componi dissidia, res familiares partiri, lites dirimi, contestationes sopiri voluerunt!

Ignosce, Vir Illustrissime, si forte modestiae tuae vim inferre videar, dum tuas tibi virtutes praedico. Alii maiorum tuorum

Digitized by Google

insignia, titulos, avitam nobilitatem, praeclara in patriam merita, quibus par est, laudibus encomiisque extollent, sed mihi, qui te unum lucubrationum mearum patronum elegi, non alia observantur, quam quae excultum ingenium, summam in ferendis iudiciis aequitatem, incorruptam fidem, innumerasque alias animi tui dotes propius uniceque circumstant. Enimvero quae tua sunt praeclare gesta et toto late Belgio notissima, quaeque ad primam te dignitatem merito evexere, prorsus talia esse omnes cognoscimus, ut aliunde splendorem accersi minime necesse sit. Vidit te olim et obstupuit bonarum artium mater, Lovanium, dum iuvenis adhuc iurisprudentiae dares operam, ea ingenii sagacitate, ea Romani Belgicique iuris notitia, ut aequalibus longe antecellens, Fisci, ut aiunt, et Decani partes cum summa omnium admiratione et applausu obiveris.

Viderunt deinde et experti sunt coniunctam cum ingenii acrimonia summam iudicii maturitatem iurisque peritiam, qui in causis patronum advocarunt, pauperes praesertim et ob egestatem auxilio destituti; quos ut desertos suscipere, miseros tutari, oppressos vindicare, ita tibi proprium feceras, ut iure merito pauperum pater, patronus, advocatus et audires et esses. Singularis huius tuae in pauperes, viduas et pupillos Christianae misericordiae tot testes superstites habeo, quot etiamnum beneficiorum tuorum gratissimam servant memoriam. Nec hi solum te demirantur, sed qui iudiciis praeerant magistratus, levibus hisce velitationibus, iis te summa cum voluptate proludentem conspexerunt, quae deinde ad ardua quaelibet, et summi momenti negotia, gloriose provexere. Nimirum, qui et eloquentiae patres, et rerum tractandarum peritissimos antiquitatis oratores, ut es litterarum amantissimus, propriis in fontibus consulueras, facile intellexisti, terenda ei prius angustiora atria, qui in amplissimas olim palaestras

Digitized by Google

descendere meditatur. Et erant hi sane ad insignia alia, quae te manebant munera, condigni gradus. Nec fefellit exspectationem summa Regis de te existimatio, utpote qui eruditionis, integritatis, aliarumque virtutum tuarum fama impulsus, in Burgundica Mechliniae Curia, singulari et vix hodie usitato exemplo, meritorum tuorum solo intuitu, Consiliarium te esse iussit. Quae tua tum fuerit in dicundo iure perspectissima aequitas, atque in rebus administrandis dexteritas, altero benevolentiae argumento, eadem Regia Maiestas comprobatum reliquit, dum te prae ceteris, e Belgio ad Regiam Matritensem evocatum, in supremo, quod vocant, Flandriae Senatu, locum habere voluit. Existimavit nimirum Rex prudentissimus, plurimum sibi praesenti consilio profuturum, cuius tot merita et in se et in Patriam ante perspexerat. Quid a te illic gesta, quid probatam apud Regem fidem, quid eius de tua probitate opinionem commemorem? Nondum elapso commorationis Matritensis biennio, novis te muneribus cumulatum, novis ornatum titulis, ad propria remisit, ut ubi ante Consiliarii partes egeras, supremi moderatoris vices obires, in eadem, inquam, Burgundica Curia; atque una sanctioribus Regis consiliis adhibitus, totius Belgii graviores curas in te susciperes. Quod profecto tanta laude, tanta omnium Ordinum gratulatione per annos complures praestitisti, ut, vacante subinde totius Brabantiae principe Cancellarii dignitate, inventus sit nemo, qui ad eam tecum aspirare praesumeret, nemo qui vel tacente Rege, suo te ad eam suffragio non eveheret. Quantum ex eo tempore Patriae universae profueris, sive Senatus Brabantici res administrando, sive quae ad rem publicam propius attinent, in amplissimis Ordinibus, communi utilitati prospiciendo, malo suspicere tacitus, et Belgarum omnium acclamationibus meam adiungere, quam parcius delibando, cum vulgatissima sint, non pro meritis recensere. Accipe

Digitized by Google

modo, Vir Illustrissime, pro iis quibus nos praevenisti beneficiis, ἀντίδωρον, sane perexiguum, sed officiosissimae humanitati tuae eo saltem titulo gratum futurum, quod a clientum tuorum aliquo proficiscatur. Non diffitebor equidem, tractationem chronologicam, seu mavis, exactum ordinandorum temporum calculum, iis difficultatibus esse obnoxium, ut perspicacissimam etiam oculorum aciem aut fallat aut fugiat: fallat, minutiis saepe ad scrupulosam trutinam haud facile revocandis; fugiat porro, ob incredibilem in computanda temporum ratione Auctorum discrepantiam. Ad haec coaptandae inter se diversissimae Epochae, Christiana, Alexandrina, Diocletianaea, Mahumetana; aequanda annorum mensiumque opposita principia, ad eas saepe angustias Chronologum redigunt, ut quid potissimum decernat, nec per se satis dispicere, nec aliorum adiumento satis certo statuere possit. Erit haec, opinor, Vir Illustrissime, iusta apud te excusatio, sicubi deprehendas, me a veritate aberrasse; quod ut pro tua in me benevolentia, audacter corrigere et castigare non graveris, etiam atque etiam postulo. Interim perge ut facis, favere Sanctorum Historiographis, eisque concessa a Rege privilegia tueri, ad reliqui semestris Acta alacriter prosequenda. Ita te Deus et Sancti felicem ac sospitem diutissime conservent.

In his ita collectis habes, Lector, totum Iunii mensis, hoc anno in lucem producti progressum ultra XVII seculum. Quamvis enim in hoc statuerim, et hoc intendam Annales hos finire, incongruum tamen videbatur, notitiam operis, ante illius finem integre compositi, potiori sui parte mutilari. Haec enim sub unum aspectum posita eo seviet, ut omnes intelligant, quam minime pronus sit, etiam volentibus et conantibus, progressus in opere tam vasto laboriosoque, et plures tam scriptores quam typographos mutaturo, fortassis nec ante finem huius secundi seculi absolvendo; certe, quod primos

Digitized by Google

attinet, deficienti *Henschenio*, mihique iuvando destinatos a superioribus, tres propensior alio genius a nostro Museo abstraxit; duos mors sustulit; ex posterioribus autem, *Henricum Thieullier*, post annos quinque utilis sibi nobisque laboris, sustulit mors, maturata curis ex iniustissima lite per conspiratos contra se unum Bibliopolas plures mota, quasi non satis legitime ad liberum suae artis exercitium foret promotus : eius autem privignus *Petrus Iacobs*, iam tum, cum matri succederet, sanguineo sputo laborabat. Hunc cum videremus magnis passibus ad exitum properare, meritoque timeremus adoptando successorem revolvi in easdem molestias, quas vitare ea causa sustinueramus, nisi de alio mature nobis provideremus, inventus quidem fuit per omnia idoneus nobis *Ignatius Lisenius*, eadem ipse Regii typographi facultate instructus; sed neque hic tam diu superfuit, ab onere vetulae ac paralyticae matris liber, ut totum se dare typographiae exercendae posset; praecipiti enim paucorum dierum morbo exstinctus est in flore aetatis, die xxi Iulii M.DCC.X. Ita quod metuebamus evenit : et quamvis nemo esset qui Acta Sanctorum cuiquam invideret, multi tamen invident nobis praesidia, quibus ea fulcienda Regius Senatus censuit : quorum conatibus iam semel a Senatu irritis factis, ut occurreremus, elegimus nobis *Petrum Iacobum Robyns*, annorum plurium cum plena facultate Typographum et Bibliopolam; qui rem suam pariterque nostram agat in eadem quam *Lisenius* tenuit officina, matureque sibi de collega ex suis discipulis assumendo provideat, Deo Sanctisque bene iuvantibus, ut deinceps successio perpetua sit eorum, quos ipsi legerimus probaverimusque; non quos casus dederit, incommodis prioribus rem nostram obiecturus, operis progressum impedituris.

Digitized by Google

RENOVATIO MAGISTRATUS.

VII *Augusti, Dominica* XI *post Pentecosten, actum* XXX *Maii.*

Per litteras ad Marcgravium D. Alexandrum della Faille, Equitem, et auctiori nunc etiam titulo Toparcham de Bossut atque Archiennes.

CONSULES. — Dl. Paschasius Ign. Maria vanden Cruyce III, Toparcha de Aertselaer, Cleydael, Stoovers, Ter Linden, etc. — Domicellus Ioan. Augustinus de Lannoy.

SCABINI. — Dl. Gregorius Martens. — Dl. Io. Aug. vande Werve. — Dl. Nic. Ios. van Halmale. — Dl. Ioannes van Woonsel. — Dl. Petrus Happaert. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Io. Car. van Hove. — Dom. Io. Bapt. della Faille. — Dl. Eduard van Brouckhoven. — Ignatius van Wesenbeke. — Dl. Io. Petrus Lescornet. — Dl. Io. Ioseph. Vequemans. — Dl. Franciscus vander Aa. — Dl. Io. Car. de Labistrate. — Antonius van Roosendael. — Ignatius Engelgrave. — Magister Petrus Henricus Schut.

ARGUMENTUM.

I. Insinuantur Bibliopolis et Typographis renovata edicta de libris Societatis Iesu absque facultate Praepositi Provincialis Flandro-Belgici non excudendis aut recudendis.

ACTA POSTERIORA.

I. DIE XI Augusti omnibus Typographis et Bibliopolis Antverpiensibus, in suam S. Lucae cameram, cui subordinantur, convocatis per publicum Apparitorem insinuatum est Privilegium Regium, Provinciali Flandro-Belgico Societatis Iesu

Digitized by Google

eiusque successoribus concessum in secreto Consilio, anno M.DC.XCII, die XII Decembris, atque in Brabantiae Consilio receptum XIX Iunii huius anni, confirmans vetera privilegia, a prioribus Regibus Principibusque concessa, et per non usum fere exoleta, circa quoscumque libros a scriptoribus Societatis editos et edendos, ne quisquam praesumat eos in Belgio Regio excudere aut recudere absque licentia Provincialium, scripto obtenta et Senatui exhibita. Mox autem in hunc modum *Ioannes Bapt. Verdussen* petiit obtinuitque facultatem imprimendi Commentarios P. Iacobi Tirini in Scripturam, Iacobi Pontani Metamorphosim Ovidianam, castigatam ad usum studiosae iuventutis, et Novum Candidatum Rhetorices Patris Pomeii; quod exemplum haud aegre postea secuti sunt reliqui, videntes eamdem facultatem expediri gratis, solumque facere ad cautelam necessariam, ne quid rerum suarum inscia aut etiam invita Societate excudatur recudaturve, uti antehac non semel contigit. Certe cum Bibliopolarum unus, factiosus in paucis, reliquos hortaretur ut tale privilegium non reciperent, sed contra protestando litigiosum facerent, noluerunt illi consentire, asserentes nihil difficultatis sibi cum hominibus Societatis fuisse aut fore, propter eius privilegia nulli eatenus molestis.

Digitized by Google

A. C. M.DC.XCV.

ARGUMENTUM.

I. Octogenarii senis, nivalem trabam iuveniliter per Bursam ter circumagentis, amoenum spectaculum. II. Dux Bavarus cum sponsa Polona laetanter excipitur. III. Spectat cimelia ad sortem proposita : conditiones ipsius sortitionis probat. IV. Academiae exercitia. V. Moritur Gubernator castri. VI. Initiatur novum in Curia altare. VII. Baptizatur solemniter Dux iuvenis Arschotanus cum sorore. VIII. Dealbatur denuo tota Basilica Mariana. IX-XIX. Ea occasione proponitur iconismus prospectus interioris, chororumque et sacellorum ratio accurata redditur, secundum praesentem statum. XX. Vini Francici ingens caritas. XXI. Enormis elevatio Scaldis supra terram.

ACTA PRIORA.

I. Cum Ianuario mense delapsa coelo copiosissima nix solitoque constantior, nobilem iuventutem invitaret ad suam in agendis celerrimo cursu equis dexteritatem probandam, ac tota passim urbe volitarent trahae, singulae puella aliqua honoratiori, sed larvata onustae, sedente post tergum quasi ad puppim rectore consimilis aetatis; rem hactenus intentatam excogitavit *D. Theodorus Verbrugge*, in grandi octoginta annorum senio vegetus, trahamque suam, trans obices positos ad singulas Bursae portas, famulorum ope levatam, induxit in quadratae porticus aream, terque circum eam cucurrit, quod iunior nullus tentare ausus fuisset, praecurrente, ad viam aperiendam, turbamque sub porticus cogendam, equite alio. Res mira et digna visa, cuius mox imago, encausto expressa, per Belgium spargeretur.

II. Serenissimus Bavariae Dux, eiusdem Ianuarii die IX

Digitized by Google

sub quintam vespertinam advenit, cum nova sua sponsa, Poloniae Regis, Ioannis Sobieski, filia, THERESIA CUNIGUNDE; ex Gelria, ubi ipsam exceperat in sinistra Rheni ripa, atque huc Turnhouto in rheda transvexerat. Exceptus est autem solito Magistratus occursu ad portam Kipdorpiam, indeque deductus ad hospitium, quod sibi in Mera e regione Minimorum parari iusserat, in vacua tunc domo Domini de Castro, quondam Baronis de Rodes, vulgo Parvi-Regis. Postridie sub meridiem ambo Duces accesserunt ad Cathedralem, Sacrum audituri, quod ipsis Episcopus legit, musica succinente.

III. Post prandium, in suo hospitio sumptum, et rhedarium circuitum, ascenderunt Duces ad superiorem Bursae ambitum, ubi spectaverunt ingeniose disposita omnis generis cimelia, quae a praelaudato Henrico van Soest, fabro ebenario curiosissimo, cum facultate ipsius Ducis et Magistratus, proponebantur conferentibus pecunias ad sortitionem illorum; ex quibus quid deinde et quanti pretii cuilibet obtigerit, docet libellus ea de re vulgatus, cum programmate conditionum, in ea sortitione utrimque servandarum. Quoniam autem eiusmodi sortitionum, variis occasionibus permissarum, hic facta est mentio, iuvat ipsum programma, ex vernaculo Latine redditum, hic exhibere legendum.

I. In primis, ad plenam uniuscuiusque in sortitionem venturi assecurationem, et omnem fraudis suspicionem removendam, ex Collegio Senatorum a Consulibus et Scabinis designabuntur Commissarii duo, universam sortitionem directuri.

II. Praemia omnia, sortitioni subiicienda, aestimabuntur ex iudicio et consensu praedictorum Commissariorum : simul autem omnia habebunt valorem aequalem toti massae sortium in urnam mittendarum, salvo quarto nummo in centum, erogando in pauperes et impendendo necessariis ipsius sortitionis sumptibus.

Digitized by Google

III. Praemia ipsa erunt omnis generis cimelia rariora et pretiosiora, eum in finem confecta aut collecta a longo tempore, formae ac modi recentioris et maioris: in quibus integrorum conclavium peripetasmata et tapetia recentissimae fabricae, quaedam etiam auro intexto splendidiora, ex designationibus recentioribus et elegantioribus; telae seu stragula mensarum atque lectorum pro quantaevis conditionis matronis, cum omnibus eo necessariis. Scrinia varii generis, quorum multa encausti ac coelaturae variae, operis emblematici, picturae originariae famosorum Pictorum, puta Rubenii, Van Dyck, Quintini Massii et aliorum, item adamantes, uniones, gemmae innumerabiles, nec facile sigillatim exprimendae; tales autem, ut cuiuscumque generis et conditionis personae reperturae sint genio suo accommoda in hac sortitione, qualis numquam in Belgio exposita fuit, sive pretia praemiorum spectes, sive commoditatem conditionum publico utilium. Servabuntur autem omnia in superiori ambitu et conclavibus Bursae Antverpiensis, vulgabunturque libelli, singulorum praemiorum pretia exponentes.

IV. Cuiuscumque generis personae, tam indigenae quam externae, assument sortes quam multas videbitur, vel sibi solis vel aliis secum associatis, solvendo in singulas schellingos quatuor monetae Regiae, sive viginti sex stuferos pretii currentis.

V. Sortes ipsae distribuentur supra Bursam ad latus meridionale, signatae suo quaeque numero, et in registrum relatae per homines fidos et rei praepositos; qui istic considebunt, mane ab hora XI usque ad meridiem, atque post hanc ab hora IV usque ad V cum dimidia. Ibi accipietur pecunia; quam accipiens, datori tradet syngrapham acceptationis. Omnes autem sortes, quibus tam praemia quam nullitates inscriptae erunt, reponentur in cistam ligneam, vinculis ferreis probe

Digitized by Google

munitam, nec umquam aperiendam nisi per claves diversae formae tres, insimul conferendas; quarum duae erunt sub manibus Dominorum Directorum, tertia penes praefatum van Soest.

VI. Ante distributionem praemiorum, omnium eorum qui sortes acceptarunt nomina, inscripta unius formae chartulis, numero et proportione singulorum notatis, reponentur in aliam ligneam cistam eiusdem cum priori fabricae, et utrique immissae schedae diligenter concutientur miscebunturque, ne qua fraus latere possit, aut eius suspicio suboriri : et ingenuus aliquis adolescentulus extrahet e cista nominum schedam unam, et ex adverso alius ex cista praemiorum ac nullitatum schedam alteram : atque ita porro usque ad finem.

VII. Huiusmodi extractio expositioque schedarum fiet, quam primum collecta fuerit congrua summa pecuniae ad distributionem requisitae : quam si contingat iusto minorem inveniri, non differetur praemiorum distributio ultra XXV. Martii anni huius M.DC.XCV. et tali casu Commissarii minuent pretia praemiorum cum proportione ad defectum.

VIII. Is cui prima sors obtinget, sive praemium sortiatur sive nihil, accipiet in specie centum ducatones; et cui ultima, pattacones centum : qui plurimas sortes emerit, sive sub sui unius seu plurium nomine, lucrabitur centum ducatones, sive sortes illas acceperit simul, sive pluribus successive vicibus.

IX. Qui vero post illum plures emerit, ducatones quinquaginta.

X. Qui denique post duos illos, viginti quinque.

XI. Quod si contingat ex illis tribus duos eumdem numerum sortium emisse, promissa summa obveniet ei qui iuxta registrum invenietur prior nomen suum dedisse.

XII. Quicumque simul et semel viginti quinque sortes emerit, unam supernumerariam extrahet, ita ut accipiat viginti sex.

Digitized by Google

XIII. Quotidie etiam palam enuntiabitur quis quod praemium sortitus sit.

XIV. Denique ad maiorem sortientium securitatem, declarabitur iis, quibus monilia vel alia eius generis praemia obvenerint, quanti ea fuerint aestimata, cum registro inscriberentur; ut, si maluerint praemii illius valorem in pecunia accipere, hic ipsis solvatur cum defalcatione decem in centum.

XV. Quicumque vicinarum aut remotiorum etiam locorum incolae concurrere ad hanc sortitionem voluerint, neque Antverpiae habuerint certum correspondentem, poterunt pecuniam suo nomine sorti committendam per tabellarium publicum dirigere ad commissarios in Bursa; qui, ea accepta, acceptationis suae syngrapham tradent, cum nota ipsius sortis. Bruxellis autem sufficiet illam sic tradendam curare D. Ferdinando Picourt, commoranti in via vulgo de BERGSTRAET.

IV. Quem ea res successum habuerit, non est huius loci nec instituti mei curiosius indagare aut explicare; redeo ad Ducem, omnium inspectorem, approbatorem et admiratorem; qui inde processit ad Academiam, ubi stabat nudus Hercules, leonina accinctus pelle et clava instructus, a tironibus per circuitum sedentibus delineandus; quo modo in Academia minori iuvenculorum stabat in medio puella, Palladem referens, similiter delineanda. Singulorum sedulitatem inspexerunt et laudaverunt Duces; moxque patefactum theatrum est, in quo recitata cum plausu comoedia elegans, mire placuit.

Denique die XI Ianuarii, post auditum in meridie Sacrum apud Iesuitas, ad ornatissimum tunc altare, discessum Mechliniam est, numquam et nusquam deficiente multitudine populi, ad spectandam Ducissam accurrentis.

V. Die XXIV Ianuarii, in Castro obiit eius Gubernator D. DIDACUS GOMEZ DE ESPINOSA, cui XIX Septembris, lectis in Collegio Senatorum patentibus, successit Comes de CORAIAL.

Digitized by Google

Huic vero cum anno XCVIII delatum esset Proregnum Navarrae novum, eum honorem gratulatus fuit Magistratus die XI Martii, oblatis omnibus vini Rhenani cantharis, quibus tali occasione uti Civitas consuevit.

VI. Die XXX, initiatum est novum in Curia altare, in fronte Camerae, quam Collegii vocant, sub specioso tholo, intra marmoream portam aeneasque valvas altius elevatum; primam ibi Missam faciente Senatus Capellano R. P. Priore Carmelitarum, ad quam Civitatis nuntii sex, in toga sua curiali, cum facibus candidis stabant, sedente Magistratu in suis subselliis quae ibidem pulcherrime ex quercu coelata habentur; idque sub duodecimam pomeridianam.

VII. Die XXII Martii, in palatio Episcopali, ab ipsomet Antistite, vesperi baptizatus est iuvenis Dux Arschotanus, patri in Hungaria ad..... gloriose mortuo succedens: annosque natus tres cum dimidio, suscipientibus eum Imperatore atque Hispaniae Regina, eorumdem locum tenentibus Principe et Principissa de Vaudemont, a quibus inter illius actus caeremonias (nam hae solum supplendae erant post Baptismi Sacramentum pridem collatum) dictus est LEOPOLDUS IOSEPHUS FRANCISCUS. Similes caeremoniae ibidem tunc impensae fuerunt eius sorori, iam quinquenni, et ex voluntate susceptorum Regis Hungariae ac Matris Reginae dicta est MARIA ANNA CAROLINA IOSEPHA THERESIA.

VIII. Perfectum hac aestate est opus dealbandae ex integro totius Basilicae Marianae; ad quod promovendum, die I Novembris praegressi, truncus pro excipiendis eleemosynis de more expositus fuerat cum supra scripto, ex lib. Paralip. cap. 291 hoc versiculo: *Mundato Domum Domini*. Eodem invitabat vernaculus rhythmus, brevi sane nec invenusto stylo, nomine ipsius ecclesiae pro honore Deiparae exhibendo obtinendam pollicentis mercedem cogitatione maiorem :

Digitized by Google

Toont u miltheyd tot myn witten,
In myn eer Gods moeder eert.
Ghy sult voor u loon bezitten
Meer als hert en sin u leert.

Per totam deinde Octavam Animarum post consuetas conciones invitatus erat praesens populus; et mox Pastor atque Aediles Mariani coeperant ostiatim circuire, pro corrogandis eum in finem eleemosynis. Placuit omnibus eximius nitor eo labore inductus; non pauci tamen senserunt abolita maiorum suorum per parietes picta affixaque monumenta multa, dedecorantia magis quam ornantia locum quem occupabant, licet quae tolli integra poterant, superstitibus posteris relata domum cuique suam sint. Aestimatores autem vetustatis pictoriae magis doluerunt, quod fornici chori Eucharistici, et alae meridionalis eidem choro coextensae, parcitum non fuerit, cum esset speciose inauratus totus, pretioseque distinctus historiis biblicis, Eucharistici mysterii figurativis, monochromate caeruleo, quod ultramarinum vocant: qua ratione etiam locis aliis nonnullis ornabatur altarium quorumdam tectorium, sed tanti aestimata fuit uniformitas operis.

IX. Multa quoque altaria hac occasione repolita fuerunt: quorum hic placet indiculum texere, relative ad scenographiam, non inutiliter hic denuo excudendam, signando litteris, primum maiusculis A, B, C, chorum et loca quaedam praecipua; deinde minusculis *a*, *b*, *c*, duplici per utrumque Basilicae latus serie, sacella et altaria; et addendo cuius Collegii singula sint; quibusque et cuius argumenti tabulis, nec non quo penicello elaboratis instructa; tam multis, et tam elegantibus plerisque, ut nusquam tota urbe plura vel pulchriora spectentur numerenturque. Ordior ab Oriente in Occidentem.

A. *Chorus maior Canonicorum*, supra cuius altare ante

Digitized by Google

ac retro, etiam foris in ambitu consistentibus spectabile, ornant tabulae, Assumptionem Deiparae in coelum repraesentantes, a Petro Paulo Rubenio depictae. Circum ipsum altare consistunt tumbae Episcoporum, hic tumulatorum, *Francisci Sonnii*, *Levini Torrentii*, *Ioannis Miraei*, *Ioannis Malderi et Ambrosii Capello.*

B. *Presbyterium*, ad quod utrimque ducunt ab ambitu chori portae, aeque ac peribolus marmoreae; ad latus autem Evangelii consistit *Thronus Episcopalis;* ad latus Epistolae, ea quam vocant *Credentiam* ad sacrum ministerium.

C. *Pars chori inferior*, ad usum Canonicorum maiorum minorumque instructa sedilibus duplicis ordinis, supra quae discurrunt perpetua serie insignia Equitum Velleris Aurei, ex Comitiis Ordinis ibidem celebratis a Philippo II, anno M.D.LVI, sub finem Ianuarii : quibus subscriptos singulorum titulos, utrimque viginti quinque, videsis apud Baronem le Roy, in Notitia Marchionatus nostri, fol. 30 et 31.

D. *Odeum marmoreum* (Clerus *doxale* appellat a Graeco *Δόξα, Gloria*) octo columnis ante et retro fultum, supra quod in transversa ac bene ornata trabe grandis assurgit *Crucifixus*, altus pedes XVI, et supra dexteram portam ambitus, novi organi praestantissima machina, posita anno M.DC.LVII.

E. *Tholus*, intra quadripartitum templi fornicem, supra praegrandes quatuor pilas, laternae in modum assurgens, cum triplici ordine fenestrarum; ex ligno quidem, sed specie eleganti et magna arte elaboratus, quem claudit recentis operis pictura per *Cornelium Schut* ad leges perspectivae sic efficta, ut suspiciens videas erectam in coelum Deiparam, iuxta hanc ex Sacro officio Antiphonam aureis litteris grandibus circumductam : *Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.*

X. Memini puero me in usu fuisse ut sub primis Vesperis

Pentecostes ad haec verba Capituli : *Factus est repente de coelo sonus*, discedentibus quae tholum claudebant nubibus, factoque supra fornicem ecclesiae velut tonitruo, ipsius festi Mysterium repraesentaretur, hoc modo : Demittebatur a summo illo tholo globosa machina, ex pluribus in formam linguarum effigiatis partibus sic coagmentata, ut, procedente descensu, dissilientes primae, alias paulo minores, et hae rursum alias paulatim minores evolverent; ac demum ultimae explicatae emitterent columbam candidam, in figura Spiritus Sancti, super Apostolos descendentis. Ex eodem tholo sub Missa Feriae IV infra tertiam hebdomadam Adventus, dum recitabatur evangelium Missae; et Virginem, decore supra odeum personatam, personatus item alloquebatur musicus Gabriel; ex tholo, inquam, eodem demittebatur eadem columba, multoque in lumine quasi volans perveniebat usque ad eamdem virginem, evangelicae suae personae verba *Ecce Ancilla* etc. suaviter modulantem.

Quod ideo hic placuit annotare, ut veterum usuum saltem hic restet memoria. Videant autem quorum interest, an conveniens fuerit, titulo conciliandae servandaeque debitae ecclesiis reverentiae corrigendaeque puerilis alicuius immodestiae, an, inquam, conveniat talia aboleri, sicuti etiam abolitus est usus a Cathedrali ad Burgensem ecclesiam deducendi in die Palmarum effigiem Christi super asinum concinne figurati, ramos palmarum ferentibus Ierosolymitanis Equitibus; et quinam sint zelatores illi qui talia urgent, et an sancto quem praeferunt, ducantur spiritu; caveant autem ne, fastidientes maiorum suorum pietatem, paulatim exterminent Christianam simplicitatem. Profecto timendum puto ne cacozelia haec, si procedat, etiam ab amburbalibus nostris removeat spectacula Annunciationis, Visitationis, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, aliorumque Mysteriorum; solumque relinquatur nobis

Digitized by Google

Neptunus cum sua Amphitrite, Balena cum Delphinibus et Ariadne, Gigas cum Elephante et Camelo, Parnassusque cum Apolline et Musis : fortassis nec licebit amplius inter hilaria ista Extremi Iudicii, Inferique meminisse, quibus iam dicta amburbalia utiliter hacteuus terminantur.

XI. F. *Concha aquae lustralis*, ante quam tempore Iubilaei elevari solet Crux, cum insigniis Pontificis, eiusque Bulla exponi; item per encaeniale mensis Augusti octiduum Deiparae statua processionaliter circumferenda et circumlata.

G. H. I. *Propylaea*, intra ecclesiam ex marmore posita, ampla et alta. Praecipuum, quod Occidentem spectat, Episcopus *Malderus* erigi fecit, cum statua item marmorea, egredienti illac populo benedicentis *Salvatoris* : quod Meridiem spectat, Episcopus *Nemius* collocavit eique imposuit effigiem *Deiparae;* quod Septentrionem, Episcopus *Capello*, cum effigie *S. Iosephi*.

K. K. Signant, in fronte templi praecipua ad Occidentem, minores *Portas duas*, per quas possit hinc inde adiri ecclesia, ab iis qui, vitato alvei laxioris sinu, propius volent ad loca alarum accedere iis temporibus, quibus est populi concursus frequentior : alias sola porta princeps patet, illae autem rarissime.

L. L. *Vestigia scalarum*, ad turres ducentium, unde etiam patet accessus ad *Podium*, quo porta principalis sic tegitur ut valvis clausis illuc accedentes, protegantur a pluvia, et ex eodem possent stanti in area patente populo promulgari mandata ecclesiastica : cuius tamen rei nunc usus nullus superest, sicuti nec eius podii quod tegit ingressum portae borealis versus Forum maius : ad quod podium, simulque ad fornicem, similis scala, turriculae in modum elata, ducit. Porta Meridionalis coemeterium spectans, simile podium non habet; habet tamen similem scalam, qua ad fornicem istius

Digitized by Google

alae ascendatur. Per easdem scalas itur ad ambulationem circumductam Basilicae toti, inter fenestras maiores peristyliumque maiorum columnarum; cuius rei minime contemnendus usus esset, si fenestrae praedictae aliqua sui parte possent aperiri, ad intromittendum idoneo tempore puriorem aerem, qui nunc, propter quotidianam recludendorum ad tumulanda cadavera sepulcrorum consuetudinem, fere semper gravis et male habentibus perniciosus est; ut multi non optime valentes horreant ideo ecclesias Parochiales subire, praesertim mulieres gravidae.

Aedilibus et fabricarum Praefectis hoc considerandum propono, propter multiplex commodum ex tali cura processurum, non solum ad salubritatem corporum, sed etiam ad conservationem sacrarum vestium et picturarum tot pretiosissimarum, quibus aer, noctu diuque perpetuo marcidus, non potest non esse perquam damnosus. Curant hoc Regulares in ecclesiis suis : cur non etiam curent Seculares? Si primis illarum conditoribus ea mens non incidit, factum reor quia olim vel nullus vel admodum rarus usus erat defunctorum intra ecclesias sepeliendorum; cum in coemeteriis tumularentur passim parochiani omnes, adeoque non sentiretur incommodum tantum; sentitur tamen passim ex natura humidi semper soli, praesertim in Mariana Basilica, palustri in fundo aedificata. Si difficultas remedii in eo sit, quod altius ascendendum foret, quaeratur illud in lateralibus alae utriusque fenestris, non ultra perticae unius altitudinem elevatis; tantum ne desit sua id curaturo stata merces, sine qua in talibus ecclesiis sperandum nihil; ut frustra sint qui Regularibus gratis ministrantibus praevalituros se per omnia sperant; utinam ex solo Dei eiusque maioris gloriae amore!

His explicatis, sursum ad chorum redeo.

M. M. Chori maioris ambitus inter primas secundasque

columnas, quarum istae attollentem se altius cum fenestris fabricam sustinent', secundae humiliores utriusque alae fornices, et aditum aperiunt ad choros minores et ad sacella sigillatim enumeranda.

XII. Sacellis utrimque procurrentibus medium sacellum est † Oenopolarum, quibus *Martinus de Vos* nuptias in Cana Galileae, miraculo mutatae in vinum aquae memorabiles, pinxit, supra altare collocandas. Ibi dum pronaon aedificabatur, veteri, quam Burchardus consecraverat, aede destructa, tantisper quievit statua Mariana, donec novus ei chorus perficeretur. Reliquorum, minusculis, ut dixi, litteris *a*, *b*, *c* utrimque signandorum, ordo est qui sequitur, ac primum a sinistris.

a. Pellionum, cum tabula praefati *Martini de Vos*, in qua Christus inter discipulos Thomae praebet latus palpandum. Tegunt eam picturam diebus non festis, ut alias fere omnes in ambitu, valvae, quarum in hoc altari una habet *Ioannem Baptistam baptizantem*, altera *decollatum*, tanquam professionis suae patronum, utpote cui pro vestimento pellis fuit.

b. Pictorum, ubi rursum *Martinus de Vos* S. Lucam exprimit depingendo Deiparam ante se cum filio positam occupatum: valvas depinxit *Ambrosius Franck.*

c. Sequitur et extra ordinem aliorum sacellorum longius atque ad mensuram totius sinistrae alae procurrit *chorus S. Ursulae* ipsius comitumque Reliquiis·dives. Is priorem sui partem habet omni liberam impedimento, quam *g* littera notatam ornat insigne legatum D. Antonii Hoefslag, Seminario Episcopali per multos annos Praesidentis, et Canonici Graduati librorumque Censoris: tabula scilicet a *Ioanne Erasmo Quellino* picta, et trium Magorum, ad Salvatoris cunas prostratorum, spectaculum penicillo subtilissimo offert. Huius autem chori profundioris laxitate saepe utitur Episcopus, ad confirmationis Sacramentum pueris conferendum, aut etiam sacros

Digitized by Google

Ordines adultis. Chorum ipsum claudit altare quod Crucifixi imagine instruxit idem, qui alia superius memorata, *Martinus de Vos;* utrimque vero pendent armaria, custodiendis SS. Virginum Reliquiis comparata; unde ipsarum festo exemptae illae et quasi theatraliter dispositae per altare, illud insigniter ornant.

Post altare, in Boream praeter morem conversum, sacristia est *d*, communis etiam choro alteri, qui similiter ut Ursulanus procurrit, ita tamen ut inter ipsum et ambitum medient altaria duo *f* et *g*, primum Scriniariorum, alterum *SS. Rochi et Antonii* confratribus proprium, cuius antiquus Patronus, *Antonius* scilicet, exprimitur super altari manu *Petri de Vos*. Scriniarii vero cum vendidissent Magistratui, quam ante habuerant, famosam *Quintini Massis* picturam, furori iconoclastarum subtractam; in restaurato postea altari suo statuerunt *S. Ioannem praedicantem*, utpote Christi Prodromum, ideoque assimilandum runcinae suae minori, qua primam scabritiem abrasura, omne opus dolandum, ordiuntur eamque ideo *Prodromam* DEN VOORLOOPER nuncupant. Pinxit illum *Paulus van Bale*, qui si Antverpiae se continuisset, sacris potius argumentis quam Ovidianis intentus, melius de eo sensissent ii qui morientem in Anglia deinde noverunt. Duo haec sacella *f* et *g*, inter ambitum et chorum Circumcisionis, ut dixi, media, ne nullum ex latere boreali lumen habeant, humili dumtaxat sepimento ab illo dirimuntur, ipse vero chorus littera *e* signatus, et Circumcisionis dictus a Dominico Praeputio, ibi olim asservato, priusquam hoc transferretur alio, videtur tribus Regibus dedicatus a Civitate, ipsum sibi proprium vindicante per Magistratum suum, qui illuc aliquoties totus convenit ad solemne Sacrum; in festo autem Epiphaniae praegrandes tres cereos offert. Ibidem supra tabulam, a Scriniariis, ut dixi, redemptam, consistunt effigiati Magi, ante sedentem in gremio Matris

Digitized by Google

Iesulum prostraturi se et munera oblaturi. Sed rapit oculos omnium undecumque advenarum tabula, in qua auctor, celeberrimus ille ex Mulcibre Apelles, *Quintinus Massius*, expressit depositum de cruce Christum; in ambabus autem valvis, intus et foris *Ioannem* utrumque, *Baptistam* et *Evangelistam*, foris quidem stantes monochromatice, intus vero coloribus vivis decollationem illius, et martyrium alterius in olei bullientis dolio, non quidem testaceo (qualia olim Romani etiam capacissima fingebant neque nunc formare figlina ars novit), sed quali adulteratores publicae monetae incoquuntur, aheno, ut sunt tinctorum aut braxatorum. Hic advenarum curiosorum, perspicacem obtutum, seu verius patientiam, exercet quaerendo, in turma circumstantium equitum, caput, quod nusquam est, equi septimi. In hoc etiam choro viget Circumcisionis Confraternitas, ex proceribus Civitatis adunata, sub piis quibusdam legibus ipsum festum solemnius solita istic celebrare, mutuaeque colligationis vinculum innovare, eodem vel proxime opportuno die, instructo sumptuosissimo epulo, per eum praebendo, qui fuerit superiori anno illius caput, quales sunt Episcopus, Abbas, Marcgravius, Consules, Gubernator Castri, aut similes alii viri genere aut officio nobiliores; ac nuper, anno M.DCC.XI ineunte, Eminentissimus Cardinalis Bullionius, ex Francia huc advectus, hiememque acturus in Abbatia S. Michaelis, donec, redeunte vere, commodum sit Romam reverti ad sui Sacro in Collegio Decanatus exercitium. Actus hic solemnissimus fuit, postquam in ecclesia cum sacro musice celebrato dignatus ille est ad epulum praedictum venire sub eoque a *Consule Campo*, ipsum praebente, accipere fasciculum floridum, ex more eorum, qui proximo anno futurus sit Confraternitatis Princeps, epulumque praebiturus. Utilior ad pietatem fovendam est ea quam nuperus Decanus Amplissimus *D. Franciscus Ortis de Ybarra* ibidem instituit,

Digitized by Google

Confraternitas pro *animabus Purgatorii;* cui etiam Indulgentias *Communionis generalis* alternis mensibus exercendae, obtinuit magno cum fructu. Denique chorus hic etiam nominatur chorus Equitum, utpote Hierosolymitanorum, et in eodem frequenter etiam Sacros Ordines Episcopi conferunt.

h. Extra chorum Circumcisionis proxime consistit Veterum Balistariorum altare, pro quo nostra memoria renovando, cum decollationem *S. Georgii* designasset *Antonius van Dyck*, eamdem coloribus expressit *Cornelius Schut*, querente quasi de facta sibi iniuria *Wilhelmo Boschaert*, cui ipsius Guldae Decani opus addixerant, quique propterea suum opus spectari aliquamdiu voluit et obtinuit a tergo alterius intra chorum Circumcisionis; quod nunc inde amotum servatur in camera ipsius Guldae.

i. Sub eadem Septentrionali templi ala post sacellum S. Antonii, ad ingressum ambitus consistit altare Iunioris Guldae Sagittariorum, ubi iam saepe nominatus *Martinus de Vos* media ac praecipua in tabula depinxit Salvatorem de mundo et idololatria triumphantem; in valvis autem, hinc Constantini Magni baptismum, Sylvestro communiter imputatum, inde eumdem Imperatorem, intendentem fabricae Lateranensi: clausis autem valvis apparent hinc S. Georgius draconem confodiens, inde puella cum agno per illum liberata. Totum vero opus claudit ex ligno eleganter sculpta equestris statua S. Sebastiani, conculcantis Diocletianum Imp. subtus stratum, sceptroque minacem.

XIII. Nunc Pronai sive anterioris ecclesiae descriptionem eamdem in latere boreali accipe: ac primum observa sepimenta altaribus circumducta, quae post primam ab incendio reparationem omnia cum ipsis altaribus fuerant lignea, nunc esse marmorea pleraque, imo et ipsa altaria etiam in altero pronai latere; eaque occasione tabularum valvas fuisse amotas,

Digitized by Google

dominisque suis redditas, eo quod tota ecclesia apertae, ipsam angustiorem videri facerent, liberioremque prospectum impedirent. Primum versus chorum est :

k. Caligariorum altare, nunc exstinctorum, seu potius unitorum cum *Sartoribus vestiariis*, post diuturnas utrimque lites de iure conficiendorum femoralium. Haec enim cum olim tibialibus assuerentur vel annecterentur (unde communi utrisque nomine dicebantur *inferiores* et *superiores caligae*), nunc autem seorsim ex eodem cum thorace panno conficiantur; nec tamen Caligarii acquiescerent Sartoribus, vicissim offerentibus potestatem thoraces conficiendi, tandem ad pauca reducti capita, sumptibusque exhausti, in unionem denique concessere; et sic solum manet vetus altari praedicto nomen. Est autem illud *S. Annae*, quam istic cum familia numerosa pinxit *Michael Coxie*, ex quodam plebeio errore, imputante plures eidem Sanctae maritos, filiasque Marias tres, adeoque et nepotes ex his plures.

l. Veteramentariorum altare, Patronam colentium *S. Catharinam*. Hanc cum Philosophis disputantem pinxit novae tabulae auctor *Ioannes Eykens* : qualis autem argumenti vel cuius ibi pictoris antea steterit, necdum comperi : nec satis video cur hanc potissimum sibi Patronam isti elegerint.

m. Olitorum altare, eo loci est, ubi olim in horto olerum super caudice reperta Deiparae statua, O. L. V. OPT STOCSKEN. quae struendae hic extra veteris civitatis muros ecclesiae occasionem dedit, estque etiamnum Deiparae, quam in stabulo Bethleemitico a pastoribus repertam, pinxit in tabula, nunc aestimatissima, *Franciscus Floris*, idem qui Gladiatoribus suam.

n. Fabrorum quaecumque metalla cudentium est, sub patrocinio *S. Eligii*, eam, dum vixit, artem professi; quem deinde Episcopum Noviomensem, et praedicantem populo nostro *Ambrosius Franck* ibidem expressit.

Digitized by Google

o. Textorum est, indeque Christi Domini in coelos *Ascensio* honoratur, et opera *Francisci Franck* repraesentatur; nobis autem divinandum relinquitur, cur isti mysterium hoc sibi proprium fecerint.

p. Chirurgorum est, profitentium clientelam *SS. Cosmae et Damiani*, utpote gratis curantium : quorum martyrium spectabile istic fecit manus *Ambrosii Franck.* Fuit hic Ambrosius trium eiusdem nominis fratrum minimus, et Mandero scribente adhuc supererat Antverpiae; *Franciscus* obierat anno M.D.LXI; *Hieronymus*, hic nusquam notus iis qui me instruxerunt dicitur Parisiis inclaruisse.

XIV. *q. Chorus Dominae nostrae* est, cuius antiquum altare ornabat *Assumptio* eiusdem, picta a *Michaele Coxie.* Postquam autem altari veteri successit novum, ex marmore candido totum, eiusdem venerabilis statua, in amburbalibus circumduci solita, ab eo quem supra tabulam more maiorum obtinebat loco, deposita est ante concham, ipsi arae immediatius incumbentem, maiori cum decore et conspectui propior honoratur. Eidem choro ex uno latere adhaeret amplum sacrarium seu vestiarium, et ipsi altari praetenditur marmoreum ad usum communionis sepimentum, ex simili marmore laboratum; ante chorum autem assurgit odeum proprium, cum minori organo, cantandis ibi quotidie cum musica laudibus Marianis, aliisque Officiis destinatum, quali etiam instruitur chorus Venerabilis Sacramenti, de quo infra; atque ita singulis choris provisum de musica concinniori est, cum canentes in grandiori ad maiorem chorum organo, propter Basilicae amplitudinem, nec conspicere in minoribus duobus sacrificantem nec fere possint exaudire.

r. Tornatorum altare, sub patrocinio *S. Gummari*, qui in tabula, non magni nunc aestimata, assidet arbori, suo iussu succisae, et circumvoluto cingulo redintegratae.

Digitized by Google

s. Fabrorum Lignariorum altare, olim habuit in veteri pictura, et nunc habet in nova (quam..... *Gerbaldi* elaboravit, ut hic quoque nomen habere mereretur); habet, inquam. *S. Iosephum*, fabrum utique, fugientem cum uxore et puero, vectis asino, in Aegyptum.

t. Sellariorum altare, in quo *Philippus Fruytiers S. Luciam* pinxerat; eamdem nunc etiam habet pictam *N. Maes*. Causam talis patrocinii requirentibus proferunt legendam, in qua Sancta narratur ad lupanar damnata, pertrahi eo non potuisse ab equis ipsi admotis, quos utique oportuit ephippiis lorisque instrui, per sui opificii professos confectis.

XV. Praeter haec alae sinistrae altaria, parietem ecclesiae lateraliter contigebant, ne non spectarent ortum, alia duo, inter chorum Marianum et Baptisterium perquam inconcinne locata, et symmetriam fabricae deformantia, *u. Pannitonsorum*, *v. Braxatorum* et *w. Nominis Iesu*. Prima duo sublata funditus sunt, quia non placuit Decanis in nova altaria, quae sub fenestris in latus verterentur, sumptus facere; et quia *Pannitonsoribus*, post lanificium in Angliam Hollandiamque translatum, numero nunc paucis, sufficiebat grandis sua capella *S. Liborii*, Patroni sui, nunc propter Deiparae cultum ornatissima ad viam Caesaream. *Braxatores* vero omnes fere sub Parochia S. Walburgis habitantes, altare suum, *S. Arnulpho*, Episcopo, dicatum, ibidem constituerunt : itaque eorum memoria dumtaxat restat in fenestris coloratis; et ad parietem, omni iam liberum impedimento, locus datus est Confessionalibus novis constituendis. Mansit autem ultimum ex tribus et praecipuum altare *Nominis Iesu*, quod est Confraternitatis ad eius honorem institutae, cum ea fundatione officiorum et eleemosynarum, quam exposui anno M.CCCC.LXXIX. Hoc autem altare, situ mutato applicatum nunc parieti, totum est novum atque marmoreum, cum nova item tabula; in qua venerabile nomen adoratur a

Digitized by Google

coelestibus, terrestribus et infernis, picta a *Frederico van Steenlant*, Erasmi Quellini senioris discipulo.

Ab hoc altari porro pergens, velut iturus ad Baptisterium, suspicis ingentem illam, de qua ad annum M.DC.XIV egi, Christi transformati picturam, fundamenta turris maioris ea parte tegentem.

x. Baptisterium, ad primum istud maximeque necessarium novae Legis Sacramentum, bifariam intercurrente maceria divisum, ad communem utrique parti fontem. Cum enim amplitudini Marianae Parochiae plebanus unus non sufficeret, divisa est Plebania in Pastoratus duos, quorum unus Boreali, alter Meridionali parti civitatis deserviret, per se perque adiutores Vicarios.

XVI. Ita explicata toto sinistro Basilicae Marianae latere, transeo ad dextrum sub simili litterarum alphabeticarum notatione.

a. Calceariorum altare, *SS. Crispini et Crispiniani* Patronorum cultui sacrum, quorum ibi martyrium *Ambrosius Franck* depinxit.

b. Caementariorum, supra quod *quatuor Coronati* ut Patroni suis in statuis consistunt, inferne autem cruciantur in tabula, ab uno ex tribus, quos dixi, fratribus Franck elaborata.

c. Ludimagistrorum Alphabetariorum altare, in quo hi Patronum colunt *S. Gregorium Magnum;* et hunc ibi inter Ecclesiae Doctores expressit *Franciscus Franck*. Per hoc autem sacellum, sepimento decenti transversim clausum, patet transitus a choro maiori ad sacristiam eiusdem chori.

d. Confraternitatis *S. Barbarae* est, habetque supra altare Christum crucifixum, ex designatione *Antonii van Dyck*, nescio cuius manu expressum.

e. Sartorum est, *Trium* hic *Magorum adoratio* exprimitur, manu *Theodati* supra laudati, et apud Falcontinas in simili

Digitized by Google

altaris maioris argumento prolati. Poterant illi *S. Homobonum* Cremonensem Patronum sumere, si sartorem fuisse scivissent.

f. Altare senioris Guldae *Sagittoriarum*, in quo S. Sebastiani martyrium *Michael Coxie* expressit. Ultra haec procurrunt in eodem fabricae latere chorum ambientis :

g. Praedicta ad chori usum *Sacristia.*

h. *Domus Capitularis* scriniario opere recentius circum vestita, tam speciose ac pretiose, ut advehendo ex Hollandia opportuniori ligno impensi dicantur Imperiales mille; de fabrorum sculptorumque mercedibus taceo.

Portam ex marmore Canonicus Poenitentiarius *Hilleweerven* faciendam locavit. Ibidem cernuntur omnium hactenus Episcoporum Antverpiensium dimidiato corpore expressorum, effigies, quales etiam in palatio Episcopali videre est.

i. *Archivium*, *Aerarium* sive *Camera* quam vocant *solutionis*, DE PAYKAMER, ubi sua singulis tam Canonicis quam Sacellanis et aliis quibuscumque ecclesiae ministris, stipendia erogantur; et sic finito toto dextero latere iuxta propyleum portae meridionalis invenitur :

k. *Sacristia communis;* ad cuius ingressum est :

l. *Officinula mulieris*, vinum et panem ad Missas vendentis.

m. Altare Guldae Bombardariae seu *Colvenariorum*, cuius nobilissimum ex marmore altare designavit Rubenius : qui iussus ipsum quoque instruere picturis, pro uno *Sancto*, qui petebatur, *Christophoro*, circumstantiis symbolicis potius quam historicis ornando, plures certissimos minimeque figuratos *Christophoros* promisit et in media quidem maiori tabula, eos omnes expressit, qui deponendo de cruce Salvatoris corpori manum accomodarunt; opere tam famoso, ut, Rege Franciae iubente exemplum inde sibi sumi, ac Civitate mandante, Guldaque et Aedilibus consentientibus, commissum sit, illud assimilare quam posset proxime, quod ei communi

Digitized by Google

omnium iudicio felicissime cessit. In valva sinistra exprimitur *Christophora Maria*, Elizabetham cognatam visitans, et in dextra senex *Christophorus Simeon*, in ulnis excipiens Salvatorem. Clausis autem valvis occurrit, qualem passim vulgus sibi imaginatus, *Christophorus*, statura gigantea, nudoque ac toroso instar Herculis corpore, Christum humeris gestans, grandiorique innixus stipiti, et vadum transiens, sene Emericola in altera ripa, laternam praetendente.

XVII. A choro ad dextrum latus eique circumducta et praetensa altaria ad pronai latus idem dextrum transeunti, solum describendus est interior et primus ordo columnarum: nam etiam hic ut in altero latere tres columnarum ordines versus Occidentem procurrunt, sed ita ut utrobique medius locus nullis altaribus impediatur, nec quidquam offeratur oculis spectabile, praeter elegantiora quaedam operosioraque, et ideo abolitis vilioribus reservata, monumenta sepultorum subtus primariorum civium, qualia etiam ad columnas medii ordinis in parte boreali inveniuntur aliqua, itemque et per columnas ambitus choralis, sed prolixiorem hunc tractatum factura, si enumerarentur, et explicarentur singula. Quare, iis praetermissis, redeo ad altaria, quorum ad primam ordinis interioris columnam spectabilissimum est

n. Guldae Gladiatoriae altare, in quo *Michaelem*, Sodalitii Patronum, cum ceteris Angelis victoribus Luciferi et sequacium rebellium, sic expressit *Franciscus Floris* ut attonitos teneat spectatores omnes. Valvae ab eadem manu aeque spectabiles, inde tamen a lateribus ablatae, servantur apud ipsos Confratres propter reverentiam et aestimationem artis.

o. Vietorum altare habuit aliquando ingeniosissimam aestimatissimamque *Quintini Massii* tabellam, nescio an *S. Mathiae*, qui opificii Patronus censetur; sed quidam *De Ryck* hominibus minus cautis persuasit, ut Sanctum illum Apostolum

Digitized by Google

in maiori, qualem optabant, tabula a se pingi, et altari imponi paterentur; quod quid aliud erat quam aurum aere commutare? Occasionem itaque dedit sarcasmo non illepido, quod, qui suaserat ut *Quinten Massys* ab altari deponeretur, fuerit vere EEN QUINTEN MASSYS, id est, *solide fatuus.*

p. Pistorum est, ubi Christum, multiplicatis panibus turbas pascentem in deserto pinxit toties supra memoratus *Martinus De Vos.* Nunc agitur de novo construendo altari ex marmore.

q. Merciariorum, nunc ex marmore sculptum est S. Nicolai, quem supra tabulam videre, Episcopali in cathedra sedentem, suisque benedicentem; in ipsa autem tabula Christum stantem inter conversos peccatores, eosque benigne recipientem, opera *Octavii Vaenii;* quae autem illam olim claudebant valvae, nunc ipsam eorum Cameram ornant. De ligneo curiosissimo altari quod post incendium anni M.D.XXXIII ibidem stetit atque ab Iconoclastis diffractum fuit anno LXVI, vide dicta ad annum XXXIX, quo ipsum positum notatur.

r. Sagittariorum Iunior Gulda hunc sibi locum vindicat, qui suum S. Sebastianum in altari fecerunt pingi per *Wenceslaum Koeberger*, Bruxellensem, in Pinacotheca pictorum, pag. 101 laudatum, ut percarum Archiduci Alberto propter artis excellentiam.

s. Ultimum in hoc ordine est altare *Piscariorum* seu *Nautarum*, quibus anno M.DC.XIV vidimus primum locum tum inter opificia attributum, quem etiam tenent in maiori totius Civitatis consilio. Interim eisdem, in S. Walburgis ad Scaldim parochia domos habentibus, in eiusque Parochiali ecclesia sacra sua, huius altaris ad ceterorum morem speciosius innovàndi exigua, vel potius nulla cura est. Habet ergo adhuc veterem picturam Piscatoris Petri, sed adeo ignobilem, ut adm. R. D. Cantor Marianae ecclesiae, Franciscus de Cocq p. m. et Ioannes Erasmus Quellinus, Pictor eximius, qui tamquam eiusmodi

Digitized by Google

rerum scientissimi me supra scripta fere omnia docuerunt, eius nesciverint nominare auctorem.

XVIII. Est autem altaribus omnibus ad columnas fixis hoc commune, ut extra cancellos altarium, in dorso obiecta eiusdem columnae habeant elegantia operis scriniarii sedilia, in quibus Decani, Aldermanique consideant, sacra audituri: quod idem fere observare licebit in circumeuntibus chorum sacellis, et in minoribus choris pro capellarum singularum Magistris. In hoc autem quod describimus latere, primus occurrit et Mariano choro respondet:

t. Chorus Venerabilis Sacramenti, quem ex uno latere nunc praecingit candidi marmoris sepimentum, alte elevatum ex designatione eius, quem iam nominavi, Domini Cantoris, Architecti non minus quam miniatoris eximii, antrorsum vero odeum speciosum, organo proprio instructum etiam ipsum. Adhaeret eidem propria trans murum Sacristia, et in altari repraesentatur ultima Domini nostri coena, *Octavii Vaenii* opus praeclarum: ad ingressum vero occidentalem eiusdem chori trans parietem procurrunt camerulae tres, litteris *u*, *x*, *y*, signatae, in quarum prima contrahuntur nuptiae; secundam habent capellae Eucharisticae Magistri, tertiam ad suum concionatorumque usum tenent Plebani; reliquum omne capacissimum spatium, abhinc usque ad sacellum Eleemosynariorum, columnas habet omni impedimento liberas, ne quid officiat concioni, ad verbum Dei audiendum copiose affluenti; nec est alius fere tota civitate locus, ex quo a pluribus faciliusque intelligi sacra oratio possit, auditoribus in mediam usque navim, quantum per columnas licet, constipatis; nihil ergo hic notandum quam *z. Suggestus concionatorius*, ex solida quercu absque commissura ulla fabrefactus a summo usque deorsum, opere, ut appellant, Gothico, et ad memoriam vetustatis conservato, etiam inter ecclesiae ardentis flammas, et furentium

Digitized by Google

iconoclastarum manus; quae tamen videntur eiecisse statunculos Sanctorum, hinc inde, ut loculi et bases monstrant, dispositorum.

Acroaterium iam descriptum claudit solidissima moles forma, ut etiam altera ad Boream, irregularis, cui ex hac parte innititur turris meridionalis, sicuti borealis simili fundamento suo. Angulus vero hic notatus, unde ad concionatorem prospectus patet, sedilia habet Dominis Eleemosynariis comparata, inter quos saepe videre est Episcopum aut Decanum dicenti intentum, et supra sedilia recentius erectum marmoreum monumentum gratitudinis, Antistiti Ambrosio ab eisdem Eleemosynariis, quos solos haeredes habere ille voluit, post molem iam dictam est poni curatum.

XIX. *aa.* Eleemosynariorum sacellum est, et hoc latus claudens habet altare non ad Orientem, ut cetera, sed ad Septentrionem conversum, neque magnum, nec tabula grandiori instructum; tali tamen quae pretio aequare maximas possit : pinxit enim eam *Bernardus van Orley*, diciturque pro ea numeratos accepisse florenos sexcentos, cum Quintino Massys suum triplicatum opus Scriniariis tradenti, sed annis fere centum citius, quod valde rem mutat, solum dicantur soluti floreni trecenti. Exprimitur ibi Extremi Iudicii scena, in qua scilicet Christus eis qui erga se, id est pauperes suos, liberales fuerint, vitam aeternam addicturus sit : ignem vero aeternum misericordiae opera non sectatis.

bb. Monstrat locum foras protensum, trifariamque divisum, sic ut prima maiorque pars teneatur a mensa *S. Spiritus*, quae universo caritatis huius negotio initium dedit. Pars haec anno M.DCC.XII egregio opere amplificabatur inclusura fortassis etiam secundam, quae dicitur *Camera pauperum;* ad cuius ingressum, a tumultuante eorum multitudine saepe obstructum, ut ipsis Eleemosynariis liber pateat accessus,

Digitized by Google

a foris aperienda dicebatur porta. Tertia vero particula servit aerario, heu! nimium quantum per haec calamitosissima tempora extenuato. Liberalitatem civium ut provocent exempla, facit cenotaphium *Francisco Tencini*, praediviti adolescenti Amstelodamensi, supra portam ex marmore positum, propter summam praegrandem in patrios nostrosque egenos testamento divisam. Notabilis est etiam in dicto sacello vitrea curata anno M.DC..... Eleemosynariis, quorum etiam effigies ibidem ad vivum depictas habes manu *Abrahami a Diepenbeeck*, hactenus in ea arte parem non consecuti. Eodemque facit aliud maius etiam et speciosius, super Eleemosynariorum sedilia, ut dixi, positum Episcopo Capello.

XX. Dum hunc in modum renovatur Basilica Mariana, appropinquabat innovatio Magistratus, usque in Septembrem dilata; pro aestate autem eam praecedente, et subsequenti anno, suggerit Caukerkius, fuisse vini Francici caritatem tantam, quanta ab hominum memoria nulla fuit : nam quod circa annum M.DC.XC, et multis annis antea, adeo vile habebatur, ut promiscue a civibus emeretur et biberetur, intra viginti quatuor aut triginta sex florenos in amam, pro cuiusque bonitate; eius pretium, inquit, vehementer excrevit, tum belli causa, tum, idque vel maxime, quod pecuniae cambialis valor auctus esset ad octo in centum; et salvi conductus, hinc a Bavaro, inde a Franco redimendi erant, subeundaque pericula frequentium ab Anglia et Hamburgo piratarum, praedas certatim abducentium. Hoc insuper anno malignus valde proventus fuerat vini, ac fere acidi et vix potabilis : nisi forte Burdegalense placeret emere, cuius vas unum aestimabatur Dunckerkae LXXXI libris flandricis; communis autem vini amae singulae venibant Antverpiae florenis nonaginta; sed anno sequenti meliora vina fuerunt, et, adveniente paulatim maiori copia, etiam pretii levioris. Sic ille, oenopolam professus,

Digitized by Google

cuius proinde in ea re testimonium, quasi de casu singulariter raro, hic lubentius retuli, tamquam acceptum ab auctore fide digniori in tali materia.

XXI. Idem refert quod Scaldis hoc anno, flante a mari vento ipsiusque ostia impulsu undarum suarum obstruente, sic intumuit, ut illius aqua, octo pedibus supra Wervam sublata, decliviora ad littus omnia impleverit; ipsumque Basilicae Marianae pavimentum obtegens, sepulcrales omnes caveas conturbavit; et similiter merces repositas infra vel supra terram, infima in statione domorum istic sitarum. Nullum tamen grandius damnum fuit ex aggeribus praeruptis agrisque inundatis; manet autem rei velut rarae memoria insculpta postibus Geranii, uti in talibus moris est; sed absque mensis et diei nota.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Marcgravium, ut supra, XVI *Septembris, Veneris ante Dominicam* XVII *post Pentecosten actam* XXII *Maii.*

Consules. — Dl. Ioannes Carolus van Hove. — Dl. Gregorius Martens III.

Scabini. — Dl. Nic. Ios. van Halmale. — M. Henricus Comperis. — Dl. Io. Aug. de Lannoy. — Dl. Pasch. Ign. vanden Cruyce. — Dl. Petrus Happaert. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Antonius Spruyt. — Dl. Io. Bapt. della Faille. — Dl. Iud. Aegid. Zegers. — Dl. Ed. van Brouckhoven. — Dl. Io. Petrus Lescornet. — Dl. Nicolaus Muytinx. — Dl. Io. Ioseph. Vequemans. — Dl. Carolus de Witte. — M. Io. Adr. van Uffele. — Dl. Philip. Ign. van Valkenisse. — Magister Alexander van Havre.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

I-III. Sacra Rituum Congregatio, rite instructa de veteri a tempore immemorabili cultu Sanctarum Reginarum (ut appellant Lusitani) Theresiae et Sanciae, adminiculante etiam vita ac miraculis Antverpiae collectis impressisque cum utriusque effigie, censuit canonizandas, quando Sanctissimo Patri placuerit. IV. Idem speratur pro tertia sorore B. Mafalda. V. Indicuntur preces, dum Bruxella bombardatur a Francis, et a nostris expugnatur Namurcum. VI. Indagantur et puniri incoeptant grassatores, facie denigrata saevientes.

ACTA POSTERIORA.

I. POSTRIDIE quam Antverpiae renovatus fuit Magistratus, die XVII Septembris, tantum non adscriptae Catalogo Sanctorum sunt Sancii I, Lusitaniae Regis, filiae beatae duae, THERESIA et SANCIA, Ordinem Cisterciensem professae; *Sanctas Reginas* vulgus appellat. Prior Alphonso, Regi Legionensi, nuptiis male auspicatis iuncta, et his, propter nimiam sanguinis propinquitatem Pontificio iudicio diremptis etiam post liberos ex eo susceptos, mundum contemnere didicerat. Iunior illibatam virginitatem felicius conservaverat : utraque monasterium nobile fundaverat, de iisque *R. P. Franc. Macedo, Ordinis Minorum*, Latine scripserat vulgaveratque libellum *ex originariis*, ut profitetur, *processibus aliisque monumentis, secundum Tridentini Concilii leges collectis, Conimbricae anno* M.DC.XXXVI. Sed, negotio variis casibus per annos complures dilato, *R. P. Antonius de Rego, Societatis nostrae, apud R. adm. P. Generalem pro Lusitaniae Indiarumque Provinciis Assistens*, cum reperisset ad XIII Martii nostri diem, prius impressum quam Clemens IX Pontifex fieret, referri inter praetermissos *Sanciam*, eo quod eam non invenissemus eatenus ullo cultu

Digitized by Google

ecclesiastico honoratam, libellum praedictum nobis mittendum curavit, usui futurum pro Maio, ad quem soror *Theresia* pertinebat.

II. Cum autem suspectum haberem calamum velociter scribentis Macedi, non satis expendere soliti singula quae sequi profitetur monumenta; atque re ipsa deprehenderem in illomet opusculo errores, neque leves nec paucos, circa personas et tempora, dictum Patrem, penes quem erant omnia, quibus Macedus fuerat usus, monumenta, rogavi ut mecum communicaret quidquid conduceret fini intento, ut scilicet quam accuratissime expensa darentur Acta. Fecit ergo quod rogabam, in B. Principissa Ioanna iam expertus eius diligentiam. Sic instructus, absolvi eum quem iam impressum habebam Commentarium, novumque composui in quo libellus praedictus recuderetur, omissis, quae probare non poteram, multis atque ex gemino Processu suppletis, quae Macedus praetermiserat brevitati studens; quibusdam etiam, quorum stylum variaverat, originariae puritati redditis. Ita recusa vehementer probavit is, quem Rex Petrus Postulatorem in causa constituerat, *Bernardus del Castel Branco*, Monachus Cisterciensis, ac Procurator generalis Congregationis S. Mariae de Alcobatia et in sacra Theologia Magister, prout eadem iam invenientur ad diem XVII Maii.

III. Idem Postulator, delectatus effigie B. Ioannae praefatae, cum penes se haberet Beatarum sibi commendatarum e Lusitania pictas coloribus vivis imagines, easdem in formam operi nostro congruam reducendas mihique mittendas curavit seorsim singulas; quas in unam tabellam componendas censui, ante illud, quod prae oculis habebat earum altera, altare Deiparae: itaque ipsas etiam hic spectandas offero. Pingebantur autem absque radiis, aut alio sanctitatis indicio, quales ex viventium vultibus olim fuerant exceptae: quod magis ad fidem facit. Proposito

Digitized by Google

post haec in Congregatione iterum dubio, super casu excepto a Decretis Urbani VIII, iudicatum, ut dixi, die XVII Septembris est in favorem Postulantis; et, annuente, sub die XXV eiusdem, INNOCENTIO PAPA XII, missae sunt ad Archiepiscopum Ulyssiponensem, et Episcopum Conimbricensem, eorumque Vicarios novae litterae compulsoriales; illarumque vigore processus constructus fuit, ac praefatae Congregationi Cardinalium exhibitus, servatisque servandis apertus, inquit INNOCENTII praefati successor, CLEMENS XI, anno M.DCC creatus, in eo Brevi, quo sexto Pôntificatus anno ineunte (tam diu enim causa ista detinuit iudices, multimodis occupatos); CLEMENS, inquam, XI declaravit die XXIII Decembris M.DCC.V, omnino constare de cultu ab immemorabili, atque adeo quidquid hactenus factum fuit, legitimum ac probatum auctoritate Pontificia haberi posse ac debere.

IV. Fuit illis altera soror B. MAFALDA, quae Castellae Regi Henrico, adhuc impuberi, adultior ipsa nuptui data, per factionem Alvari de Lara arrogantis sibi administrationem Regni, contra Regis sororem ac tutricem Berengariam, S. Ferdinandi, ex Alphonso Rege Legionensi matrem; verum hac cavente ne impedimentum consanguinitatis tolleret Pontifex, virgo remissa in Lusitaniam *Mafalda*, etiam *Beata* ipsa habetur, ac die II Maii colitur Aroncae, in eo quod ad Ordinem Cisterciensem traduxerat Monasterio. Ad hoc autem post mortem in Rivo-tincto obitam anno M.CC.LII, relatum non sine miraculis corpus, et anno M.DC.XVII repertum est incorruptum, variisque deinde illustratum miraculis, de quibus formatus processus auctoritate Episcopali in ordine ad canonizationem, nullo alio, ut existimo, argumento reiectus est, quam quod non satis probari potuerit requisita certitudo cultus ab immemorabili, id est ante annos centum ex Decretis Urbani VIII. Interim pergunt Aroquenses Religiosae, quotidie post Completorium, de ea decantare

Digitized by Google

Antiphonam, cum collecta et elogio BEATAE REGINAE, *quae mundi vanitates et oblectamenta despiciens, coelestia semper tractavit.*

V. Die XIII Augusti indictae sunt preces extraordinariae, quia nostris Namurcum tam arcte obsidentibus et obsidentes sic protegente reliquo exercitu ut nulla solvendae obsidionis spes Francis relinqueretur; hi, ut ipsos inde abstraherent, duce de Villeroy, Bruxellensem urbem, quam capere non poterant, duce Vaudemontio cum copiis obsistente, immissis bombis die XIV et XV dicti mensis, succenderunt tam ferociter, ut tota inferior civitas flammis perierit cum Parochiis SS. Gaugeri et Nicolai, Curiaque et circumiectis foro splendidissimis aedibus, Macello utroque, Nosocomio, ac Monasteriis Carmelitarum, Franciscanorum atque Praedicatorum, salva nihilominus curiali turri, cui imposita S. Michaelis imago aenea, videbatur avertere ignitos globos illuc studiosius vibratos. In ista consternatione venit postridie Antverpiam Scabinus Cano, panem civibus desolatis hinc petens et obtinuit. Aderat ad omnia praesens Bavarus, et inter globos incendiaque volitans, nullo vitae suae respectu, solabatur cives, disponebatque media flammis sistendis exstinguendisve opportuna; adeo ut eius potissimum generositati adscribatur, quod non latius sese diffuderint incendia versus superiora civitatis; sed substiterint ad templum Collegiumque Societatis et ad Auriaci Principis palatium, salva S. Gudulae Parochia tota, aliisque versus palatium superioribus partibus urbis.

Interim tanto aedibus sacris profanisque illato damno, nihil omnino profectum a Francis est: sed indesinenti tormentorum pyroboloramque iactu depulsi a moenibus Namurcensibus propugnatores, per Anglos furiose irrumpentes, coacti sunt etiam arcem munitissimam cedere. Huius victoriae cum esset II Septembris allatus nobis nuntius, actae sunt Deo solemnes in Cathedrali gratiae.

Digitized by Google

VI. Dum flammis ad Bruxellas et Namurcum certatur, percurrebat Brabantiam nefaria quaedam colluvies perditissimorum grassatorum, qui, ne agnoscerentur, atra fuligine inficientes faciem, vulgo vocabantur *Denigrantes*, SWERTMAKERS. Irrumpebant illi per noctem in domos rusticorum a communi habitatione paulum remotiores, et compulsis in caveas quos reperiebant inquilinis, per otium colligebant quidquid placebat auferebantque; vel etiam suspensis supra focum aut aliter tortis exprimebant notitiam abditorum, si quos habebant, nummorum : viatoribus quoque insidiabantur, neque vectoriis curribus formidabant immittere violentas manus, ubi fiduciam latendi solitudo loci inter silvas et myricas faciebat. Talium máleficiorum fama increbrescens, tanto maiorem sollicitudinem Magistratibus incussit eos perscrutandi qui sui terrorem ipsis etiam iustitiae ministris incutiebant, iactantes ingenti se esse numero, minantesque pro uno ex suis, quem contingeret supplicio affici, mactandos duos ex civibus rusticisve.

Sub finem tamen anni deprehensi tres sunt, et duo ex iis, die xxx Decembris, crurifragium in foro passi; tertio, propter iuventutem, et quia violenter se in societatem sceleris protractum protestabatur, indultum est ut suspendio vitam finiret.

A. C. M.DC.XCVI.

ARGUMENTUM.

I. Iubilaeum pro pace obtinenda indultum. II. Bavari Ducis cum Auriaco congressus in Merxem.

ACTA PRIORA.

I. CUM placuisset S. D. N. INNOCENTIO PAPAE XI, pro suo

Digitized by Google

erga quietem Ecclesiae zelo, Iubilaeum indulgere, quo fideles omnes invitarentur ad ferventius supplicandum pro pace inter Principes Christianos obtinenda; publicatum id quidem in Gallia non est, ubi armorum Regiorum contra ceteros successus eam non faciebat optabilem; sed alibi passim gratanter receptum. Hic Antverpiae inchoatum illud est die VI Februarii, designataeque sunt tres ecclesiae Parochiales, Mariana, Georgiana et Walburgensis, quibus visitandis inter exercitia pietatis a Pontifice praescripta, Indulgentia Iubilaei obtineretur. Die ergo XII eademque Dominica, cantata in Cathedrali est Missa solemnis, cui totus interfuit Magistratus: idem post meridiem, una cum Episcopo et totius ecclesiae istius Clero, processit ad visitandas alias duas Parochias: quod statis cuique diebus Parochiae singulae Communitatesque Regulares fecerunt.

II. Mense Iunio Rex Angliae, detecta et dissipata, quae contra eius personam coaluerat, conspiratione, ac rebus in regno pacatis, redivit in Belgium; nec diu in Hollandia commoratus, die V Iunii venit Merxemium, proximum Antverpiae ad Euroboream pagum. Eodem hinc quoque se contulit Dux Bavarus, ideo pridie advectus, et apud postariae Directorem Ludovicum Antonii hospitatus. Ibi post mutuos amplexus actum de bellicis huius anni rebus; et sequenti die Bavarus Namurcum, Auriacus Gandavum discessit, Antverpia transgressus, uti etiam Princeps Vaudemontius eum secutus; nec aliud quidquam memorabile est actum.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Marcgravium, ut supra, XXIII *Iulii, postridie Dominicae* VI, *secutae Pentecosten, actam* X *Iunii.*

Digitized by Google

Consules. — Domicellus Nicolaus Ios. van Halmale V. — II. Domicellus Ioannes Iosephus Vequemans, Toparcha Terverne.

Scabini. — Dl. Gregorius Martens. — Dl. Io. August. Lannoy. M. Rochus vanden Zande. — Dl. Petrus Happaert. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Io. Car. van Hove. — M. Iacobus de Mont. — Dl. Ed. van Brouckhoven. — Ignat. van Wesenbeke. — Dl. Io. Petrus Lescornet. — M. Petrus vande Vyver. — Dl. Io. Car. de Labistrael. — Henr. Carolus de Witte. — M. Alexand. van Havre. — M. And. Melch. van Kessel. — Dl. Io. Car. de Cordes. — Magister Petrus Dominicus Lams.

ARGUMENTUM.

I. Exequiae Reginae matris celebratae in Cathedrali.

ACTA POSTERIORA.

I. Iulio mense in Hispania pientissime obiit Serenissima *Maria Anna Austriaca*, soror Imperatoris, et Regis nostri mater, ad cuius exequias in Cathedrali celebrandas, die xx et xxi Iulii, invitati per litteras sunt externi Abbates S. Bernardi et Tongerloensis; oretenus interni SS. Michaelis et Salvatoris; resque tota peracta est eodem ordine quo anno M.DC.LXXXIX in funere prioris Reginae; et Decanus Ybara iterum orationem Latinam habuit, quam simile secutum honorarium est, cum gratiarum actione, per Secretarium Valkenisse, et Thesaurarium vander Heyden, die xxxi Iulii.

Digitized by Google

A. C. M.DC.XCVII.

—

Etiam huius anni prior pars Actis memoralibus vacat.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Marcgravium ex litteris XXVII *Augusti, Feria* III *post Dominicam* XIII *a Pentecoste, celebrata die* XXVI *Maii.*

CONSULES. — Domicellus Eduard. van Brouckhoven II. — III. Magister Rochus vander Zande.

SCABINI. — Dl. Gregorius Martens. — Dl. Nic. Ios. van Halmale. — Dl. Petrus Happaert. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Antonius Spruyt. — Dl. Io. Bapt. della Faille. — Dl. Iud. Aegid. Zegers. — Dl. Balthas. vander Heyden. — Ignatius van Wesenbeke. — Dl. Nic. Muytinx. — Dl. Io. Ios. Vequemans. — M. Petrus vande Vyver. — Dl. Carolus de Witte. — M. Io. Adrian. van Uffele. — Dl. Philip. van Valkenisse. — M. Pet. Dominicus Lams. — Magister Ioannes Hubertus Terninck.

ARGUMENTUM.

I. Nuntiatur pax universalis Rysvici conclusa. II. Marcgravius in novis subselliis locum inter duos Consules capit. Nuntiatur grandis victoria Caesarianorum de Turcis ad Zentham. III. Instaurantur apud Iesuitas funebria pro caesis in pugna Christianis.

ACTA.

I. DIE XXI Septembris, Antverpiae in domo Ludovici Antonii, Directoris postarum, aderat Dux Bavarus, quando ad eum

Digitized by Google

sub meridiem venit expressus nuntius, de pace apud Rysvicum, Hollandiae vicum, conclusa inter Hispanos Germanosque ex una, et Francos ex altera parte; laetitiam auxit similis ex Germania nuntius de relata longe maxima victoria contra Turcas, ad Zentham in Hungaria, sub Ductu Serenissimi Eugenii, Principis Sabaudiae, die xii eiusdem mensis. Expectanda interim fuit subsignatio Regis Hispaniarum in pacem praedictam, ideoque publicata ea solum Antverpiae fuit xxv Octobris; festivi autem propter eam ignes dilati ad vii Novembris.

II. Interim acciderat die ultima Octobris, cum per expressum tabellarium advenisset publicandae pacis mandatum, ut ad hoc invitatus a Magistratu ad Cameram Statuum Marcgravius, ex misso ad se Secretario quaereret, quem locum esset habiturus in Collegio, ubi per nuperam sedilium innovationem non amplius habiturus erat locum extra eorum septa, sub speciali concha, responsum est autem, caperet locum eum quem vellet; et cepit medium inter utrumque Consulem, sub eadem concha, quod novum omnino erat. Eodem porro die ex podio publicata est Pax hora quinta post meridiem, sub fragore tormentorum ex fortalitio S. Laurentii; deinde Magistratus processit cum tibicinum suorum solito concentu ad Cathedralem, atque inde post cantatum *Te Deum*, iteratamque tormentorum explosionem, omnes sub medium octavae redierunt ad Curiam, ante quam erecta stabat praecelsa malus, cum duabus maioribus, vasa picata habentibus. Verum ventus adeo validus fuit, ut Suae Maiestatis vexillum e media malo decussum sit, parsque suprema mali diffracta, cadensque in medium forum, ex turba adstantium obruerit figulum, area Falcontina inquilinum : quare metu gravioris incommodi a flamma, ex vasis ardentibus scintillas toto foro sparsura, illuminationem illam usque ad diem vii Novembris differendam

Digitized by Google

proclamatum est; quando ea coepta fuit cum maioris campanae pulsu, et tormentorum explosione; sed non abstersum animis praesagium brevi finiendae laetitiae, per ipsiusmet Regis praeproperam mortem.

III. Iesuitae porro Domus Professae, die I, II et III Novembris, ingenti et extraordinario altaris totiusque ecclesiae apparatu, parentaverunt *fidelibus animabus ducum militumque, qui pro fide ac religione pie ac fortiter victrices animas ad Zentham posuere.* Verba sunt tituli decurrentis per quatuor latera sublimis mausolei, media in ecclesia militariter instructi; ad cuius angulos stabant vivacissime expressae et speciosissime ornatae virtutes quatuor, titulo respondentes : FIDES, RELIGIO, PIETAS, FORTITUDO.

Spectabilior etiam erat summi altaris ornatus, ubi per partes exprimebatur oratio Ecclesiae ex Missa funebri sub Offertorio, pro Animabus fidelium Regi gloriae supplicantis. Ibi namque in vacuo sublatae ad tempus tabulae loco, ante grandem pretiosamque Dominici Corporis hierothecam, sub his verbis : *Domine Iesu Christe*, *Rex gloriae,* repraesentabatur purgantium in flammis animarum ergastulum, et huic subiiciebatur : *Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni.* Cetera iam coeptae deprecationis verba, utrimque ad stylobatas et in pensilibus supra portas laterales odeis legebantur, aptata historiis biblicis accurate effigiatis : *et de profundo lacu*, Iosepho de cisterna educto; *Libera eas de ore Leonis,* Danieli Prophetae, ante unam stylobatarum efficto; *Ne absorbeat eas tartarus*, Ionae emergenti de ventre ceti; *Ne cadant in obscurum,* Petro, quem Angelus de carcere educebat solutis manuum pedumque vinculis. Ex eadem quoque parte cernebantur subvolantes e Purgatorio animae, post Archangelum Michaelem, iuxta istud : *Sed signifer Sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam,* in qua supra altaris

Digitized by Google

fastigium sedebat Sanctissima Trinitas, cincta Sanctorum Patriarcharum et Propbetarum choro; itaque alludebatur ad ultima sacrae comprecationis verba : *Quam olim Abrahae promisisti et semini eius*. Erant qui voluissent haec quoque omnia una in tabula, sicuti factum alias a sculptore, exprimi; sed simul tam multa vix poterat una charta capere; et, ut potuisset, omittendum fuisset mausoleum quod stabat in ecclesia media, aeque dignum exprimi. Tribus, ut dixi, diebus accurrentem devote populum res ea detinuit, inter continuata Sacrorum officia, dum dies Veneris esset Sanctorum Omnium, Sabbatum Fidelium Animarum, Dominica Communionis generalis. Quanta autem fuerit eo tempore devotio populi, colligitur ex numero sacrarum Particularum, inter communicantes distributarum, plus quam duodecim millium.

A. C. M.DC.XCVIII.

ARGUMENTUM.

I-IX. Obitus devotae Virginis Annae de Torres. X. Adventus Regis unius Americani. XI. Amburbalia post Pentecosten solemniori et ampliori circuitu acta. XII-XX. Machinarum eatenus circumduci solitarum ratio. XXI-XLI. Hippodromiae eas secutae descriptio. XLII-XLV. Item Guldarum.

ACTA PRIORA.

I. QUARTUM iam annum Antverpiae degebat devota Virgo, ANNA DE TORRES, cum annos nata XXXV et VII menses, ipsos hic finivit, communi eam cognoscentium opinione *Sancta;* unde et vulgo nuncupabatur HEYLIG ANNEKEN. Quam id merito, probat vita, biennio post mortem ad publicam aedificationem vernacule vulgata, cuius haec brevis epitome sit :

Digitized by Google

Habuit illa perquam nobiles piosque parentes, *D. Ferdinandum de Torres*, Murciensem, in Principis Nassavii familia Bruxellis educatum, deinde, sicut et fratres sui fuerunt, egregium in castris Hispanicis militem; sed mortuum tribus mensibus prius quam Anna ipsa nasceretur anno M.DC.LXXII, die XI Iunii, Dominica infra Octavam Venerabilis Sacramenti, cui deinde tam pie affecta ipsa fuit. Mater, ex Luxemburgensi comitatu eiusdemque Aulae gynaeceo accepta, *Aldegundis Alexandrina a S. Maria* dicebatur; quae, ex marito undecim prolibus susceptis, posthumo eo faetu levata, dumtaxat triennium supervixit et parvulam reliquit commendatam pio Luxemburgi Sacerdoti, proavunculo suo, eiusque sorori. Hi eam, ad omnem virtutem quasi factam a natura, apud se habuerunt usque ad annum aetatis circiter XIX; quando experiri coepit ea quae, trimulae apparens, defuncta mater multa per reliquam vitam toleranda praedixerat.

II. Etenim cupida videndi primogenitum unicumque fratrem (nam decem parentibus praemortui erant) eatenus superstitem, strenuum militem etiam ipsum, eumque Namurci in praesidio esse intelligens, apud ipsum manere consensit, tali conditione, ut quibus iam apud proavunculum consueverat pietatis exercitiis, absque ulla rei familiaris cura liceret inhaerere. Ita cum legione fraterna Namurco Brugas transiit, ibique inveniens celeberrimum Sanguinis Dominici cultum, eidem coepit tam tenere affici, ut nihil frequentius cogitans quam Sponsi sui passionem, meruerit tandem, instar alterius Catharinae Senensis, fieri quasi viva Christi patientis imago. Sed priusquam hoc fieret, remigrandum ei cum fratre Namurcum fuit; qua urbe a Francis expugnata, ipsum cum suae cohortis reliquiis secuta est Lyram. Hic illam tam gravis corripuit morbus, ut collocanda fuerit in publico nosocomio, ubi ita se sanctimonialibus probavit, ut eam libenter suo coetui

Digitized by Google

fuissent aggregaturae, si animi teneritudo pati potuisset ipsam assistere morientibus absque deliquio animi, licet alias ad quaevis aegrorum ministeria promptissimam et validam satis. Interim quae antea parcissimi erat cibi ac potus, primum omni eo, praeterquam Eucharistico, abstinuit, a I Dominica Quadragesimae, totam illam ipsumque Paschale tempus prorsus ieiuna, usque ad festum S. Margaritae, id est totis XXIII hebdomadis. Hoc cum omnes mirarentur, variis varia sentientibus, placuit ipsam sex continuis hebdomadis conclusam tenere, solam communionem sacram ei impertiendo, donec ad oppidum illud de more visitandum veniret Episcopus Antverpiensis : qui rem tam insolitam discens, eam per se voluit examinare, coram Archidiacono et secretariis suis, item Capituli Lyrani Decano, Iesuitarum Rectore, et Guardiano Capucinorum; iussitque vini Rhenani aliquantulum, cum cochleari lactis saccharo admixti, sumere : quod illa obedienter et humiliter faciens, nequivit retinere; sed cum magno totius corporis tormento mox coacta fuit revomere, prout alias ipsi aliquoties contigerat, volenti per se experiri num qua ratione aliquid retinere stomachus posset. Quamquam autem venerabiles illi viri unanimiter testarentur nihil a se deprehendi potuisse quod merito suspectum haberi de fraude humana vel diabolica posset; varii tamen de ea spargebantur rumores, etiam inter Religiosas hospitalarias, ad quas, videndae Annae causa, generis omnis et status homines multi veniebant; nec deerant qui a daemone possessam etiam in faciem obiectarent : quod illa ferebat patienter, gaudebatque in hoc similis Sponso suo fieri. Erat tamen eidem perquam molestum oculis tam multorum exponi, et alloquiis fatigari. Itaque, mensibus circiter sex ita peractis, tentavit, saltem tertio vel quarto quoque die, modicum quid introsumere.

III. Sic Anna dimidium fere annum egit, quando Monasterii

Digitized by Google

illius Pastor decrevit ipsam ad se sumere, praeficiendam pauperibus puellis, quarum domi suae scholam gratuitam instituerat.

Verum minime potuit placere tumultuosa ista occupatio; precabaturque Deum, ut sibi de remedio opportuno prospiceret; nec fraudata desiderio suo est. Antverpiam enim invitata a piis personis, ipsam Lyrae visitantibus, post pauculorum dierum eius, in quo recepta fuerat, hospitii experimentum, fateri coepit, nihil sibi magis in votis esse, quam tali aliqua in domo, procul ab humanis oculis alloquiisque, solitarie degere, unique Deo vacare. Id audiens herus, Cathedralis ecclesiae phonascus, Sacerdos pius, eamdem in qua sex septemve noctes egerat cellam, ipsi humaniter obtulit. Neque mutationem improbavit nosocomii Lyrani Pastor, ipseque Antverpiam venit explorandae commoditatis causa; deinde non illibenter ipsam a se dimisit, instructam linea laneaque veste, et pia ad devotionem fovendam supellectile. Rediit ergo Anna Antverpiam die I Martii anno M.DC.XCIV, sibique in assignato cubiculo aptavit altariolum, ante quod oraret, ipsum ornans iconculis Lyra allatis, quibus unice delectabatur. Conabatur autem hic, sicut iam coeperat, sumere subinde quidpiam. Verum hoc diu non licuit: nam a Dominica secunda Quadragesimae, cadente in diem VII Martii, usque ad ultimum vitae mensem, si quid conabatur per vim stomacho reluctanti ingerere, continuo revomere cogebatur, etiam cum copioso sanguine totiusque corporis convulsione; et hoc alias quoque ei evenit per Quadragesimam eamdem, praesertim feria quaque sexta usque ad Hebdomadam Sanctam. Tunc latus sinistrum, quod pridem ei vehementer dolebat, magna cum inflammatione intumuit; variisque frustra adhibitis medicamentis, ultro apertum, multum sanguinem effudit, non purulentum aut faetidum, ut ex carcinomatis solet, sed purum limpidumque. In

Digitized by Google

Parasceve similem in manibus pedibusque dolorem cum inflammatione pati coepit, ac ceteris deinde Feriis sextis per annos duos, fluente ex illis similiter sanguine; quem frustra conabatur celare, adhibitis ad eum excipiendum linteaminibus, donec tandem coacta est a sibi assistente puella auxilium poscere. Aliis diebus apparebant vulnera ista, rubra quadam cicatrice obducta.

IV. Utebatur tamen valetudine satis firma ad obeunda tam domi privatim, quam publice in ecclesia, exercitia solitae devotionis; corpusculum vero, tanta cibi ac fere etiam somni abstinentia attenuatum, cruciabat insuper horrido ad genua usque cilicio, et aculeatis armillis, zona, soleis, maxime post habitum Virginum devotarum Antverpiae assumptum de manu confessarii. Hunc ex Capellanis ecclesiae S. Walburgis delegerat, pium sane modestissimumque Sacerdotem, eoque probatum ipsi prae aliis, quod ad poenitentias in Sacramento definiendas rigidior esset. Porro cum in ea quam ultimam habuit Sanctioris Hebdomadae feria quinta, clam omnibus domo egressa nudipes esset ad ecclesias aliquas visitandas, et, post horas fere duas revertentem, domestici deprehendissent modum excessisse, ex cruentis per gradus vestigiis nimiaque imbecillitate, prohibita fuit, non solum domo egredi, sed etiam de strato surgere. Tunc adeo languere coepit, ut cogitaretur de ipsa munienda extremis Sacramentis. Sed dubitarunt aliqui, an tantus languor non potius ei obveniret ex desiderio Eucharisticae refectionis, qua fere sola eatenus sustentabatur: de quo interrogata, cum abnuere non auderet, Sacerdos, quem dixi herum domus, ab Episcopo, qui Annam pridem noverat, facultatem obtinuit deferendi ad ipsam clam desideratissimum suum Sponsum. Hoc gratanter recepto, visa quidem est aliquatenus convalescere; quantum tamen corpori erat melius, tanto gravius cruciabatur interius animo,

destituta coelestibus quibus assueverat deliciis, et insuper gravissimis daemonum tentationibus agitata: inter quas, quia maxime formidabat vanae gloriae titillationem, petiit obtinuitque a Deo, ut naturalis appetentia cibi, saltem modici, facultas sibi restitueretur; itaque desinerent homines ipsam Sanctam credere, et praeteriti temporis abstinentiam inciperent adscribere alteri cuicumque causae, etiam cum famae suae dispendio. Ita quodammodo naturae suae viribus relicta, inter continuos utriusque hominis cruciatus, aestatem totam autumnumque traduxit usque ad Decembrem.

V. Tum prorsus deficere deprehensa, die IX mensis, sacro Viatico et Unctione munita est: post quod ad extremam fere horam sibi praesens, inter pios affectus, sub decimam antemeridianam exspiravit die XIII Ianuarii sequentis. Eodem autem momento intolerabilis ille faetor, quo daemones, calcaneo eius insidiantes, locum impleverant, quemque neque ipsa, nec quisquam adstantium ferre poterat, conversus est in suavissimi odoris fragrantiam; et defunctae corpus, quod, emaciatum totum, sola fere ossa sub inducta cute servasse videbatur, ita ut assistentes eam non auderent loco movere, inter ipsum componentium manus, carne repletum; tamque vividum apparuit, absque ruga vel macula aut ulla morborum toleratorum nota, ut dubitari potuerit, essetne revera mortua. Mansit etiam usque ad vesperam nativo colore vegetum, et membris omnibus flexile. Superveniens autem unus amicorum, eius aestimator singularis, quo Reverendissimus noster multum usus fuerat ad diiudicanda Annae mirabilia quaedam, adm. R. D. Franciscus de Cocq, Canonicus et Cathedralis ecclesiae Cantor, idemque delineator peritissimus ac felicissimus, defunctae faciem, sicut erat, etiam cum taenia fronti obducta, excepit discipuloque suo Cabau subtili miniatura colorandam dedit; unde excepta est a LambertoCau se, quam vitae praefixam vides, effigies.

Digitized by Google

VI. Mox etiam nuntiatus obitus Episcopo est : qui eodem vespere adfuit, et, iacentis statum accurate contemplatus, medicos et chirurgos civitatis accersiri fecit, ad interiora per sectionem exploranda. Sed hoc illa metuens, Confessarium Sacerdotemque hospitem suum adiuraverat, ne fieri paterentur, asserens nihil praeter solitum reperiendum in suo corpore. Et huic quidem obtestationi cessit Antistes, advenerunt tamen medici et chirurgi, demandatum sibi opus executuri, nisi a Sacerdotibus praedictis denuo rogatus Episcopus id vetuisset. Mirabantur illi interim adeo speciosum viventique simile cadaver; nec dubitabant, quin, si aperire venam licuisset, sanguinem quasi vivum eduxissent. Cavebatur tamen ne huius rei fama permanaret in vulgus; sed, cum permisisset Episcopus ut paucis honoratioribus familiarioribusque personis accessus indulgeretur, sub obligatione tenendi secreti, singulis habentibus, ut fit, aliquos quibus id crederent, divulgatum citius quam timebatur, quasi miraculum est; et summo mane concurrens populus, viam ante domum totam implevit; ostiumque, quantumcumque clausum id tenere contenderent, qui intus erant, viri robusti, bis, concussis cardinibus, effractum fuit. Alii spectabilioris conditionis quidam, viam sibi invenerunt trans murum vicinae domus; aegreque submota turba fuit, affixa ad plateae angulos scheda, qua denuntiabatur, sequenti die exponendum in ecclesia S. Walburgis omnibus spectabile corpus. Prius tamen quam adeo difficilis esset ad domum aditus, contigit illuc accedere vitae impudicae mulierem, quae fassa est, quoties ingressum tentabat, toties occulta semper vi se repulsam fuisse, prout Mariae Aegyptiacae contigit, ad sepulcrum Domini accedere volenti.

VII. Interim deliberabatur de modo Annam sepeliendi, eo quo optaverat loco, id est, ante conditorium Venerabilis Sacramenti; quando ab honesto et opulento cive, qui mortuariam

Digitized by Google

domum ingredi non potuerat, chirographum venit, offerens ad opus tam pium novam cryptam, quam sibi suisque eodem loco construi fecerat, ubi hactenus non nisi cadaver unum positum erat. Haec crypta, quasi divinitus offerretur, gratanter acceptata, dum paratur, die xv Ianuarii, hora secunda nocturna, quam secretissime potuit, elatum est corpus ad praedictam ecclesiam, absque ulla pompa, non tamen absque comitatu praecellentium quarumdam personarum, et multa turba vicinorum. Hora tertia celebrata Missa funebris fuit; apertoque sarcophago, omnibus facta facultas inspiciendi corporis, eam quam dixi speciem conservantis, suaveque olentis, donec inferretur in cryptam praememoratam. Non fuerunt eo facto contenti Aediles; sed praesumentes haud ita cito obliterandam memoriam tam sanctae virginis, quin potius fidelium concursu frequentandam, ob ea quae se dabant indicia gratiarum, per ipsam divinitus impetrandarum, censuerunt quaerendum locum corpori seorsim venerabilius habendo. Est autem electa sub gradibus chori devota crypta, aeque vicina Sacrario, ubi est altariolum, super quo iacet Christi ad sepulturam compositi lapidea effigies, cui adorandae Anna assueverat, suas ut plurimum meditationes istic peragens. Illic constituerunt, reluctante quamvis saxoso fundo, novum sepulcrum fodere, in ipsumque transferre corpus ex priori crypta, ubi iam tredecim dies steterat.

VIII. Apertus ergo iterum est sarcophagus, et expositus in media ecclesia, admirantibus omnibus qui accedebant corallinum in labiis nitorem, membrorumque flexibilitatem, brachii imprimis illius, in quo tam multa fuerat passa; quodque ei aliquando per visionem monstratum fuerat unionibus gemmisque pretiosis ornatum. Nec minori miraculo erat absistens inde odor gratissimus, prout etiamnum testantur ii, quibus licuit nares propius admovere ori defunctae. Aderat inter

Digitized by Google

alios Annae ex fratre nepos, *Don Iosephus de Torres*, ea de causa ex vicino praesidio progressus : qui, visa tali specie amitae suae, exclamavit : Ah quam illa angelico decore nitet ! Nunc abstersus est omnis dolor meus. Certe luctari exhinc cum fortuna desiit; et cum Principis Vaudemontiae commendatione Mediolanum missus, atque honoribus militaribus auctus fuit. Post haec in destinatam cryptam novumque ad id comparatum loculum translatum est corpus venerabile cum inclusa eidem ex albo, ut vocant, ferro capsula, authenticorum de ipsa defuncta instrumentorum, si forte aliquando Deus grandius aliquid de Anna decernat. Ne tamen continuo illic deponeretur, obstitit accurrentium multitudo, coegitque sarcophagum tantisper abdere in vicinam camerulam. Ibi ille quatriduum delituit, devote vigilantibus ad ipsum semper aliquibus; qui ne algore nimio deficerent, structus in medio est ex carbonibus foculus, absque ulla (quod in exiguo locello, et praesente cadavere mirabilius fuit) huius vel illorum noxa. Nova autem arca tribus seris clausa fuit, quarum claves archivio Episcopali illatae sunt, et die ultima Ianuarii, in praeparatum sibi locum posita est, hora decima antemeridiana, in comitatu spectabilium utriusque ordinis personarum, Dominis Aedilibus succollantibus : qui deinde imposuerunt sepulcro grande et politum saxum, in quo sculptis ex candido marmore litteris hoc epitaphium teutonice legitur : *Requies devotae Virginis Annae de Torres, defunctae anno aetatis* XXXV, *Christi* M.DC.XCVIII. Ex candido etiam marmore cernitur sculptum eodem in lapide simulacrum cordis inflammati, decussataque cum ramo liliorum cruce quasi transfixum : subtus quod idem annus mortis exprimitur, vernaculo hoc chronico :

DEESE REYNE SIEL VOOR 'T LYDEN
VERWACHT HET EEUWIGH VERBLEYDEN.

Digitized by Google

Quo significatur, *puram defunctae animam pro malis perpessis, gaudia praestolari aeterna.*

IX. Hactenus epitome vitae, anno M.DCC.X lingua nostra hic editae, auctore F. V. O. C. S., id est, *Fr. Vander Weyden, Ordinis Cisterciensis Sacerdote.* Religiosus hic in Boudeloensi Ordinis Cisterciensis Abbatia, est frater Domini vander Weyden, frater germanus, ut intelligo, phonasci in Basilica S. Mariae, eius apud quem Anna quatuor annos fuit commorata. Ab hoc ergo simul et a Confessario potuit scriptor certius informari de argumento proposito, materiamque accipere, cui stylum ordinemque adderet, pius sane nec ineruditus; qui si in nostris Sanctorum Actis fuisset versatus, et diuturnam Annae a cibo potuque abstinentiam, exemplis inde desumptis, probare voluisset, invenisset ad diem XXII Martii, vitam et miracula *Nicolai Eremitae*, Saxulae sive de Rupe, Constantiensis Dioecesis; in eaque similem aut maiorem annorum XX inediam toti Helvetiae notissimam, et sanctitatem tot miraculis testatam, ut ad solemnem eius Romae canonizationem faciendam desit nihil praeter ultimum Apostolicae Sedis oraculum, processibus omnibus pridem absolutis.

Obiit ille septuagenarius, anno M.CCCC.XVII, quando fortassis adhuc in Franconia Eichstadii vivebat *Soror Friderada*, post varias curationes S. Walburgis intercessione obtentas, eius monasterio in perpetuam servitutem oblata; de qua agit miraculorum Eichstadiensium scriptor Wolfhardus, tanquam anno M.CCC.XCV ad festum S. Martini, eodem modo prorsus ieiuna, ab anno uno alterove, aut saltem a pluribus mensibus. Legat qui volet miraculorum praedictorum ultimum, tomo III Februarii, pag. 540 et seqq., et inveniet rem, Episcopo loci per certissima experimenta compertam; solumque dolebit, aliunde nesciri, quem finem ea Soror habuerit, et quamdiu porro sic impasta vixerit.

Digitized by Google

X. Mense Februario advenit huc Iesuita Bohemus, secum ducens Regem unum Americanum, qui a dicto Patre Baptizatus, cupiensque propius cognoscere res Christianorum in Europa, de quibus tam multa inaudierat, et obedientiam Summo Pontifici per se ipsum deferre, regnum suum, quod post Carthagenam et Panamam habebat plus quam centum milliaribus patens circa lineam aequinoctialem, fratri suo commiserat, et filium secum duxerat; qui reversus sibi testis foret omnium quae vidisset. Persuadebat enim sibj non solum regnum suum totum, sed plurima alia per Americam fidei Christianae accessura, si sanctitas et splendor Religionis Christianae, et gentium Europaearum maiestas, ac politia per testes oculatos, conterraneos suos, innotescerent populis illis, res patrias, quas solas norunt, aestimantibus. Sed neque filium huc perduxit, in via mortuum; neque ipsemet rediit, in collegio S. Iesu Bruxellis defunctus, morbo ex potus cibique nostratis insuetudine verosimiliter contracto. Nescio tamen an valde dolenda mors ea fuerit, quia Regis ministri valde dubitabant, an adventus eius gratus futurus esset Hispanicae Aulae, cuius iussu talem personam adduci in Europam, non omnino utile videbatur politicis, humanas solum rationes spectantibus; maxime cum Pater ille nullis esset munitus litteris aut viceregis aut Superiorum suorum, clandestinam ex America egressionem minime probantium. Interim pio spectaculo fuit civibus Antverpiensibus, decoro in habitu ministrans Sacro ipsius Patris, cum adiutorio unius famuli, ingeniosi pueri, quem iam iam devorandum dentibus barbarorum redemerat Pater, aliquot frustis vitri Europaei istic pretiosi. Iussus autem est Pater redire in suam Bohemiae Provinciam, nec reditum in Americam sperare aut tentare; neque enim Societas solet in suis probare zelum, quantivis boni praetextu incitatum, quem non dirigat obedientia. Interim asservantur Bruxellae Regis

Digitized by Google

illius arcus, sagittae et gladius, ex gentis more factus eleganter satis.

XI. Propius spectat Antverpiam quod, per pacem, superiori anno conclusam publicatamque, exhilarata Civitas, post varias cum Episcopo Capituloque consultationes, censuit amburbalia sua, ante hos paucos annos desita, post Pentecosten duci, diutius deinde intermittenda, vel usque in Augustum differenda, nunc saltem resumenda esse, et quidem quam antea umquam splendidius, ad diem xxv Maii, in quem casura erat Dominica Trinitatis, quia Pascha fuerat celebratum die xxx Martii. Data igitur Aedilibus cura est, ut machinas omnes tali occasione circumduci solitas, reparandas instruendasque curarent; deinde Societatis Iesu Gymnasiarchas rogarunt, ut earum unam peculiari studio ornandam susciperent, quae sua novitate et elegantia, ceteris videri consuetis gratiam adderet; quod eis ex voto et exspectatione Magistratus successit; nisi quod per tempora non licuerit, pari deinceps splendore quotannis eamdem pompam iterare, non dico bis, sed ne semel quidem. Ergo, ne contingat non solum ipsas machinas, situ et carie obsoletas, cessante earum usu perire, non solum ab oculis, sed etiam e memoria hominum, placet earum ordinem ac formam, una in lamina collectam exhibere, deinde describere singula paulo distinctius quam factum anno M.DC.LXXXV.

XII. *Amburbalia* celebrabat antiquitas Romana, ducendis circum Urbem victimis, pro civium incolumitate mactandis; et maiores nostri fortassis etiam tale quid in usu habebant, circumvectis Deorum suorum simulacris. Popularem ex huiusmodi festis laetitiam non prorsus abominata Religio Christiana, conversis ad fidem Ethnicis multa semper indulsit, quibus publica hilaritas certis occasionibus sic foveretur, ut, superstitione reiecta, ipsa etiam conferrent aliquid ad Dei

Digitized by Google

Sanctorumque cultum gratiorem populis faciendum. Ita S. Gregorius Mellito Episcopo rescribens, Lib. x, Epist. LXXI, postquam statuit idolorum fana non destrui, sed expiari debere, addit hoc praecipi a se : *ut qui boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debeat his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illic Reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solemnitatem celebrent; nec diabolo iam animalia occidant, sed donatori omnium de satietate sua gratias agant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora facilius consentire valeant.* Hoc secuti passim fideles, consueverunt ecclesiarum suarum encaenia celebrare quotannis, atque post peracta rite intra ecclesiam mysteria sacra, procedere per ambitum eiusdem, non sine spectaculis quibusdam, initio profanis, progressu tamen piis, et bonas cogitationes ingerentibus. Nemo igitur vel haereticorum irrideat, vel male tristium ac severorum prohibeat quae fieri videt in amburbalibus pompis tali ratione institutis.

XIII. Promoventur ergo in Antverpiensibus spectacula currulia, profana primum, deinde sacra; atque ante omnia, speciosa NAVIS, quasi supra undas occultis subtus rotis celerrime invecta, non tanta quidem quin transire per omnes, quibus pompa ducitur, vias possit; speciem tamen habens perfectissimi operis. Instructa est enim omnibus suis armamentis ac triplici malo, ad instar maxime bellicae, per cuius latera, funes, et carchesia, ad puppim et proram discurrentes epibatae iuvenes nautica omnia ministeria obeunt, tympanis, tibiisque celeuma cantantibus; et duabus cymbulis, quasi remigio actis, eidem adnavigantibus. Navi succedit PISCIS, eodem invectus modo, quasi per aquas, non quidem *balaenae* formam habens, quamvis ita vulgo appelletur, DEN WALVIS,

Digitized by Google

sed fluvialis piscis solaque enormi magnitudine differentis a communibus : ore interim et branchiis lympham copiosam eiiciens in circumstantes. Huic quasi circumstant *Delphines* duo insessi ac fraenati a Cupidinibus, qui nolis ad habenas pendentibus laetum clangorem cient. Ipsi vero *Balaenae* insidet ARION, fidibus canens. Et hae machinae Nautarum atque Ichthyopolarum sunt.

Eodem fere spectat CURRUS MARINUS, simili ingenio subvectus, nemine qui promoveat apparente. In eo praecedunt SIRENES duae, pube tenus mulieres formosae, et pedibus anterioribus ad natationem aptatis, aquam quasi sulcantes, reliquo corpore in piscem abeunte, contorta inferne cauda. Post has hippopotami duo, similiter in piscem desinentes currumque trahentes, cui sub excelso throno insidet tridentifer NEPTUNUS cum sua AMPHITRITE, seu, mavis THETIDE, circumnatantibus TRITONIBUS sex, buccinasque marinas inflantibus. Hunc currum factum aiunt honori Archiducum ALBERTI et ISABELLAE ; et quia altior ceteris erat ac latior, deiectam fuisse portam Ioanniticam, quae sola ex veteribus tunc restabat.

XIV. Succedit species ELEPHANTIS, ad vivum expressi, proboscidemque quaquaversum iactantis, qualem hic primum Antverpiae visum anno M.CCCC.XLV testantur chronicae; cuius dorso insistit volubilis supra globum *Fortuna*, et in omnem partem circumagitur, cum epigraphe inscripta basi : *Sors omnia versat.* Hic elephas, sicut et ceterae machinae sequentes, protrahitur ab equis binis vel quaternis, quaedam etiam a senis.

Omnes autem mole sua et structurae elegantia superat GIGAS, ad Romanae militiae modum efformatus per *Petrum ab Alosto*, Caroli V Pictorem et Statuarium, eumdem qui, anno M.D.XLIX, arcus et machinas, Philippo Principi urbem ingredienti erectas, architectonica methodo delineandas curavit, sicut ligneis tabulis insculptae habentur. Expressus est autem GIGAS noster,

Digitized by Google

cum galea et thorace, qui si in pedes assurgeret ab ea, cui insidet, quadrata basi, plurium domorum tecta attingeret. Interim gravi supercilio caput in dextram laevamque torquens, despicit subiectos; basi autem cui insidet, inscribitur hoc lemma:

Magnanimos fecit virtus generosa Gigantes:
Brabonis reperit fabula prisca fidem.

Mirum est adeo grandem figuram non tantum tam perfecte formari texique potuisse, ut ingeniosissimi quique sculptores eam mirentur; sed etiam tam levem, ut currui gravi impositus, cum eo ab equis sex protrahi commode possit. Praeferuntur ei *praecisae manus*, Urbis Antverpiensis tessera, et, ut vulgus putat, occasio nominis. Sequitur *progenies gigantea,* trium filiorum et totidem filiarum choreas agentium, et vasto capite lateque extenso thorace bene crassos pueros referentium, cum sub iis lateant viri perquam proceri; habitu autem Germanico, Hispanico, et Gallico, discernuntur terna paria; olim quidem pedibus solita ambulare, nunc vero circumferuntur in theatro, quo facilius ab omnibus spectari possint dum saltant, et residere dum a saltatione cessant. Giganteae familiae in equo superbe phalerato succedere solet fabulosus aeque ac gigas BRABO, in gladio efferens praecisam isti manum, cum turma selecta studiosae iuventutis, quae Romano cultu induta, equestris etiam ipsa est et lanceata.

XV. Post hanc biceps PARNASSUS provehitur lauro plurima consitus, et fontibus vario ductu erumpentibus irriguus, amoeno autem eo concentu, quo aures mulcet supremus insidens cytharoedus APOLLO, cum suarum novem MUSARUM choro, vocibus fidibusque paeana laetum victoribus praegressis accinentium. Memini ex unico olim eius vertice, in sinistrum latus prosiliisse equum candidum alatum; nunc biceps est

Digitized by Google

mons, interque duo eius iuga, super caput Apollinis, subvolat idem equus, sed priori grandior. Denique profanorum spectaculorum agmen ultima claudit VIRGO ANTVERPIA, eo in curru et comitatu, quo solet obviam produci Principibus in Civitatem primum venientibus. Horum ut ab advenis quoque species offerri possit domumque referri, passim venalis prostat pedum..... rotulus, quem placet elegantiori celo, quam ille in tabulis ligneis exsculptus sit, excipere in aes, sed forma minori, ex quadrata unius folii lamina, ubi eadem pompa in spirae formam circumducitur, atque hoc loco spectanda proponitur priusquam ad sacra spectacula veniatur; quae tamen ipsa hic non desiderabis, sed repraesentata videbis mysteria historiae Evangelicae praecipua, quemadmodum in congruis cuique mysterio vehiculis, personae ad hoc delectae exprimunt.

XVI. In primis ergo huius sacratioris ordinis curribus habes primo, MARIAM VIRGINEM ab Angelo salutatam; secundo, eamdem cognatae suae ELIZABETHAE considentem in choro virguncularum, gradatim collocatarum; tertio PUERPERAM in stabulo Bethlehemitico, cantantibus circum Angelis, et Pastoribus pone gratulantibus Messiae nato. In quarto curru VIRGO eadem, tribus circumsedentibus MAGIS, a stella supra stabulum stante eo adductis, exhibet filium adorandum; et mox alio in curru eumdem offert sacerdoti in templo, adstantibus SIMEONE et ANNA atque IOSEPHO; quem, ut vulgus novit lignarium fabrum, habet is in promptu omnia suae artis instrumenta, et supra illius currus peribolum haud instrenue opus facit quamvis loco non suo. Magorum autem assecla CAMELUS, cui venustus iuvenis quasi Princeps regius insidet, post currum Epiphaniae Dominicae properans, et habenarum motu tintinnabula eis affixa pulsans, huc illuc discurrit, cum praesultore Aethiope atque utriculario tibicine,

Digitized by Google

ad cuius numeros procedunt baiuli, sub defluente undique a cameli dorso et pectore usque ad terram veste, sic latentes ut peregrini animalis pedes non requiras.

XVII. Quae post haec sequi possent Dominicae PRAEDICATIONIS, PASSIONIS, RESURRECTIONIS atque ASCENSIONIS documenta, maluerunt maiores nostri, pompae totius instructores primi, praetermittere, quam cum periculo irreverentiae, Christo redemptori debitae, committere theatraliter repraesentanda hominibus, haud satis decore divinam eius personam gesturis. Quapropter etiam illum infantem, neque in praesepi iacentem, neque adoratum a Magis, neque oblatum in templo, quem alias vivus puer referre potuisset, aliter adhibendum putaverunt, quam muta in imagine figuratum, prout res exigebat. Quid igitur? An nihil istorum spectandum offerrent? Modum hunc invenerunt, ut navalis mali excelsam arborem supra plaustrum erigerent, unde tamquam rami procederent orbiculi septem ex una, totidem ex altera facie; inter quos alte evectae virgines sederent, idoneae DEIPARAM repraesentare : hinc dolorosam et gladio pectus transfixam, in eo vestium colore qui moestitiam significaret; inde gloriosam, cum corona et sceptro ac laeto cultu, velut inter coelites regnantem. In ipsis vero orbiculis, rosarum formam habentibus, depicta cernuntur utriusque conditionis Mysteria, septena et septena; eodemque spectat geminus hinc inde consessus virguncularum, simili vestium discrimine gradatim dispositarum, ad pedes ipsius arboris.

XVIII. Verum haec Marianis encaeniis aptiora sunt quam Pentecostalibus. In his ergo placuit substituere currum, cui inaedificatum est coeleste palatium, sex columnis tholum speciosum sustinentibus; infraque hunc divinae Maiestatis thronus est, insessus a tribus unius Divinitatis Personis, tam apte effigiatis, ut vultus, aetas, statura, ipsa quoque vestis

Digitized by Google

talaris, alba, cum pretiosa ex usu chori cappa, omnibus per omnia simillima sint, solisque suis symbolis, globo scilicet, cruce et columba discernantur; interim dum circumfusi angelica specie alati musici SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS iugi canore concrepant.

Alterutrum praedictorum curruum sequitur semper EXTREMUM IUDICIUM, in quo coelesti iridi insidens CHRISTUS, magna cum gravitate effictus, sedentibus ad latus personis, Deiparam et Ioannem Baptistam repraesentantibus ex usu veteri Graecae Latinaeque Ecclesiae in pingendo Extremo Iudicio. Inferne autem ex virenti coemeterii campo exsurgunt mortui, usque ad umbilicum, apertis sepulcris quasi egressuri, absque ullo capitis corporisve ornatu, sola linea interula tecti, angelis ex utroque iridis praedictae latere ferales tubas inflantibus, redivivosque mortuos ad tribunal citantibus. Denique totum agmen claudit et salubrem peccatoribus horrorem incutit occultis subvecta rotis Inferni species picea flamma pleni et cum foetore fumigabundi; unde etiam absistunt et subvolant undique pulveris sulphurei tela, et a flammis circumquaque pictis terribiles daemonum formae existunt, taedis ardentibus et ferreis ungulis minaces, horrendumque stridentes. Toti autem machinae insidet terribilior ceteris LUCIFER, quatuor alis instructus humeros non plumeis, sed membraneis, quales vespertilionum sunt, congruoque sibi sceptro ac flammea corona pallioque, et ad salubrem pueris terrorem incutiendum, prae se habet puerum, quasi unum ex damnatis ob malefacta.

XIX. Hic erat hactenus amburbalium Antverpiensium apparatus, qui quomodo ductus hisce encaeniis fuerit, explicabunt *Ludi solemnes, in triumpho Pacis a Senatu Antverpiensi Populo dati, ipsa Anniversaria Encaeniorum die, per studiosam iuventutem Societatis Iesu, die* XXV *Maii,* M.DC.XCVII, de quibus

Digitized by Google

editus praelo libellus, sic orditur: « Ludi solemnes et cursus » equestres non huius tantum sunt temporis : erant et olim » Graecis iuxta ac Romano populo usitati, multisque locis » veterum poetarum versibus et antiquis librorum monu- » mentis, Circensium et Megalensium nomine, celebrati. Quin, » si Virgilio fides, Aeneidos V:

Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes:
Albanos docuere suos; hinc maxuma porro
Adcepit Roma. »

XX. « Atque hinc hodie, huius Urbis Senatui Amplissimo, » summisque Reipublicae Rectoribus ac Praesidibus placuit, » more tam veteri et exemplo tam laudabili, felicibus almae » pacis auspiciis, ludo pompaque equestri morari populum, » prae longo bellorum et calamitatum lassitudine anhelantem; » et, fieri si possit, leniori aura afflatuque felicioris aevi erigere » paulisper animos, quos iniuria publicorum temporum et » armorum perpetuus horror deiecerat. Est et huic Urbi, » ex situ et natura loci, negotiandi mercandique studio, quo » floruit, et tractandis artibus, quibus praecellit, non amica » tantum Pax, sed et prae ceteris perquam accommoda; et » ipse Urbis populus cliens Mercurii est, otio gaudentis et » pace. Hinc iucunda grataque memoria repetens ab antiqua » origine primos, tum suae gentis Principes, dum viverent » pacis ac patriae acerrimos vindices, tum externos aetatis » suae Heroas magnanimos (quos novit belli armorumque » societate publicis rebus commodasse, et nunc hodie intel- » ligit ad pacem communem operam atque animum contulisse)

Digitized by Google

» eos omnes, quamquam longinquis inter se locorum et » temporum spatiis sint seiuncti, sub unum aspectum ponere, » et equestri cursu in theatrum Pacis gestit inducere, ordi- » nem hippodromiae omnem in duas acies dividendo. »

XXI. Primam aperit GODEFRIDUS BULLONIUS, ut qui aetatem nostram attingit propius, S. R. Imperii Marchio, ac loci huius olim Dynasta, perque veterum Brabonum seriem ascendens ad eum, qui agmen hoc claudit, ex veteri traditione dictus, si credere lubet, SALVIUS BRABO, qui vulgo dicitur, praecisa giganti dextera, primam antiquis temporibus pacem Antverpiensi populo et rem restituisse. Secundam aciem recludit CAROLUS XII, Sueciae, Gothorum et Vandalorum Rex, qui aetatis nostrae confoederatos Europae Principes, quasi manu, ducit ad pacem : ac primo quidem eos, qui sunt extra Imperium Romanum; tum Dynastas ceteros ac Electores Imperii, cum Augusto Caesare LEOPOLDO I; ac demum Hispaniarum et Indiarum Regem ac Belgarum Principem, CAROLUM II, quem in aevum sempiternum Deus benigno numine servet. Accipe nunc seriem rei totius, et ordinem sigillatim.

XXII. GODEFRIDUS BULLIONIUS, cui in manu est labarum, hinc insignia Marchionatus Sacri Imperii impressa habens, inde epigraphen : *Deus vult*, quae erat sacri belli tessera militaris; in sinistra autem scutum cum cruce tesseraria sacrae militiae. Tum maiores illius sursum numerandi nominibus verosimiliter a Caukerkio suggestis, tamquam Principum Tungriae et Ducum Brabantiae WERRIUS et GODEVARDUS; GODARDUS et OCTAVIUS, sumpta omnibus hac ex Virg. XII. 347 epigraphe :

Antiqui proles bello praeclara Brabonis.

SALVIO autem BRABONI aptabantur ex Horatio, lib. IV, ode XIV, hemistichia haec :

. . . . . *immanemque Rhaecum*
Auspiciis pepulit secundis.

Digitized by Google

et CAROLUS BRABO, Salvii filius, ex eiusdem Horatii lib. III, od. I, laudabatur ut

Clarus giganteo triumpho.

Agmen denique claudebat ipse SALVIUS BRABO, alii Silvium vocant, et Iulii Caesaris commilitonem, tamquam primus Brabantiae Dux; quem memorant, imo fingunt, uxorem habuisse Swanam, sororem *Octavii* vel *Octaviani*, per eamque, fratris sui heredem unicam, factum Principem Tungrorum ante Christum natum anno LI; a quo percussus GIGAS ille fertur post illos omnes in hac serie spectandus, qualem supra descripsimus.

XXIII. Secundam turbam ducebat prodromus GENIUS PACIS, dextra gerens labarum, cui inscriptum ex una parte hoc Virgilii lib. XII. :

Ingentes, geniti diversis partibus orbis,
Inter se coiere viri.

Ex altera parte, ex eiusdem Virgilii lib I. :

...... *Dirae ferro et compagibus arctis*
Claudentur belli portae.

Idem Genius sinistra insertum habebat scutum, cui inscripta duae utrimque coeuntes manus, cum hoc subscripto ex Virgilii lib. II.

...... *Coeunt in foedera dextrae.*

Genium Pacis sequebantur Principes, qui ad eam sanciendam concurrerunt, et horum singulos in equis praecedebant exercituum ab eis bello submissorum generales duces duo, hoc ordine.

XXIV. Exercitus Suecici generales duo cum sui Regis insignibus, alter subscriptum habens, ex Virgilii lib. XII.

...... *Ego foedera faxo*
Firma manu.

Digitized by Google

Alter ex Horatii lib. II, od. XIX. :

. . . . *sed idem*
Pacis erat mediusque belli.

Tum CAROLUS XII, Gothorum ac Vandalorum Rex, Pacis arbiter.

Sequebantur bini generales confoederati Belgii, ambo habentes scutum, fasciculo telorum insignitum; quorum alteri ex II serm. Horatii subscribebatur :

. . . . *terraque marique.*

Alteri ex Virgilii lib. XII.

. . . . . . *Pars belli non temnenda.*

Deinde GENIUS BELGII CONFOEDERATI, aliud suorum Statuum caput non habentis.

XXV. Anglicani exercitus duces duo, cum splendente utriusque in scuto periscelide aurea, sub epigraphis ex Horatii lib I, ode VI sumptis, una :

Scriberis. . . . . fortis et hostium
Victor.

Altera :

Quam rem cumque ferox navibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Tum GUILIELMUS III, Magnae Britanniae Rex.

XXVI. Hippodromiae huius partem secundam tenebant *Principes et Electores S. Romani Imperii*, eamque ordiebantur duces exercitus Lotharingici cum labaris insignia Domus Lotharingicae praeferentibus. Symbola erant uni ex Virg. X. :

. . . . . *Patriae subit aemula laudi,*
Spes tua.

Alteri ex Virg. XII. :

. . . . . *Connubiis pacem felicibus, esto,*
Componas.

Tum LEOPOLDUS I, Lotharingiae et Barri dux.

Digitized by Google

XXVII. Palatini exercitus duces, cum insignibus Palatinatus et suo quisque labaro coronam continente, cum epigraphis, unus ex Virgilii x. :

...... *Haud expers virtutis avitae.*

Alter ex eiusdem Virgilii lib. vii. :

.... *Avis atavisque potens.*

Tum GUILIELMUS IOSEPHUS, Elector Palatinus, Archithesaurarius S. R. Imperii.

XXVIII. Generales duo Brandeburgici cum clavae, sui Ducis insigni in labaro, et epigraphis ex Virg. lib. x. :

..,......... *Vivida bello*
Dextra viro est.

et,

..... *Animusque ferox, patiensque pericli.*

Tum CHRISTIERNUS ERNESTUS, Elector, Marchio Brandeburgicus, Archicamerarius S. R. Imperii.

XXIX. Exercitus Saxonici generales duo, labaro habentes inscripta insignia sui Ducis, cum epigraphis Virgilianis, ex lib. vii. :

Non erimus regno indecores.

Et ex lib. iv.

..... *Et nos fas extera quaerere regna.*

In scutis autem fulgebat ensis.

Tum FREDERICUS AUGUSTUS, Rex Poloniae, Elector et Dux Saxoniae, Archiensifer S. R. Imperii.

XXX. Exercitus Coloniensis generales duo, cum labaro Domus Bavaricae unus, et epigraphe ex Virgilii lib. vi.

...... *Pariter pietate vel armis.*
Egregius.

Digitized by Google

Alter cum labaro civitatis, et ex Virg. lib. vi. :

> . . . . *Ramis insignis olivae*
> *Sacra ferens.*

Utrique autem erat scutum cum litteris, et sequebatur ipse IOSEPHUS CLEMENS, Elector Coloniensis, Archicancellarius S. R. Imperii ex parte Italiae.

XXXI. Electorum Moguntini et Trevirensis generales exercitus, ambo cum litteris in scutis, et labaris suae cuiusque civitatis, atque epigraphis; Trevirensis quidem, ex Virg. II. :

> *Et populum antiqua sub Relligione tueri.*

Moguntini, ex lib. VII Virg. :

> *Cura mihi Divorum aras et templa tueri.*

Tum simul equitabant LOTHARIUS FRANCISCUS, Elector Moguntinus, Archicancellarius S. R. Imperii ex parte Germaniae; et NN. Elector Trevirensis, Archicancellarius S. R. Imperii ex parte Galliae.

XXXII. Palatinus Hungariae, cum sui Regis insignibus et epigraphe Horatiana, ex ode IV, lib. IV.

> . . . . *Neque imbellem feroces*
> *Progenerant aquilae columbam.*

et Cancellarius Austriae cum insignibus Austriae et hoc ex Virg. lib. VI. lemmate :

> *Nec quisquam* Austriaca *de gente Latinos*
> *In tantum spe tollet avos.*

Tum CAROLUS FRANCISCUS, Archidux Austriae, atque IOSEPHUS IACOBUS, Romanorum et Hungariae Rex.

XXXIII. Imperatorem denique ipsum hanc partem clausurum praecedebant Caesarei exercitus generales duo cum

Digitized by Google

insigniis Caesaris in labaro, ex epigraphis Horatianis, una ex lib. IV, ode XV. :

Per te Latinum nomen et Italae
Crevere vires;

altera :

...... *Famaque et imperi*
Porrecta maiestas ad ortum
Solis.

Tum LEOPOLDUS I, Imperator semper Augustus, quem sequebatur currus Ditionum et Civitatum, quae numero quindecim, per pacem Caesari et Imperio sunt redditae.

XXXIV. In hoc curru primum et principem locum obtinet PAX, sinistra manu gerens ramum olivae, dextra sceptrum, ad pedes scutum, cum hac epigraphe ex Virgilii lib. XII. :

...... *fer sacra, et concipe foedus.*

Ad dextram PACIS, sedet NYMPHA IMPERII, cum corona Caesarea in capite et scuto ad pedes, atque hoc ex Virgilii lib. XII, hemistichio :

Esto nunc, Sol, testis.

Ad sinistram NYMPHA GALLIAE, cum corona liliata in capite, et scuto ad pedes, cui inscriptum alterum versus prioris hemistichium :

...... *et haec mihi, Terra, precanti.*

Nymphae autem ambae sedent iunctis inter se utrimque manibus, cum epigraphe ad pedes utriusque protensa, ex eodem Virgilii lib. XII. :

.... *Paribus se legibus ambae*
Invictae gentes aeterna in foedera mittunt.

XXXV. Ditiones autem et Civitates per Pacem redditae,

Digitized by Google

dextra gerebant, primae quidem quatuor, PHILIPPOPOLIS scilicet, BRISACUM, FRIBURGUM et KEYL, labarum cum insignibus Caesaris, ad quem redibant, sinistra scutum sibi proprium; et labaro quidem suo habebat PHILIPPOPOLIS inscriptum ex Horat. lib. IV, ode XV. :

Custode rerum Caesare;

et huic principi subiungit BRISACUM :

. . . . Non furor
Civilis.

FRIBURGUM :

. . . . . Aut vis exiget otium.

KEYL :

Non ira, ... quae,
Miseras inimicat urbes.

PALATINATUS, LOTHARINGIA, BIPONTIUM, MONTBELLIARD, TREVIRI, SPIRA, WORMATIA, GERMERSHEIM, TRARBACH, EBERNBURG, KIRNBURG, suo quaeque ordine sedebant, instructae labaro, cui hinc inscripta insignia Principis ad quem redeunt, inde hoc Virgilii lib. IV. :

. . . . . . Imperioque iterum paremus ovantes.

XXXVI. In parte hippodromiae tertia, ephebi sex praecedebant Ducis Bavariae filios duos, ferebantque in vexillis primus, ex Virgilii lib. IX. :

Ante annos curamque gerens animosque viriles.

Secundus ex lib. VI. :

. . . . . . Quantum instar in illo est!

Tertius ex lib. VIII. :

. . . . Tua cernere facta
Adsuescant.

Digitized by Google

Quartus ex eodem :

. . . . . . *Primis et te mirentur ab annis.*

Quintus ex lib. v. :

In antiquam virtutem animosque viriles.

Sextus ex lib. VIII. :

Et pater. . . . . et avunculus excitet.

Sequebantur autem IOSEPHUS FERDINANDUS, Princeps Electoralis, et Princeps ALBERTUS MAXIMILIANUS.

XXXVII. Duces exercituum Bavarici et Hispano-Belgici : ac primus quidem tenebat labarum cum insignibus Ducis Bavariae et cratere, talique lemmate ex Horatio, lib. IV, ode IV. :

Fortes creantur fortibus.

In alterius scuto erat Leo Belgicus, cum alio lemmate ex eiusdem libri III, ode II. :

. . . . . . *Ne rudis agminum*
. . . . . . *Lacessat asperum*
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Tum MAXIMILIANUS EMMANUEL, Dux Bavariae, Archidapifer S. Rom. Imperii, et Belgii Gubernator.

XXXVIII. Regem Hispaniae clausurum hanc partem praecedebant ipsius Ministri praecipui duo, Conestabilis et Admirantius Castellae, cum labaris Monarchiae Hispanicae et scutis Aurei Velleris atque epigraphis, unus quidem ex lib. VII Virgilii :

Sive fide, seu quis bello est expertus et armis,
Dextra potens :

Alter, ex Horatii lib. IV, ode II. :

Quo nihil magis meliusve terris
Fata donavere. . . . . nec dabunt.

Digitized by Google

Eumdem Regem etiam praecedebant ephebi duodecim, Hispanico vestitu omnes et aperto capite, instructi singuli face ardente ex cera virgine, hoc ordine :

† † † †
† † † †
† † † †

Tum CAROLUS II, Hispaniarum et Indiarum Rex, Belgarum Princeps.

XXXIX. Subsequebatur currus Civitatum ipsi per Pacem redditarum; quae singulae eius insignia in labaro praeferebant, in scutis vero propria sua; subtus autem epigraphas ex odis Horatianis sic sumptas, ut sicuti sedebant binae, sic duarum epigraphae versum unum integrarent : BARCINONA et LUTZEMBURGUM ex lib. I, ode II. :

Serus in coelum redeas, diuque
Laetus intersis populo.

MONTES et CAROLOREGIUM, ex lib. IV, ode V. :

Lucem redde tuae, — Rex bone, patriae.

GIRONA et ATHUM :

. . . . . *Desideriis icta fidelibus*
Quaerit patria.

CAROLUM, CORTRACUM, BELVER et ROSAE :

Longas o utinam! Praestes Hesperiae,
Rex bone, ferias.

XL. Hae autem Civitates isto in curru habebant locum infra thronum, ubi sublimis sedebat PAX, gerens sinistra ramum olivae, dextra sceptrum, et in scuto ad pedes ex Virgilii lib. VIII lemma :

Accipe, daque fidem.

Digitized by Google

Sub ipso autem scuto videre erat prostratum MARTEM, cum hoc ex lib. I sesquiversu :

. . . . Et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremit horridus ore cruento.

Infra Pacem sedebant Nymphae duae, iunctis inter se manibus HISPANIAM et GALLIAM referentes, mutuoque in subiectis ex lib. Virgilii XII epigraphis, sic iurantes : HISPANIA quidem : *Tango aras;* GALLIA vero : *Et sidera testor.* Deinde in longiori sub ambabus rotulo :

Nulla dies pacem hanc nobis et foedera rumpet.

Sed haec tam fausta et bene concepta vota, quam cito heu! mors CAROLI Regis, intra biennium secuta, difflavit, bellumque prioribus crudelius suscitavit!

XLI. Interim descriptam hactenus pompam sequebantur mons PARNASSUS et currus NYMPHAE seu VIRGINIS ANTVERPIENSIS, de quibus supra; tum repraesentationes Evangelicorum mysteriorum, similiter supra enumeratae.

Hic solum noto postremo ac praecipuo huic currui apte praemitti chorum Musarum, per quas mythologi designare solent artes liberales, si uspiam, Antverpiae florentes etiamnum, licet languidius nonnihil, propter resuscitata bella. Utinam autem post has eidem ultimo currui (ne soli huic parti sua equestris turma deesset) praemittere in equis licuisset binos ac binos mercatores exteros, cum suo cuiusque gentis vel civitatis vexillo aut symbolo ex iis, qui propriam sibi Antverpiam incolendo fecerunt; quidam etiam cum privilegio proprii Magistratus Consulumque, audientium ad primam instantiam subnatas contra vel inter eos lites et controversias, priusquam liceret ad nostrum recurrere : quales erant Lucenses, Genuenses, Florentini, Lusitani, Castellani, Baetici, Prussi, Hanseatici, Hessi, Angli, Aquisgranenses, Norimbergenses.

Digitized by Google

Colonienses, Amstellodamenses; quorum etiamnum ostenduntur Curiae sive Hallae, nec alia fere memoria nunc superest, solis Lusitanis suam domum tenentibus, cum iure Magistratus in ea renovàndi, nunc autem etiam deficientibus. Quam autem instructores huius pompae prudenter caverunt, ipsi miscerent nationes illas, quarum nunc memoria, non laetitiam, sed dolorem paritura erat civibus; sic etiam in praefato Nymphae Antverpiensis curru, iam inde a tempore secti bifariam Belgii sapienter omissa fuit repraesentatio Provinciarum septemdecim, olim unitarum sub uno Regis Hispanici Imperio, Antverpiam agnoscentium communem metropolim. Quod autem in dicto curru septemdecim illae repraesentari solerent, a totidem lectis virgunculis, singulis uniusque Provinciae scutum praeferentibus, docet mulcta anno M.CCCC.XLV iniuncta ei, cuius culpa contigerat vacare locum Brabantiae, ad quem ipsius filia fuerat destinata. Nunc ergo praedictae comites Nymphae nostrae, sine nomine circumducuntur ex ea quam hic iuvat indicasse causa, solique ornatui serviunt.

XLII. Processum est autem nunc etiam longiori quam alias circuitu excursum: a Triangulari puteo usque ad Nosocomium maius, et per Lyranorum curruum stationem flexa ad campum Flandrorum pompa, emensa est maiorem Cammeriam viam, usque ad fossam Latomorum. Hanc autem ingressae machinae (quas huc usque praegressa Ambacta cum Guldis, Clero et Magistratu, porro permiserunt progredi) recta per viam Cammeriam processerunt ad vetus Frumentarium forum. Versus Cathedralem autem tendentes Guldae, quia octava vespertina sonuerat, clausam invenerunt, quamvis consuetudinis esset redire per illam ad Maius forum.

XLIII. Superest explicanda amburbalium pars ultima, numero et mora inter procedendum praecipua: GULDAE, inquam (quas ad notionem vocis Teutonicae, de qua infra, Latino

Digitized by Google

vocabulo satis apte aliqui *iuramenta* vocant), ex toto civium flore sub sacramenti specialis religione collectae ad tutelam Civitatis, quae hac etiam vice splendidius quam alias processerunt. Earum origo, progressus et disciplina meretur hic quoque explicari, dum splendor decrescit in dies. Sic ergo accipe.

Exeunte seculo undecimo, GODEFRIDUS BULLONIUS, cum ingenti Principum virorum numero, et copiosissimo Christianorum Cruce signatorum exercitu transgressus est ex Europa in Asiam: ubi cum, post alias praeclaras victorias, sanctam quoque civitatem Ierusalem a Saracenis potenter recepisset, Rex ibidem communi suffragio dictus est, non tamen coronatus; eo quod indignum duceret aurea istic corona incingi caput, ubi Dominus noster IESUS CHRISTUS spineam gestaverat. Tam laetis et gloriosis successibus excitata iuventus, quae domi remanserat, eodem coepit aspirare, seque ad paria facinora frequenti armorum tractatione praeparare. Hoc ego semen fuisse dixerim, unde nata postmodum militaria civium Collegia sunt, iis potissimum armis etiam nunc solita exerceri ad praemia, quorum maioribus nostris tunc praecipuus usus erat, puta BALISTARIO ac MANUALI ARCUBUS, fistulisque pulverariis, ac denique frameis. *Balistarius arcus* chalybeius est, funeque ex boum nervis contorto tendendus; quia autem flecti nequit absque rota magnoque molimine, ideoque dum tenditur inter genua ad pedes tenetur, nomen quoque ab his accepit, ut *Arcus subpedaneus*, VOETBOOG, dicatur; emittiturque eo sagitta ferrea impetu tanto, ut loricas et galeas, quantumvis densas, facile penetret: et maximum eius apud Anglos fuisse usum, discimus ex Meyero in Annalibus Flandricis, narrante quantas aliquando strages sic armatae turmae intulerint Gallis. Horum Balistariorum Collegium in publicis processionibus,tamquam vetustius ceteris, ultimum locum tenet ante

Digitized by Google

Magistratum; sed, mutato armorum genere, a tempore Ducum Burgundiorum, fistulis pulverariis, aeque ac ceterae Guldae, solerter utuntur, servatis ad privata exercitia balistis; Patronum autem colunt *S. Georgium*, quem in expugnatione Hierosolymitana propitium experti, toti Belgio tam venerabilem fecerunt, ut nullum in eo oppidum videre sit, quod non aliquam S. Georgii ecclesiam, capellam, vel altare habeat. Balistarios proxime praecedunt SAGITTARII, arcui manuali et sagittis ligneis in scopum mittendis assueti, sub patrocinio *S. Sebastiani;* et tam hi quam isti numero paulatim auctiores, quam ut uno Collegio capi possent, bifariam sese diviserunt, discreta quoque appellatione VETERIS ac NOVI ARCUS BALISTAE, subest Vetera ac Nova suis quaeque Capitaneis et vexillis.

XLIV. Quatuor istis accedunt Confraternitates aliae duae (*fratres* enim se mutuo appellant collegae), BOMBARDARIORUM et GLADIATORUM; quorum hi frameis longis largisque exercentur; nullius nunc quidem in militia usus, sed ante pauca secula maximi. Gestamen id erat virorum Principum atque etiam Regum, ut in vetustis eorum imaginibus cernere est. Quin etiam de Alexandro Farnesio, Parmae Principe, apud Stradam legimus, quod in celeberrimo illo navali ad Echinadas proelio, transiliens in Mustaphae Turcici Quaestoris navim e praecipuis unam, et diu frustra oppugnatam a suis, arrepto praegrandi gladio, cui vibrando assueverat, circumducto utraque manu ferro, latam per hostium stragem aperuit militibus suis viam. Guillelmus Castellus post historiam Comitum Tholosanorum, eorum chronicam ex veteri Ms. Vasconico profert, cum uniuscuiusque ibidem antiquitus depicta effigie, usque ad Philippum Regem, filium S. Ludovici; et eorum octo eiusmodi frameam seu rhomphaeam, vel manu tenent vel lateri accinctam; neque hic Antverpiae desunt exempla, tam lata et ponderosa, ut appareat non nisi a robustissimis tractari potuisse. Nostri

Digitized by Google

nunc quidem multo levioribus rhomphaeis, sed non minus longis humeroque gestandis, usu inter plebeios recentiori quam sit usus arcuum et balistarum; neque cohortes integrae iis, ut balistis ac arcubus olim armabantur. Principum gestamen eae erant; itaque serius coeperunt cives nostri ad earum tractationem, ludricam potius quam bellicam, exercere se ipsos; unde fit ut Gladiatorum Gulda (tamquam omnium iunior, sub patrocinio S. Michaelis, qui scenice effigiatur vinctum ante se daemonem agens) prima procedat; hanc ut vetustior sequatur Bombardariorum Confraternitas, grandioribus instructa fistulis; quae ne ictus aberret et directricem manum pondus nimium gravet, inventus est usus furcillarum : cui qui assueverunt, praesertim Hispani, in iis exonerandis crebrius non minus agiles ac faciles sunt quam alii in levioribus suis tractandis. Talium bombardarum non potest fuisse usus antiquior inventione ipsius pulveris nitrati; cuius auctor, quidam monachus *Bertholdus Niger*, post medietatem seculi XIV creditur floruisse. Istorum ergo Collegium non praesumit de vetustate certare cum Sagittariis Balistariisque. Nomen autem habent a *Clavis;* non Herculeis istis (quibus instructi viri duo, frondibus tecti toti, quasi silvestres praecedunt collegas suos in amburbali processu), sed a forma eius ligni, cui imposita fistula ferrea, humeris gestatur, et clavae nomen vulgo sortitur : *Clava* autem Teutonice COLVE dicitur, et hinc ipsam gestantes, COLVENARII, factaque metathesi CLUVENARII : interque eos procedere solet vir procerissimus, qui ut S. CHRISTOPHORI, Guldae istius Patroni, personam melius sustineat, grandibus ad tibias subligatis grallis, in formam gigantearum tibiarum configuratis insistit, ac toto ferme corpore supra ceteros elatus, operose graditur, innixus baculo paris longitudinis, non sine spectantium stupore et horrore.

XLV. Commune omnibus inter procedendum teli genus

Digitized by Google

nunc est lancea aut bombarda; et inter utrosque progreditur Vexillifer, magna cum industria illud identidem explicans, undulandoque per aerem ita ducens, ut dum humum identidem verrere videtur, tangat numquam vel extrema illius fimbra. Extra processiones munus harum Guldarum est varium, inquit Scribanius : olim Principi in custodia et fida lateri manus; occursare etiam adventanti, deducere abeuntem, honorario aut tutelari comitatu solemne aliquando et nunc perstans. Si quid occurrat ab hoste gravius bellorum aut minarum, primi ad arma decurrunt, et loco cuique invalidissimo sunt praesidio. Tenentur supra reliquos cives gravi obstricti iureiurando fidei in Deum, pietatis in Patriam, parentiae in Senatum; ut hoc quasi inenodabili vinculo arctius se innectant, quam ut pavore aut spe lucri, aliena a Republica cogitent, dum se sentiunt tam potenti divini nominis nexu vinculatos. Ita ille in Originibus, pag. 154; atque hinc est cur *Guldam*, quam *Gildam* dicere ac scribere malim, licet utrumvis in usu sit. Nam HULDEN Belgice est fidem alicui iurare, aut Principem inaugurando iuratum obstringere, unde participium GHEHULDE, et per contractionem substantivum GULDE. Ast GHILDE antiquis GHILDE, ut de *pueris* dixerint pridem Teutones, frequentius tamen videntur usurpasse pro *puella* : unde haec nomina propria *Brunichildis*, *Swanechildis*, *Richildis*, etc. Semper autem sonabat molle quid, aut etiam lasciviam et petulantiam connotabat; unde apud Kilianum GHILDE, meretrix; et vicus apud forum pecuarium, in quem aliquando iussa fuerunt scorta publica se recipere, hodiedum DEN GHILDENBERG appellatur.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Marcgravium et litteras Ducis XX *Septembris*, *Sabbato ante Dominicam* XVIII *post Pentecosten*, *actam* XVIII *Maii.*

Digitized by Google

CONSULES. — Dl. Paschasius Ignatius vanden Cruyce IV. — IV. Magister Rochus vande Zande.

SCABINI. — Dl. Gregorius Martens †. — M. Henricus Comperis. — Dl. Io. Aug. de Lannoy. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Io. Carolus van Hove. — Dl. Iacobus de Mont. — Dl. Eduard. van Brounckhove. — Ignatius van Wesenbeke. — M. Pet. vanden Vyvere. — M. Henricus Schut. — — Dl. Carolus de Wit. — M. Io. Adrian. van Uffele. — M. Alexand. van Havre. — Dl. Ioseph. Car. de Cordes. — M. Dominicus Lams. — M. Io. Hubert. Terninck. — Domicellus Ioannes Bapt. della Faille.

ARGUMENTUM.

I-III. Ex horribili grandine caritas annonae, ob quam pistoribus permittitur sequiorem panem coquere. IV. Census animarum in civitate viventium initus.

ACTA POSTERIORA.

I. DIE IX Iunii, ad secundam horam postmeridianam, violentissimus turbo advexerat tempestatem grandinis, adeo (prout etiam antehac anno M.DC.XCIII) magnae, quasi ova columbina, imo etiam ut gallinaria. Haec procella, ex Flandria, per Brabantiam et Campiniam, usque in agrum Leodiensem se promovens, lato dimidiae leucae tractu, contrivit quidquid in ecclesiis domibusque vitrorum reperit, ipsas etiam arbores decorticando; qua praeterita, videre fuit, ubicumque illa ciciderat, totam paulo ante laetissimae messis spem funditus contritam; grandinumque collectos cumulos, priusquam aestivo calore dissolverentur, ad dies aliquantos perseverare, instar glaciei in crustas densatos.

Digitized by Google

II. Detrimentum frugibus inde illatum, magnam attulit annonae per autumnum caritatem, cum neque ex Hollandia frumentum ullum apportaretur, itaque pretium quartalis unius ad sex florenos statim ascendit. Ergo xxiii Octobris, publico edicto vetitum est crematum ex frumento conficere; eiusque potus coctores omnes iussi sunt capitella seu metas stillatorias suas, cum tubis in spiram convolutis *(viperas* appellant et *galeas)* deferre in Curiam, ne iis uti clam possent. Die vero ix Novembris, prohibitum sub poena capitis est efferre extra ditiones Regias quidquam secalis aut panici; xvii, iussi sunt pistores abstinere coquendis panibus dulciariis, vel mellitis aut piperatis; iam enim secale vendebatur novem florenis, hordeum quinque, triticum duodecim aut etiam tredecim; quin imo pretium secalis ad undecim, tritici ad quatuordecim florenos excrevit; quare, xxiv Novembris, braxatores prohibiti sunt coquendae cerevisiae triticum adhibere, et molitores brasium molendum accipere, cui illud mixtum esset, sub poena sexcentorum florenorum braxatoribus, trecentorum vero molitoribus indicta. Denique mulcta gravis constituta est cuicumque extra civitatem mittenti cerevisiam, acetum, fabas, pisa, vicias, aliave legumina : grandis enim erat per Urbem fames et pauperies, qua multi cogebantur frumentum aquae incoctum manducare, panemque ex avena phaseolisve ac lupinis pistum; qui panis etiam sic perquam exiguus erat, et vix pecunia comparabilis; unde haud vanus metus fuit morborum, ex tali esu multiplicandorum.

III. Interim die viii Decembris, publicato edicto, permisit pistoribus Magistratus panem coquere ex quatuor speciebus, aequa proportione commixtis, scilicet, tritico, secali, panico, et hordeo; praestito tamen prius iuramento, quod exacte observaturi essent iam dictam proportionem, et ita coctis panibus impressuri signum numeri iv, ut cuilibet pateret,

Digitized by Google

panem esse ex quatuor speciebus confectum. Exactum quoque ab eisdem iuramentum est, quod simplici triticeo aut secaleo pani non sint admixturi panicum vel hordeum. Denique, die xvii Decembris, institutum est Collegium novum, seu Natio eorum, quibus, iuramento ad certas leges adstrictis, fas solis esset cerevisiam, quam braxatores per domesticos famulos non proveherent, quo opus erat vehendi et transvehendi, ad cavendam omnem defraudationem vectigalium, et consulendum legibus cerevisialibus pridem constitutis.

IV. Porro sub huius anni exitum, placuit Senatui Populoque inire censum animarum, tunc in civitate viventium: repertique sunt, exceptis Religiosis, teste Valkenisse:

Viri.	14,685
Feminae	24,784
Pueri.	26,242

Unde exsurgit summa 65,711 capitum.

A. C. M.DC.XCIX.

ARGUMENTUM.

I. Impeditur popularis seditio, ordinatis nocturnis circuitionibus armatorum civium. II-III. Obit primogenitus Ducis Bavariae Bruxellis, futurus, si vixisset, Monarchiae Hispanicae heres. IV. Externae omnes manufacturae proscribuntur, et nostrae vicissim a Statibus Foederatis. V-VIII. Instituitur apud Iesuitas Confraternitas Bonae Mortis. IX-XI. Moritur Ioannes Ferdinandus Episcopus Antverpiensis ix. XII. Antverpiam venit Eremita Burgundus, Lithotoraus celebris in utroque Belgio. XIII. Ad canalem Herenthaliensem, extra portam S. Georgii, praeparatur pratum dealbando filo lineo.

ACTA PRIORA.

I Principio Ianuarii metus erat gravioris tumultus a minuta

Digitized by Google

plebe, quae incipiebat expilare pistorum quorumdam domos, quasi panem iusto minorem conficerent, eumque mixtum panico, aut alia viliori materia. Talia cum fere vesperi agitarentur, ex parte Civitatis ordinatum est, ut quolibet vesperi instituerentur circuitiones platearum (*Patroulias* vocant), ab hora sexta ultra mediam noctem; quod feliciter coeptum felicissime successit. Eligebant Vico-magistri ex singulis quarteriis viros sex, inter quos praecipuus unus Hooftmannus, seu Capitaneus instituebatur; sed huic non licebat socios inducere in popinam : solum permittebatur ante ianuam brevi haustu sitim levare; officio autem perfunctos domi se habere aliquanto lautius. Incumbebat eisdem, si quem reperirent in platea, non satis notum aut aliunde suspectum, adducere examinandum ad Curiam, ubi propterea singulis noctibus unus Scabinorum aderat. Ab eiusmodi Patrouliis, usque ad medium Martium continuatis, excusabatur nemo qui posset arma gestare, nisi sexagenario maior vel aegrotus : et tamen etiam talis cogebatur, solutis decem assibus, pro se vicarium substituere quando vices suae currebant. Ita factum est, ut motus plebeius ipso initio compressus, nusquam amplius perceptus fuerit.

II. Mensis Februarius luctuosissimus fuit Duci Bavariae, Gubernatori nostro, ob mortem unigeniti sui IOSEPHI FERDINANDI, ante hos sex annos in spem maximam nati, patrique, si vixisset, allaturi administrationem totius Hispanicae monarchiae, moriente CAROLO II, ut paucis annis post obiit, sine prole. Etenim mater eius Maria Anna Austriaca, neptis Leopoldi Caesaris, ex Caroli sorore filia Philippi IV, Ius omne ad patrui ditiones transfuderat in hunc suum ex Bavaro Duce filium, quia materterae Mariae Theresiae, Ludovico XIV, Galliae Regi, nuptae, liberos et ex his nepotes, nuptialia pacta et testamentum patris ab Hispanica successione excluserant.

Digitized by Google

Verum aliter Deo visum; decerptusque est suavissimus ille sanguinis Austriaci flosculus, necdum expleto aetatis suae anno septimo, depositusque in templo S. Gudulae ante Altare SS. Sacramenti miraculosi, in tumulo Serenissimorum Principum Alberti et Isabellae, cum hac loculi inscriptione:

III. « In hoc sarcophago quiescit corpus Serenissimi IOSEPHI » FERDINANDI LEOPOLDI, primogeniti Serenissimorum Princi- » pum Maximiliani Emmanuelis, utriusque Bavariae Ducis » ac Electoris, Gubernatoris Belgii, et Mariae Antoniae, natae » Regiae Principissae Hungariae et Bohemiae, Archiducissae » Austriae, coniugis eius: qui natus est Viennae Austriae » XVIII Octobris anno Christi M.DC.XCII; mortuus autem Bruxel- » lis, metropoli Brabantiae, die Veneris VI Februarii, intra » primam et secundam matutinam, anno Christi M.DC.XCIX, » aetatis suae annorum VI, mensium trium, dierum novem. »

IV. Ineunte Aprili, publicatum Bruxellis est, sub forma edicti perpetui, mandatum, ab Hispani Regis ditionibus proscribens omnia externorum manufacta opera, lanea, linea, gossympina sericea, aliaque similia. Coeptum est etiam Antverpiae illud eodem mense in opus deduci; iussique omnes, penes quos eiusmodi merces adhuc erant, earum quantitatem numerumque annuntiare, ut intra statutum tempus distraherentur omnes, idque non maiori quam ante prohibitionem pretio; publicanis autem et viarum custodibus permissum, imo et iniunctum est, currus huc venientes inspicere, et mulctam ducentorum florenorum exigere ab iis, qui visitantibus se opponerent, aut alias molesti forent. Hoc cum serio ageretur, graviterque sentirent Status Foederati, ab his quoque simile edictum prodiit die IV Iulii, contra manufacta ex Belgio Hispanico invecta vel invehenda.

V. Die XXII Martii, Dominica tunc quarta mensis, et tertia

Digitized by Google

Quadragesimae, initium habuit in ecclesia Domus Professae Iesuitarum pientissima, et summis infimisque probata CONFRATERNITAS, quam vocant BONAE MORTIS, impetrandae per devotionem singularem erga patientem in Cruce Christum, et compatientem sub Cruce eadem Matrem eius, suffragantibus ad eumdem finem Patronis, sanctissimo Dei Genitricis sponso IOSEPHO, utriusque praesentia ad sancte moriendum adiuto; et sancta Virgine ac Martyre BARBARA, ad eiusmodi exitum invocari solita. Coepta ea Romae sub INNOCENTIO PAPA X, et sub eius successore ALEXANDRO VII ferventer promota, inde ad varias Provincias transiit; ad nostram autem Flandro-Belgicam per R. P. Laurentium van Schoonen, post expletum Provincialatus sui triennium nostrae domus Praepositum. Hic ad congregationem Procuratorum Romam destinatus, ut habent domus eiusdem Annales, cum observasset quanto ibi Sodalium numero et pietate insignis esset Sodalitas pro felici ex hac vita egressu obtinendo ibidem erecta, mox ut in Provinciam revertit, dispicere coepit, quomodo in eam totam simile quid induceretur. Re ergo proposita Patribus, et valde probata, scripsit Romam litteras, et impetravit pro tali confraternitate, in singulis huius Provinciae Domibus Collegiisque instituenda, ab Alexandro Papa VII Indulgentias plenarias, easque perpetuas, et per Brevia, sigillatim ac nominatim unicuique directa, anno M.DC.LXXVII. Mutatus est tamen in plerisque dies lucrandae illius Indulgentiae (qui Romae sexta feria est) in Dominicam, ut est in pluribus Italiae Collegiis; Antverpiae vero, quo tum pariter allatum erat institutionis eiusdem Breve, serius inductus eiusdem Indulgentiae est usus, opponentibus se iis quibus nimium videbatur, quod in tali ecclesia, in qua sic viget Indulgentia Communionis generalis, cum obligatione eam frequentandi, in ipsa similis alia haberetur pro ibidem communicaturis per menses item

Digitized by Google

singulos, et quidem cum facultate non restricta ad annos novem, quibus elapsis, petenda continuatio sit, sed in perpetuum.

VI. Interim novae Confraternitatis exercitiis destinatum est in nostra ecclesia sacellum sive altare S. Iosephi, tamquam eius compatroni, et praerogativae privilegii 'ab Innocentio XII impetrati die I Decembris M.DC.XCVIII, pro quibuscumque Presbyteris, alicuius Confratris aut Consororis animam ex purgatorii poenis liberatam cupientis, non solum per Diem et Octavam Defunctorum, sed etiam pro una cuiusvis hebdomadae feria, quae nunc est sexta. Proximo autem anno evicit R. P. Petri Wyts, hoc anno Praepositi, sedula instantia apud Reverendissimum nostrum, Societatis amantissimum, ut Confraternitatis institutio publicaretur. Factum hoc est curante imprimis R. P. Francisco de Malder, tunc ecclesiae Praefecto, postea autem etiam Domus Praeposito, nuperque XIX Maii anni M.DCC.X defuncto, tanto cum templi totius apparatu quam alias umquam. Nam, ut de musica taceam, plures insignes artifices diviserunt inter sese altaria septem, sigillatim exornanda : maius quidem cum ecclesia reliqua *Ignatius Boulaert*, pictor, et *Ignatius Lysens*, statuarius ; Marianum *Henricus Verbrugge;* Ignatianum *Kerrix;* Sanctorum vero Iosephi *Ludovicus Willems*, Xaverii *Scheemakers*, Beatorum autem Aloysii et Stanislai *Ioannes Maes*, sculptores; omnibus denique allaborante nostro *Melchiore Hamers*, qui postea etiam in S. Ignatii sacello communicantium mensam ante altare, et sub eo marmoream S. Patriarchae tumbam, supraque effigiem exercitiorum librum velut ex ore Deiparae excipientis, sculpsit, omnia ex candido marmore, et nunc laborat in eiusdem sacelli reliquis parietibus simili sculptura decorandis.

VII. In sic ornata ecclesia pendebant ad primas ante utramque portam lateralem columnas, grandes duae cum limbis

Digitized by Google

inauratis tabulae, in quarum una scriberentur ordine temporis nomina Confratrum Consororumque, prout singuli mortui nuntiarentur; in altera exponerentur bifariam divisa nomina, singulis septimanis extreme aegrotantium et vita functorum, tabellis hebdomadatim mutandis, cum fuerint utraque illa in suggestu post concionem palam enuntiata; et sub his pendet capsula, in quam nomina sua inserant, volentes congregationi adscribi, accuratissime referenda in codicem ad id paratum. Horum nominum quam magnus brevi numerus allatus sit, inde colliges, quod in tabula mortuorum, singulis annis mutari solita, semper fere sexcenti aut plures numerentur. Etenim non solum de Civitate, sed etiam ex variis circum ipsam oppidis Monasteriisque identidem alii atque alii aggregari postulant, et ex aggregatis indicantur vita functi, pro quibus consueta suffragia exiguntur. Cum autem neque ab aggregandis aggregatisque dum vivunt, neque a commendandis dum in agone versantur aut iam obierunt, neque alio quovis titulo exigatur quidquam, contra quam alibi citra reprehensionem solet, prae omnibus probatur et ambitur haec Confraternitas. Et tamen multa fiunt non parvi impendii: nam, praeter tres Missas, singulis feriis sextis ad altare Confraternitatis cum expositione Venerabilis mane et sub nonam, atque in meridie, una saepe cum musica, ceterae autem cum certis Litaniis et precibus; item praeter unam quolibet mense Dominica solemnius agendam; ex iisdem Dominicis quatuor magnificentius peraguntur, cum erecto in media ecclesia pegmate.

VIII. Prima est tertia vel quarta Dominica Martii, qua recolitur memoria institutae Congregationis, cum gratiarum actione pro beneficiis ipso eo anno acceptis a Deo, et renovatione piorum propositorum in ingressu factorum. Altera, mense Octobris Dominica tertia, pro sodalibus defunctis cum vario circum mausoleum ipsis erectum honore praecipuarum

Digitized by Google

quarumdam personarum, eodem anno mortuarum. Tertia fit in honorem S. Iosephi, electi, ut supra dictum, in Compatronum; ad cuius altare pleraque exercitia congregationi propria fiunt. Quarta denique tribus illis accessit anno M.DCC.III, quando ex hierogazophylacio nostro approbata S. Barbarae Reliquia, solemnius elevata fuit, et tamquam alterius Compatronae collocata iuxta altare praedictum ad cornu Evangelii, feria quaque secunda depromenda ad pium devotorum osculum. Ipsa autem festivitas agitur Dominica tertia Novembris. Ad alterum eiusdem altaris latus, quod est Epistolae, simili in armariolo habentur spinae duae coronae Dominicae, cum particula spongiae ori sitientis Christi in eius agonia cum aceto applicitae, quae solebat omnibus sextis feriis ad osculum proferri; nunc autem profertur alternis, postquam probata est notabilis Dominicae Crucis particula, ex sesquipedali frusto, pridem in sacrario Regum Angliae asservato, et nunc cum reliquis sacelli Regii cimeliis existente in arce turris Londinensis; unde, quomodo et quam certa sit portio, per nobilem Catholicum Anglum desecta, et Patribus nostris communicata, constat testimoniis authenticis pluribus, Archiepiscoporum Tuamentis et Mechliniensis, Episcoporumque Tornacensis et Antverpiensis, eamdem, ut legitime sibi probatam, exponi ad publicam venerationem permittentium. Omnia autem iam dicta serviunt fovendae inflammandaeque devotioni Sodalium, satagentium augere communem thesaurum meritorum pro impetranda omnibus et singulis gratia bonae mortis; et ad eumdem finem quotidie ante noctem datur triplex campanae signum, tota Civitate facile audiendum; ad quod, vel ad simile tempus, rogantur sodales comprecari, ut visum fuerit, etiam longius absentes.

IX. Die XIX Maii, placuit immortali Deo ac Pastori summo, sub medium tertiae matutinae, ex his aerumnis atque oppressi

Digitized by Google

pectoris angustiis, nulla pene febri, ad laetiora (et spem faciunt praeclara eius merita) aeternaque pascua Beatorum evocare fato suis ovibus totique Urbi luctuoso, optimum Pastorem, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum D. IOANNEM FERDINANDUM VAN BEUGHEM, Episcopum Antverpiensem. Virum hunc Bruxella dederat, ornaveratque litteris politioribus, pulchrisque in arena scholastica lauris, quem Grudiae palaestrae erudita sedulitas dein exercuit studiis sublimioribus, in utriusque iuris divinarumque rerum scientia pari laude spectabilem. Nactus erat indolem prope angelicam, supra modum comem et benignam, quem maiestas quaedam corporis ac formae decus, gratiorque morum probitas commendabat; adeo carum omnibus multumque amabilem, ut cum ex Decano Bruxellensi ad huius dignitatis apicem eveheretur, nescires vel in hoc applausu et congratulatione, laetine plus an moesti animi colligere potuisses, quod virum tam iucundum dilectumque omnes amitterent. Et ne hyperbolen putes, ex humani assentatione ingenii, aut benevola quadam superiectione profectam, fidem faciat incredibilis ad eius tumulum et invisus hactenus populi concursus, tam frequentis prementisque nocte tota, ut, cum delatum corpus esset ad templum sub nonam vespertinam, non nisi sub quintam matutinam ad locum sepulturae perferri atque humi mandari potuerit. Quid ad omnem laudem requiras illustrius? Quid vero etiamnum minus?

X. Si merita virtutum eius attendis : quam pastoralis cura et vigilantia! quam ardens caritas! quam vita integra! quam in administranda Ecclesia Dei fidelis opera! quam rara, quam demissa modestia! usque adeo ab omni fuco fastuque et arrogantia alienus, ut sub tanta dignitate ac veneratione, diceres humilem minimumque hominem delitescere, facilitate animi ad omne humanitatis officium comparatum.

Digitized by Google

Nulli aditum, aures nulli denegabat, omnes etiam abiectioris sortis homines suo laetus dignabatur alloquio, effusa in egenos manu, quibus occulta plerumque gratia stipis, non avare succurrebat; ad viduarum causas sollicite attentus, pupillis et orphanis Pater et Tutor. Ita erat natura lenis, ut si qua culpis obiurgatio debebatur, suae potius argumenta benevolentiae corrigendo, quam succensentis animi signa proderet : pacis vero cultor tam assiduus, ut tota eius cura pacis studium crederetur. Nihil tolerabat fraternae caritati aut mutuae dilectioni contrarium : omnia, qua verbis, qua litteris, qua decretis, ad consensum animorum atque concordiam revocabat; affectu tam paterno simul ac efficaci, ut, sublato dissidio, ipsis visceribus pacem inspirare videretur; quam tam cordi habebat, ut et morientis ultima vox, velut testamentum aeternum, pacis perpetuae commendatio fuerit. Iam vero vi mali ingravescente, cum Sacramentorum extremis praesidiis muniendus esset ad iter aeternitatis, prius veniam delictorum suorum a Clero ac Magistratu, piissimae humilitatis exemplo, madentibus genis sit deprecatus; tanta teneritudine animi, tantoque caritatis ardore Deum suum adoravit suscepitque, ut omnibus uberrimas lacrymas fletumque excusserit. Spectaculum sane sanctae erat aedificationis plenum, videre, quam ad mortem fortiter libenterque obeundam adhortaretur ipse sese, quam piis vocibus ac suspiriis, quam anhelo ad coelum spiritu, quam plena sui traditione, Crucem nunc ori apprimens, amplectensque manibus, invocaret Iesum et Mariam; vultu tam sereno ac renidenti, animoque tam pacato, ac divinae voluntati tam conformi, ut, qui adfuerunt morienti, hoc vitam eius absolvant elogio, vere illustrissimo, quod si naturae angelicae ea esset conditio ut mori posset, non aliter angelus mori posse videretur. Quae omnia licet sperare nos iubent, eum Apostolici muneris tam gloria decoratum, si quid

Digitized by Google

tamen humana fragilitate contractum, terrenae labis adhaeserit expiandum, omnium preces et sacrificia, ex debitae tanto Pastori caritatis officio, postulamus, ut quam in terris tanta sollicitudine coluerat, aeterna in coelis requiescat in pace.

XI. Ita Clerus Antverpiensis, in circularibus ad omnes suae Dioeceseos ecclesias, conventus ac fideles litteris, hic servari dignis. Caukerkius de funere eius sic scribit: exequiae, perquam solemnes, ductae sunt III Iunii, ab Episcopali palatio, per Meram viamque Clarissarum et Novam longiorem, ad Cathedralem ecclesiam, praecedentibus Clero et Mendicantibus, singulis cum cereo flavo ardente, crucibus autem nigro velo tectis. Sequebatur Capitulum S. Iacobi, deinde Marianum, Michaelitis ab hoc ordine se excusantibus, ne sibi esset contendendum de loco. Post Canonicos ferebantur Canonicalia ornamenta omnia; Sandapila a sex Canonicis portabatur inter septuaginta duas faces. Illam sequebantur consanguinei, quorum primus, defuncti ex fratre nepos, ducebatur a S. Michaelis Abbate, secundus a Marcgravio, tertius ab Amptmanno, tum ceteri affines; Senatus totus, omnesque Aeditui omnibus omnium ecclesiarum monasteriorumque campanis sonantibus, interim dum Vigiliae decantabantur in choro. Postridie eodem ordine ex choro Circumcisionis ad Missam in maiori celebrandam est processum; ad quam etiam sub cruce sua comparuerunt Canonici Praemonstratenses, Mendicantibus per ambitum chori ordinate consistentibus, ceteris omnibus a choro et ambitu exclusis, et campanis omnibus denuo sonantibus. Corpori ante maius altare sepulto insternitur marmor, hoc titulo insculptum: D. O. M. IOANNES FERDINANDUS VAN BEUGHEM, *nonus Antverpiensium Episcopus, gregi suo et omnibus charus, ut verus Pastor cura duxit, charitate iuvit, opere luxit, qui vivus de se humiliter tacuit, loquatur mortuus:* CUM DUXI, IUVI, LUXI (symbolum hoc ei fuit). *Ut lux perpetua ei luceat, vovete.*

Digitized by Google

XII. Mense Iunio Antverpiam venit Frater *Iacobus de Beaulieu*, sive *Bello loco*, Anachoreta Burgundus, peritissimus Lithotomus; qui dicebatur in seculo Chirurgus fuisse, et certissimam eximendi calculi herniaeque curandae, in dissecandis mortuorum cadaveribus, sibi comparasse experientiam. Homo perquam abstemius, modestus, pius, hospitium apud Capucinos sumpserat, et quoscumque sibi oblatos suscipiens, nullo divitum pauperumque discrimine, nullam petebat curationis mercedem; si quid autem ultro offerebatur, id fere totum impartiebatur pauperibus. Accersitus in Hollandiam, quo magna eius fama pervolaverat, permittebatur habitu suo publice uti; eumdemque vivendi modum tenens, aequis portionibus dividebat in pauperes, Catholicos et Acatholicos, quidquid recipiebat, quod vehementer probatum fuit : numquam tamen operari voluit coram refugis ex Francia Calvinistis, qui multi ibi erant : operabatur autem citissime, facillime, et plerumque feliciter; publiceque vendebatur effigies eius, cuius ectypon hic videre non erit ingratum.

XIII. Die xxvii Augusti, initium factum est praeparandi quaedam prata, ad primum pontem canalis Herentaliensis, ubi ad solem dealbaretur linum in fila ductum, quod antehac solebat in Hollandiam dealbandum mitti. Prata ista emerant mercatores, quaestum ex tali lino facientes, et primus Consul ligonem movit deducendis fossis, unde aqua lino ad solem exposito identidem affunderetur. Solarium hoc spatio duorum iugerum terrae, in octo pulvinos dividitur, longos passibus c.xlvi, latos xxiv; quos intersecant fossae et una duplo latiore cinguntur; earumque crepido, ne defluere in fossas humus possit, lorica lignea trium pollicum palisque in terram actis munitur. Fundus totus, ne vermes alias gramen absumpturos nutriat, primum rudere glareaque firmatus, deinde arena, denique viridi et graminoso cespite insternitur.

Digitized by Google

Et initio quidem arena navibus petebatur, ex quodam vado Scaldis ad munimentum S. Philippi; deinde famulus Drossardi Turninensis, sub agris Willebrordianae capellae circumiectis, aliam multo candidiorem aptioremque arenam ostendit; qua advecta, compendium factum est plus quam sex millium florenorum : totum autem opus cum aedificiis necessariis, putabatur staturum sedecim millibus florenorum. Et aedificiis quidem primum lapidem posuit XIV Septembris praefatus Drossardus : at, his aliquo usque eductis, ignis corripuit armamentarium fossorum, in quo hi noctu somnum capiebant, et diebus festivis reponebant sua instrumenta, ligones, curricula, asseres; cum enim Dominica die, IV Octobris, procul in civitate fossores agerent, de more ab opere feriati, tribus ad custodiam ibi locatis, et horum duo etiam abiissent Missam audituri, tertius talpas insectaretur, ignis foculi non plene exstincti, in vicinas assulas tabularum delatus, totum opus consumpsit claro die, priusquam aliquis posset auxilio accurrere. Damnum tamen cito reparatum est, opusque continuatum. Ita Caukerkius.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Marcgravium, ut annis prioribus, die V *Septembris, Sabbato ante Dominicam* XIII *post Pentecosten, actam* VII *Iunii.*

CONSULES. — Paschasius Ignatius vanden Cruyce V. — II. Magister Henricus Comperis.

SCABINI. — Dl. Nic. Ios. van Halmale. — M. Rochus vande Zande. — Dl. Petrus Happaert. — Dl. Philippus Rubens. — Dl. Antonius Spruyt. — Dl. Io. Car. van Hove. — Dl. Iud. Aeg. Zegers. — Dl. Balth. vander Heyden. — Ignatius Engelgrave. — M. Petrus Henr. Schut. — Dl. Carolus

de Witte. — Dl. Phil. Ign. van Valkenisse. — M. And. Melch. van Kessel. — Dl. Io. Carolus de Cordes. — M. Pet. Dominicus Lams. — M. Io. Hubert. Teerninck. — Magister Franc. Bertholdus de Hollander.

ARGUMENTUM.

I-II. Magistratus succurrit monasterio Norbertinarum, a commota temere plebe infringendo : eaque occasione cognoscens miserum eius statum, propter debita in fabricam eius nomine contracta, et defectum certae ex Abbatia sustentationis, utrique necessitati remedium obtinet. III. Primus Lovaniensis, ante Iesuitarum discipulus, ab illis excipitur. IV-X. Translato Romae ad novum altare et arcam marmoream corpore B. Aloysii Gonzagae S. I., redit huc, qui praesens fuerat, Conradus Ianningus, cum multo instrumento monumentorum, ad vitam, miracula, cultum spectantium; concinnatumque ex iis amplissimum Commentarium dedicat novo Societatis Generali, P. Michaeli Angelo Tamburino.

ACTA POSTERIORA.

I. Pridie S. Michaelis, xxviii Septembris, civis quidam semiebrius, ex monasterio Norbertinarum prodiens, ubi ei nescio quid annui canonis debebatur; cum oblatam sibi solutionem, valore per Regium edictum nuper constituto, nollet acceptare, totam commovit viciniam; et hinc diffamatus est rumor in Civitatem, quasi sanctimoniales, quas satis constabat haud parvo aere alieno obstrictas, amplius non essent solvendo. Tempus erat prandii, et fores clausae : quae si patuissent, momento plebecula vilissima irrupisset in monasterium, totumque expilasset. Dum autem illa bacchatur ante fores, fanda et infanda iactans ac comminans, monitus Scultetus et Consul, primoresque Civitatis, quorum varii suas ibi filias habebant, accurrunt; et per domum Fuggerorum ingressi, mediante postico, reservato ad usum curruum admittendorum

Digitized by Google

emittendorumque, solantur trepidas; et, disposita inter ecclesiam portamque anteriorem custodia, iubent sequenti die officia sua clausis ianuis agere, dum plebs temere congregata ultro difflueret; uti factum est, ipso qui eam concitaverat culpam agnoscente et veniam suppliciter precante. Interim Consul cum sociis, per otium intelligunt quo res Virginum loco sit, quamque angusta, ex eo quod debita, ipsarum nomine iam defunctis conflata a Praelatis, quibus ipsae dotes suas crediderant, non satis curarentur a Michaelitis, allegantibus ipsa esse contracta absque consensu Conventus, ideoque Praelatum suum in nullo obligari nisi ex caritate et reverentia erga defunctos decessores, quorum onera successores Abbates non tenerentur subire, et multo minus ipse Conventus.

II. Tum vero vicem innocentium miserati Proceres, in se receperunt earum causam, parati etiam iudicio cum Abbate contendere, ut vel dotes restituere cogeretur, vel canones foenebres solvere, ipsasque sustentare, sicut decessores fecerant, donec exstincta forent debita, eaque acquisita media, per quae familia talis sustentaretur, absque Abbatiae suae onere. Nec difficulter persuaderi sibi sivit ipsius Monasterii amantissimus Pater, quando etiam Fratres suos eo inclinari videbat, ut quam honestissime posset, consuleretur decori utriusque Monasterii. Sed cessantibus foris turbis, non eadem erat intus quies, dum consultatur de modo et conditionibus quibus se obstringi hi aut illae paterentur. Dum autem in longum res trahitur, Abbas Tongerloensis intervenit, paratus in se suosque suscipere debita ceteraque virginum onera omnia, modo S. Michaelis Abbas a sua obedientia absolutas traderet in potestatem Tongerloensium.

Hoc cum Antverpienses viderent ex suo honore non esse, conventum est in hasce conditiones, ut acquisitas acquirendasque dotes, et quidquid redituum annuorum erat, administraret

Digitized by Google

Abbas, et debitis paulatim exstinguendis impenderet; ad sustentationem vero singularum (erant circiter quadraginta) ducentos pro singulis quotannis florenos erogaret, in frumento, ligno, cerevisia et pecunia; in locum autem morientium nulla admitteretur, cuius dos non esset abunde sufficiens, simul ad ipsam alendam, simul ad levanda quadamtenus debita : si quo insuper egerent, id manuum suarum labore aut amicorum benevolentia suppleretur. Ita pax reddita et restaurata concordia utrique Monasterio est, perguntque religiosissime Virgines Deo famulari, magna inter se caritate coniunctae: quarum nulla isto in turbine sic concussa fuit, ne quidem unica tunc Novitia, ut securitatem sibi ab amicis oblatam quaerere extra monasterium vellet; et procella quae dissipatura omnes videbatur, salutem et securitatem in futurum attulit. Ne autem alicuius ex postfuturis Abbatibus vel indulgentia vel negligentia alias utrumque conventum intricaret, prudenti consilio decretum est, ne quis Abbas posset suo unius arbitrio Sanctimoniales, quantumvis consentientes, adducere in debita, aut quidquam rerum immobilium alienare, vel ad religiosam professionem novitias admittere, absque communi Capituli utriusque suffragio et consensu, etiam postquam, solutis debitis, suas sibi res et rationes seorsim a Fratribus habere Sorores coepissent, proprium quidem Praepositum habentes, sed non minus quam alii alibi pendentem ex Abbate eorum.

III. Die XXIII Novembris, Patres Collegii Societatis Iesu apparaverunt sese ad excipiendum IACOBUM AUGUSTINUM ARNOLDUM VAN AKEN, suarum quondam scholarum studiosum, et dein ad Philosophiam Lovaniensem promotum, in eaque Primas consecutum. Eorum iuventus, in duas divisa cohortes equestres, secundum tres inferiores totidemque superiores classes praecedebat, subsequebaturque vexillum Civitatis, quod gestabat filius Domini Zeeus, superbe vestitus. Ante omnes

Digitized by Google

vero praecedebant tubicines ac tympanistae equestres, cum altero equite, gerente labarum Societatis Iesu et coronam lauream. Hoc ordine per Caesaream portam egressi omnes sunt in occursum Primi, sonante interim maiori campana; qua audita, tota pene Civitas accurrit, et magna rhedarum multitudo, spectare ingredientem cupientium. Hic autem, praecedente cum tympanistis equestribus Lovaniensium studiosorum cohorte splendida, qui omnes praeferebant coronata insignia Castri Lovaniensis et laureum ramum : sequebatur, inquam, ipse Primus, inter Professorem suum et Regentem Collegii a Castro dicti, ubi habitaverat et studuerat. Veniens porro ad Roii, vicum inter Lutgardishagas et Berchemium, obviam egressis occurrit; susceptaque in capite, quam offerebant, corona, audivit oratiunculam Latinam ab uno scholarium pronuntiatam. Tali ordine simul omnes ingressi civitatem; prope ecclesiam S. Georgii, in area curruum Mechliniensium, obviam habuit Primus matrem, rheda vectam, cum insigni matronarum comitatu, et progressus ad Curiam est, ubi eumdem praestolans Magistratus, per suum Pensionarium Latine salutavit, honoravitque gutto lanceque argenteis, pensantibus oncias centum. Hinc itum ad Gymnasium Societatis, ubi magnus quoque habitus ei honor est; tandemque deductum ad viam Lombardicam excepit hospitem domus Presbyteri de Coninck. Sequenti die, eidem a Magistratu in Camera Statuum praebita coenula magnifica est; et die tertia, regressus eodem quo venerat ordine Lovanium versus, transiit Mechlinia, ubi in transitu salutavit Patres Oratoristas, in quorum convictu ultimos humanioris curriculi annos egerat.

IV. Die xx Decembris, in Romano Societatis Collegio, ubi noster ALOYSIUS GONZAGA vixit, et ubi anno M.D.XCI, semperque ut *Beatus* habitus, cultuque identidem auctiori honoratus fuit, sanctum illius corpus, plumbeo inclusum loculo,

exemptum fuit exteriori ligneo, in quo iam saepius translatum fuerat; et, ianuis clausis, ab omnibus eiusdem Collegii incolis, supplicantium ritu devote procedentibus, delatum ad novum marmoris pretiosi altare, in arcam ex lazulo lapide pretiosissimo constructam, varieque ornatam; ubi extunc servatur, non facile amplius loco movendum. Actui huic praesens eiusque pars fuit aliqua, Collega noster P. Conradus Ianningus; indeque revertens attulit in Belgium grandem copiam scriptorum authenticorum, vitam, miracula et cultum Beati istius spectantium, unde locupletaret perficeretque coeptum de illo Commentarium; quem alias ad diem Iunii xxi, adeoque paginam 135 imprimendum suspendi voluerat, donec redivisset ipse, et ad finem eiusdem Tomi remitti. Reversus autem, idque operosissime agens, ut quae collegerat omnia et singula, quam distinctissime et certissime probata daret; in molem pene nimiam opus extendit, ut librum iustum per se posset implere. Qua id intentione, et quomodo fecerit, declarat Epistola Dedicatoria, inscripta *admodum Reverendo Patri nostro in Christo*, *P. Michaeli Angelo Tamburino*, *Societatis Iesu Praeposito Generali*, *tenoris sequentis* :

V. « Post septuaginta et amplius annorum labores, conquirendis cudendisque Sanctorum in coelis cum Christo regnantium Actis impensos, Tomosque praegrandes viginti et unum, qui omnium nationum ordinumque religiosorum Sanctos propemodum innumerabiles complectuntur, ad Sanctae Ecclesiae Catholicae Militantis utilitatem, ac Triumphantis gloriam emissos in lucem publicam, prodit nunc, admodum Reverende Pater, Tomus xxii, in eoque inter alios Sanctos, BEATUS ALOYSIUS noster, sua vitae morumque innocentia omnibus, quoad vixit, amabilis; sua animi demissione superexaltatus in gloria; sua corporis animaeque munditia, Angelicus iuvenis appellatus. Et hic primus est omnium Sanctorum e Societate

Digitized by Google

nostra Europaea, cuius Acta in opere nostro illustrata sunt; quaeque propterea hic etiam seorsim duximus evulganda, ut pluribus praesertim Societatis nostrae, qui grande opus non habent, eorum copia possit fieri, impensa non magna.

VI. Neque vero ingratum id consilii factique nostri fore Paternitati Tuae adm. Reverendae, eo magis confido, quod sciam singulari studio pietatis in B. ALOYSIUM Te ferri, multis de causis. Id quod ignorare non poterit quisquis sciverit, in eadem Societatis nostrae Provincia, Veneta ab initio appellata, sed variorum Principum ditiones cis atque ultra Padum, complexa; utrumque, Te, inquam, et Aloysium, primam lucis usuram accepisse; alterum Castellione Stiverorum in ditione paterna; alterum Mutinae in civitate Ducali. Crevit pietas Tua in B. ALOYSIUM cum ingressu Tuo in eamdem ipsius Religionem; aucta est lectione vitae et aemulatione virtutum eius; atque post alia multa pietatis incentiva, plurimum illi addidit incrementi commoratio Tua Rectoris in Collegio nostro Mantuano, ubi memoria Beati iuvenis in veneratione hodiedum est. Ibi, adhuc in seculo vivens, spiritualia Sancti Patris nostri Exercitia, seorsim inclusus, bis obivit, ac prima Sanctitatis fundamenta iecit, seque contra impugnatores vocationis suae, Deo propitio, armavit. Ibidem iam Clericus Societatis, tametsi iuvenis et hospes, iussu Rectoris ad grandaevos illos litteratosque Patres ac ceteros Collegii incolas, pro concione dixit, tanto omnium motu animorum, ac si Angelus de coelo locutus fuisset. Extra Collegium vero obiiciuntur alia gestorum ALOYSII monumenta, pietatem in ipsum spectantibus movere et accendere nata. In palatiis enim Ducalibus (ut de ecclesiis sacratisque eius nomini altaribus taceam) iratum Mantuae Ducem brevi alloquio, sed pondere verborum gravi, praeter exspectationem omnium fratri suo Rodolpho Castellionensi Principi placavit. Ibidem supremis tabulis terrena omnia, et

Digitized by Google

quae possidebat et quae certe possessurus erat, abdicavit, flentibus omnibus ipse laetus et gaudio exultans; moxque iter inde Romam ingressus est.

VII. Horum conspectu locorum et recordatione gestorum, aucta Mantuae in ALOYSIUM pietate Tua, adm. Reverende Pater, eumdem Romam post centum et quod supererat annos, e Rectoratu Mantuano secutus es ad Congregationem Societatis generalem XIV a Provincia Tua Veneta deputatus; in eaque primo Patrum congressu Secretarium eius agere plurium suffragiis iussus fuisti. Roma redeuntem in Provinciam Tuam comitatae aut subsecutae sunt litterae patentes adm. Reverendi Patris nostri piae memoriae, Thyrsi Gonzales, quibus te Praepositum eius constituit Provincialem. Quantum hic efferbuit pietas Tua in ALOYSIUM, dum singula quotannis visitanti Collegia, nusquam non occurrerent illustria, aut natalium eius, aut virtutum, aut miraculorum, aut Reliquiarum, aut altarium per Provinciam illam monumenta! sed iterum Romam (bis quoque ALOYSIUS Romam profectus fuit et semel inde in patriam rediit) vocatus a praedicto Patre nostro, ab eoque Secretarius Generalis creatus, interfuisti paulo post translationi Sancti corporis saepe dicti ALOYSII Tui, quando illud sub finem anni M.DC.LXXXXIX, ex antiquo loculo suo, ubi annos quinquaginta honorifice quieverat, portatum fuit ad novum amplissimumque iuxta ac elegantissimum sacellum. Quadriennio post, senescenti paulatim Praeposito Generali Vicarius substitutus fuisti, anno seculi huius tertio, approbante Summo Pontifice; atque anno tertio post, qui adhuc in cursu suo est, universa Societas Romae adunata, Praepositum Te suum Generalem elegit cum approbatione et gratulatione omnium, Dominica in Septuagesima, pridie Kal. Februarii.

VIII. Bene habet: attamen ego Electoribus totique adeo Societati existimo non minus gratulandum esse electionem

Digitized by Google

istam, quam Electo ipsi; ac prae ceteris Provinciae illum gratulor Venetae, tum quod e numero suorum et quidem suus non ita pridem Provincialis, electus in Praepositum Generalem sit; tum quod nova nunc ei, uti et reliquae Societati spes affulgeat, consequendi canonizationem BEATI sui ALOYSII, quam Provincia illa, omnium prima in comitiis suis, anno M.DC.III Placentiae congregatis, postulandam per Praepositum Generalem, a sede Apostolica decrevit, communi consensu ac subscriptione; atque exinde obtentum est, ut, decernente Summo Pontifice, vita ALOYSII, cum titulo BEATI, anno M.DC.VI Romae impressa vulgataque sit. Centesimus ex illo fluit annus, proditque iterum hoc volumine eadem vita, cum multa rerum variarum et miraculorum accessione; sed, quod doleo, non alio cum titulo quam BEATI. At solet annus centesimus a re bene coepta aut bene gesta singulari cum laetitia celebrari, cum gratitudine pro beneficiis, transacto tempore obtentis, et spe obtinendi plura in futurum. Hinc, uti merito gratias quidem Deo agimus hoc anno centesimo, ex quo ALOYSIUS audire et scribi coepit BEATUS; ita speramus quoque futurum, ut crescat gloria sanctitatis eius, quantum elapsis centum annis crevit gloria miraculorum eiusdem.

IX. Annus namque hic M.DCC.VI, qui centesimus est ab editione Vitae Aloysianae cum titulo BEATI, iam donavit nobis feliciter Praepositum Generalem, cuius merita Societati universae probata sunt, cuius pietas in B. ALOYSIUM, iam monstrata notaque est, qui meminerit, quale decretum Provincia sua Veneta olim condidit, de canonizatione eiusdem ALOYSII per Praepositum Generalem a Pontifice postulanda : quam nunc etiam eadem Provincia, et Societas universa, omnesque eiusdem Beati cultores et impense desiderant et suppliciter petunt. Idem annus, centesimus a prima vitae Aloysianae cum titulo BEATI impressione, nunc in lucem profert hocce in

Digitized by Google

volumine, monumenta varia, multum, ut speramus, collatura ad accelerandam canonizationem desideratam. Invenitur enim hic decretum Provinciae Venetae, quo ALOYSII sui canonizationem postulavit; et Breve Pontificium, quo Beatitudo eius sufficienter declaratur, et BEATI titulus conceditur. Clamant ibidem canonizatione dignum esse ALOYSIUM, communis populorum consensus, Principum Catholicorum fere omnium suffragia, altaria aliaque monumenta ei posita, contubernia pia, Confraternitates vulgo dictae et sub eius tutela legitime institutae; et his omnibus clamant altius Auditores Rotae Romanae, a Summo Pontifice Paulo V ad hoc deputati: qui, excussis per otium Processibus pro canonizatione B. ALOYSII, Romae, Florentiae, Castellione Stiverorum, atque in Valle Vulturena factis, et a Congregatione Rituum approbatis, in sua inde concinnata ad Romanum Pontificem Relatione, ita testantur in Domino: *Tandem rite conclusimus, causam esse in eo statu, ut Sanctitas vestra tuto possit, quandocumque libuerit,* B. ALOYSIUM, *dignum Gonzagae stirpis germen, et Societatis Iesu Clericum, in Sanctorum Catalogo describere, ad laudem omnipotentis Dei, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltationem; et illum fidelibus populis.... in exemplum virtutis ad imitandum proponere.* Meum non est, adm. Reverende Pater, quidquam adhortationis his adiungere. Docui quid actum sit; explicui quid desideretur; cetera prudentiae ac providentiae Paternitatis Tuae sunt. Dabam Antverpiae, XI Kal. Ianuarias, anno M.DCC.VI. »

X. Anni tamen sequentis numerum, et quidem in Martium provecti, praeferunt Approbationes Tomi IV, cui Commentarius ille adnectitur; nec enim potuit prius absolvi a praelo totus. Ornavit autem ipsum Auctor suus tribus pulcherrimis iconismis, quorum primus et praecipuus repraesentat primam Angelici iuvenis de manu S. Caroli Borromaei coram utroque

Digitized by Google

parente, Communionem; qualem pro altari Beati, in nostra S. Fidelis ecclesia Mediolani, pinxit praestantissimus ibidem Pictor, medium quid inter Rubenium et huius discipulum van Dyck affectans, *Eques Franciscus de Cayro*. Resecanda tamen hinc fuit, ut operi nostro quadraret, iconis pars dimidia, ubi videtur inter nubes Deipara suum istum clientem S. Ignatio commendare, descendere de coelo Angelus ipsius capiti contextam liliis coronam adferens. Proxima habetur ex praegrandi maioris folii prototypo, Romae sculpto sub annum M.DC.VII : ubi ad singulos numeros describuntur argumenta primorum a morte Beati et probatorum miraculorum, quae explicare non potuit in minorem formam contracta tabula, sed referuntur integre in commentario. Tertia est altaris novi, non quidem integri, quamvis etiam talis Romae prodiit, sed duabus potioribus partibus distinctius expressi; videlicet anaglypti operis in candido marmore ex designatione fratris nostri *Del Pozzo*, Pictoris celeberrimi, et ectypon pretiosissimae ex lazulo, id est caeruleo lapide tumbae, in cuius umbilico describitur moriens Aloysius; ad pedem autem ipsius tumbae, sedent genii duo, hinc POENITENTIAE, inde CONTEMPTUS MUNDI.

A. C. M.DCC.

ARGUMENTUM.

I. Hiems fere nulla, et praecox fertilitas. II-III. Reginaldus Cools, Ordinis Praedicatorum, ab Episcopatu Ruremundensi transit ad Antverpiensem. IV. Initiatur solarium, dealbandis filis lineis praeparatum.

ACTA PRIORA.

I. HUIUS anni adeo languida fuit hiems, ut vix ad paucos

Digitized by Google

in Decembri dies visa sit glacies in moenium fossis, nec umquam satis firma ad sustinendos inambulantes, imo nec usquam continua: quod pauperibus, inedia languentibus, opportunum accidit; neque enim dubitabatur quin, si ad famem etiam frigus accessisset, plurimi fuissent morituri. Ipso autem anni principio, coepit humus germinare quidquid ad victum optari poterat, cum spe copiosissimae messis. Hinc frugum pretium ita subito imminutum est, ut quartale secalis, prius vendi solitum novem aut decem florenis, haberetur pro quinque; et tritici quartale, duodecim ante et quatuordecim florenis aestimatum pro, septem cum dimidio, aut etiam pro septem.

II. Die XI Iunii, Antverpiam venit, huc ab Episcopatu Ruremundensi translatus, FR. REGINALDUS COOLS, ex Ordine Praedicatorum, in aetate annorum LXXXIII vegetus et robustus senex, verus pauperum pater, nec alio inductus intuitu ad sedem mutandam, quam quod deinceps habiturus esset unde pluribus et plenius faceret bene; sequenti autem die, a suo Monasterio (in quo noctem egerat, eo quod Episcopale palatium vacuum esset, ipsiusque brevis supellex necdum Ruremunda allata) deductus ad Cathedralem, post iuramentum consuetum in loco Capituli nuncupatum, in choro thronum occupavit, dum Hymnus Ambrosianus decantabatur.

III. Die XIII, eademque Dominica infra Octavam Venerabilis, mane processio fuit, ideoque in tertiam postmeridianam differenda solemnis deductio. Ad hanc Clerus omnis Ecclesiasticus cum Mendicantibus Ordinibus convenerant: aderant etiam Praemonstratenses, numquam eatenus in eiusmodi actu praesentes; cumque praetenderent occupare locum inter Sacellanos et Canonicos Marianos medium, hi vero negarent illos, quibuscum corpus unum facerent, a se abiungi debere; et Episcopo respondente faciendum quod fieri solebat, ad sua se Michaelitae

Digitized by Google

receperunt. In hac autem deductione a Monasterio per viam portae Vaccinae et Forum maius (nec enim longiorem circuitum viri aetas passa fuisset) illud accidit memorabile, quod episcopalibus ornamentis, necdum Ruremunda allatis, pro mitra fuit vilior una, cuius usus erat in vestiendis Sanctorum Ordinis Episcoporum statuis; et Petripotziani Abbatis pedum argenteum, mutuo sumptum, gravius erat, quam ut senili manu gestaretur. Hoc ergo alius praetulit, ipse vero ligneo inaurato est usus; et viro cuidam honesto dedit occasionem dicendi, nunc tandem sibi illud tempus videri, quo baculi Episcopales lignei, Episcopi vero aurei erant. Euntem sequebatur Magistratus, cum duobus civium vexillis, tertioque eius vici in quo natus erat. Hic autem a *Peregrinis* dictus de PELGRIMSTRAET, pene ex adverso Cathedralis ecclesiae, totus quam longus erat picatis instructus vasis, festive colluxit eodem vespere, praesertim ante domum, ubi anno M.DC.XVII natus credebatur, et supra cuius postem stabat illius ad vivum expressa imago. Ipse tamen, cum deinde domum vidit, dixit, in ea quidem parentes suos diutissime commoratos, se tamen in minori alia, sed vicina, natum esse.

IV. Die XXVI Iunii, perfectis omnibus quibus opus erat ad filamenta in solario suburbano explicanda, allata sunt prima istic dealbata aliquot millia pondo, in curru obducto festivis ramis floribusque, supra quem sedebat cum uxore sua Praefectus operis; intus aliquot eorumdem ancillae, circum ambulabant ceteri famuli, humero dextro quique portantes haustrum, instar canalis superne cavum, quali etiam nautae ad aquam velis aspergendam utuntur. Sic instructi urbemque ingressi per portam Caesaream, inter festivos mortariolorum per moenia dispositorum boatus, recta Forum petierunt; et, Curiam praetereuntes, per viam Altam viamque Claustralem stiterunt currum suum ante aedes.... Schut, qui praecipuus

Digitized by Google

fuerat in sumptu conferendo; ubi hilariter omnibus propinatum est. Res autem tam prosperum successum primo isto experimento habuit, ut dealbatum in novo solario filum inveniatur notabiliter candidius eo quod ex Hollandia dealbatum affertur; idque mox etiam Hollandis ipsis probatum est, missis ad eos speciminibus.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Facta, ut supra, die XXX *Septembris, Feria* V *post Dominicam* XVII *post Pentecosten, actam* XXX *Maii.*

CONSULES. — Domicellus Ioannes Carolus van Hove II. — II. Magister Henricus Comperis II.

SCABINI. — Dl. Nic. Ios. van Halmale. † — Dl. Io. Aug. de Lannoy. — Dl. Pasch. Ign. vanden Cruyce. — M. Rochus vanden Zande. — Dl. Petrus Happart. — Dl. Ed. van Broukhoven. — Dl. Franc. vander Aa. — Ignatius Engelgrave. — M. Petrus Henr. Schut. — Dl. Carolus de Witte. — M. Io. Adr. van Uffels. — M. Dominicus Lams. — Dl. Io. Franc. van Parys. — Dl. Maxim. Corn. Goubau. — M. Eduardus Moens. — M. Franc. van Haveren. — Magister Henricus Hoegaerts.

ARGUMENTUM.

I-II. Renovatur ad S. Michaelis vetustissimum S. Martini sacellum. III. Moritur Rex Hispaniarum Carolus II, nullo ex se relicto herede, sed condito testamento universalem suae totius Monarchiae Dominatorem instituens suum ex sorore, Regina Franciae, pronepotem secundo genitum Philippum V, daturum cum aemulo Carolo III, Caesaris Leopoldi filio, postea successore, copiosam novo seculo XVII materiam; quam alteri prosequendam relinquens, hic finio Annales hosce.

Digitized by Google

ACTA POSTERIORA.

I. Dixi ad annum D.C.XL, ex antiqua maiorum traditione, S. Amandum Andoverpis praedicantem, in Burgo eorum inferiori, nunc Croneburgo, *capellam S. Martino* dedicasse, ad quam postea reliqui a Normannica vastatione cives se contulerint, et *Godefridus Bullonius* constituerit Collegium Canonicorum, qui uno post seculo Praemonstratensibus cesserunt claustrum et ecclesiam, ipsi ad novam S. Mariae transeuntes. Ibi in veteri claustro supererat primi operis absidula, sub eodem S. Martini titulo, atque in eiusdem festo frequentabatur a civibus, venerantibus in altari icones SS. Norberti et Martini vel Amandi, cum duobus distichis Latine, sex autem Belgice rem explicantibus, ibique positis anno M.DC.XXX. Latina haec erant :

Hic a seclorum lustris libabat ad aras
Sanctus Norbertus munera grata Deo.
Flores cum lacrymis offer, devotaque fige,
Quisquis ades, sacris oscula liminibus.

Haec de Norberto latus Evangelii tenente : de altero Episcopo, ad cornu Epistolae picto, nescio an *S. Amandum* vel *S. Martinum* tabula repraesentet. Pro Amando facit Hierotheca, potius ad eum spectans, qui primus Missam ibi dixerit. Interim de alterutro nihilo plus docent versus Teutonici quam Latini; sed hi, haud paulo elegantiores, nostri temporis haereticis novitatem exprobrant hoc modo :

T'is nu al vyf hondert jaer
En wel dertig mé geleden;
Dat Norbertus, onsen vaér,
Tanchelinum heeft bestreden,

Digitized by Google

Hier op dese plaets gestaen,
En de Roomsche mis gedaen.
Menno, Luther en Calvien
Waeren doen noch verr' te soeken,
Waeren doen noch niet te zien,
Schuylden in onsichbaer hoeken :
Maer de vierde eeuw daernaer
Quamen zy in 't openbaer.

Anno M.DC.XXX.

II. Ante hoc altariolum extendebatur veteris claustri latus boreale, amplum, sed incultum, usque ad ultimum huius seculi annum, quando magnifica ad Monasterii ornatum industria Reverendissimi Abbatis Ioannis Chrysostomi Tenier, aliam loco faciem induxit, sacellique amplioris formam sub duplici columnarum ordine habere fecit : ulteriorem vero partem conformavit in scholam, publicis disputationibus habendis perquam idoneam, circumductis scrinio opere perquam eleganti subselliis, cum cathedra Magistrali; atque exhinc copiosior illuc est civium devotorum accursus, propter indulgentias ibidem oraturis a Pontificia largitate impetratas. Altare ex ligno, ad instar candidi marmoris colorato, pro veteri tabella habet sedentem in cathedra *Norbertum*, eiusque pedibus substratum *Tanchelinum;* cetera ex gypso etiam candent, congruumque operi toti decorem habent.

III. Finiat hoc XVII seculum, simulque Annales nostros, CAROLUS II, Hispaniarum Indiarumque potentissimus Monarcha, luctuosissimo exitu non solum Civitati ac Belgio nostro, sed orbi Christiano toti, in sua Regia Madritensi defunctus, die I Novembris, absque liberis; sed condito testamento in favorem nati ex sorore Franco nupta Nepotis, eis conditionibus per quas satis quidem cautum videbatur, ne proximus Francici

Digitized by Google

regni heres Hispanicam Monarchiam ei adnecteret; sed Angli Hollandique prospicientes, si illud succederet, nomen penes *Philippum V* (sic enim ut appellaretur Rex avus sanxerat), regimen penes Ludovicum XIV futurum, omnes Europae Principes suscitarunt, ut formidolosae cunctis futurae potentiae unanimiter se opponerent, in favorem aliunde proximorum Austriacorum ex Leopoldo Imperatore: Belgium certe, quocumque res caderet, nolebant venire in potestatem Francorum, quam sibi suisque per Orientem Occidentemque commerciis exitialem formidabant. Iamque decimo anno geritur terra marique bellum, vario hinc inde successu, eventuque adhuc incerto; novam historiam hic exorsuris posteris; daturum materiam copiosissimam. Ego hic desino, et Deo Virginique Matri committo patriam, civitatem religionemque tot inter ancipites casus conservandam. AMEN, AMEN, AMEN.

FINIS TOMI QUINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERUM

QUAE HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

PAG.

Archiducis Leopoldi ad hanc urbem accessus, Gevartii stylo ornatus. 5

Idem singulari affectu apparatuque excipitur apud Iesuitas, ubi eximia etiam Danielis Zegers pictura donatur, et in Collegio recreatur aptissimo dramate 11

Pax Hispano-Batavica promulgatur insigni totius Civitatis laetitia. Haeretici multi convertuntur 15

Ordinantur praelectiones chirurgicae in istius Professionis Collegio 19

S. Caroli Borromaei cultus excitatur apud Carmelitas metu pestilentiae imminentis. In ecclesia domus Professae S. I. instituitur vespertina Collatio de Historia ecclesiastica et controversiis fidei. Organum valde spectabile collocatur apud Praedicatores 20

Burggravius noster, Princeps Auriacus, uxorem ducit filiam Regis Angliae, et moritur, coniugem gravidam relinquens 22

Escuriacensi Regum Reginarumque Hispaniae Pantheo dedicato, commune omnibus epitaphium suggerit Gevartius. 23

Digitized by Google

Leopoldo offertur Cento-Virgilianus a Luca Lancelotto, I. C. Antverpiensi . . . . »
Carthusiani, ex Silvaeducensi districtu Antverpiam tempore Induciarum translati, cum Foederatis transigunt pro bonis suis, in eorum ditione iam positis 26
Calceata suburbana per Luthagas, usque ad sacellum Veteris Dei producitur 29
Coniugium Regis Philippi IV cum filia Caesaris Ferdinandi. 32
Compositus in eas nuptias Thalassio Virgilianus. . . . 33
Exceptus Rex Carolus, caeso per Parlamentarios patre, ab Anglia profugus. 35
Convictoribus Iesuitarum emitur Curia Episcopalis in Beerschot ad recreationem. Ab iisdem erigitur sibi aedicula Deiparae, unde locus Mariaeburgum dictus. . 36
Moritur David Teniers, Rubenii discipulus, celebrior per synonymum filium. 37
Deprecatur Magistratus ne Caesarum statuae, domo sua ad Palatium Bruxellense translatae, venumdentur . . 40
Moriuntur eruditi viri tres, Balthasar Corderius, Christophorus Butkens, Franciscus Zypaeus : hi ex suis epitaphiis laudantur, iste ex Graeco-latinis illustratis . . . 41
Obit Bruxellis Ioannes van Hoeck, Caesaris et Archiducis Leopoldi pictor aulicus, Romae et Viennae celebris, natus Antverpiae 42
Novus ad Salvatoris Prior ornatur titulo et insignibus Praelati 43
Moritur Gerardus Zegers . . . . »
Floret Adrianus van Utrecht, Antverpiensis, pictor eximius 44
Ecclesiae Iesuitarum accedit nova sacristia 45
Iesuitarum Bibliothecae circumducitur superne podium pensile. 46
Obit Bruxellis P. Hadrianus Crommius, Theologus eximius, Ianseniomastix : eius epitaphium 47

Digitized by Google

Mutatur et dilatatur pompae amburbalis circuitus : eius ordo 49
Moritur Abbas S. Michaelis Chrysostomus vander Sterre. 50
Praelatus S, Salvatoris ordinatur Abbas 51
Moritur Bonaventura Petri, tempestatibus rebusque maritimis exprimendis felicissimus pictor. 54
Obitus et epitaphium Iacobi van Eyck, publice privatimque Eleemosynarii eximii. . . . . »
S. P. Q. Gandensis Leopoldo Archiduci, pro Flandria, iugo Francico liberata, curat Antverpiae ordinandum, sculpendum, imprimendum arcum triumphalem . . . 56
Amburbalia OP'T SCHELLEKEN, in contemptum Mechliniensium ab aurigis huiatibus adornata, prudenter impediuntur. 64
Cistercienses ad Salvatoris quintum sui S. Bernardi Iubilaeum celebrant. 65
Novum ludi companarii tympanum evectum in turrim. . 66
Moritur Lyrae ecclesiae istic collegiatae Decanus, Carolus Gevartius; et epitaphio istic per fratrem germanum posito honoratur . . . . »
Carolus IV, Dux Lotharingiae, captivus ex arce Antverpiensi evehitur in Hispaniam 68
Census domorum indicitur, comparantur siphones contra incendia . . . . »
Ferdinandus IV, Rex Romanorum, patri Imperatori praemoritur, Sodalibus Marianis Antverpiae lugendus . . 69
Christina, Sueciae Regina, abdicato causa Religionis regno, Antverpia Romam transit quasi incognita; interimque Iesuitis scribentibus Acta Sanctorum commodat suos codices Mss. et Missam apud illos ex occulto audit, honoraturque centone Virgiliano Lucae Lancelotti . . 70
Episcopo Nemio Cameracum translato, succedit Ambrosius Capello 76
Convenit Civitas cum fusore aerario de novo lusu campa nario nolarum 77

Digitized by Google

Pars dimidia ex cerebro S. Norberti Michaelitis donatur, et argenteae arcae praegrandi includitur. 77
Monasterium Vener. Sacramenti Virginum Norbertinarum, sub regimine Abbatis Michaelitae, ab Episcopo nostro et Ordinis Generali confirmatur 78
Ordinatur secundus Abbas S. Salvatoris 84
Moritur in Zelandia insignis pictor, Henricus Andreae, vulgo MANKEN HEYN, Antverpiensis. 85
Tredecim Martyrum Romanorum corpora ad ecclesiam Domus Professae festivissime transferuntur. 86
Coercetur pervicacia braxatorum. 87
Disceptatur de ordine sessionis in Senatu, Equitibus primas praetendentibus, sed frustra . . . . »
Convictores Iesuitarum migrant ad domum Straliam sub tutela B. Aloysii Gonzagae : eorum ibi disciplina . . 88
Discedenti Leopoldo succedit D. Ioannes Austriacus. . . 92
Celebratur annus centesimus ab obitu S. Ignatii . . . . »
Augetur Begginagium. muro versus moenia producto . . 93
Controversia de nova Tabellariorum in Hollandiam Camera committitur arbitrio Senatus Brabantiae. . . . . . »
Ecclesiae S. Iacobi accedit collegium Canonicorum : modus et forma huius fundationis 95
Eius approbatio anno M.DCC.V a Clemente XI confirmata, cum tribus dignitatibus. 109
Fundatio rursum confirmata anno M.DCC.VIII. 117
Princeps Condaeus filium suum, Ducem Enguianum, volens in Collegio Iesuitarum Philosophiam cum sociis aliquot doceri, evincit ne id Lovanienses impediant; deinde suas Theses gratiose propugnantem praesens audit . . 120
Receptus honorifice Ioannes Austriacus, cogitur a plebe consentire in gravamina Ecclesiasticorum et Religiosorum, solis Mendicantibus et Domo Professa S. I. exceptis. 122
In Cathedrali collocatur novum pulcherrimumque organum iuxta maioris chori odeum 127

Digitized by Google

Indicta a Statibus Brabantiae contributione, a qua nemo exciperetur, impotens sui plebecula, illam extorquet undecumque. 129
Plebecula violenta contra Postariam Regiam se erigit, pro sua nova Tabellariorum in Hollandiam Camera. . 130
Turbatis rebus, cessant Iesuitae urgere consilium aedificandae pro Collegio suo ecclesiae, licet eo consentiret Senatus, et Societas ius suum contra obsistentes probasset. 131
Edelherii, per annos xxxiii Pensionarii, obitus et epitaphium. 132
Prodeunt Acta SS. Februarii, in tres tomos distinctum opus, et Alexandro Papae VII, Gaspari Nemio, atque Andreae Cruesen, Cameracensi et Mechliniensi Archiepiscopis, dicatum 133
Moritur Oirschoti cum magna opinione sanctitatis Mater Maria Margarita de Angelis, alias Valkenisse, Antverpiensis, Theresanarum ibidem fundatrix. 141
Novae quaedam impositiones; inutiles in catenas per vicos tendendas sumptus. 156
Electio Caesaris Leopoldi festive celebrata. 157
Capucinas, aedificato Monasterio, Civitas in tutelam accipit.
Francis per Flandriam impune grassantibus, instituta generalis et devotissima supplicatio 158
Inchoatur Iubilaeum Eleemosynariorum . . . . »
Gerontocomium Lanceloti fundatur 159
Ioanni Austriaco succedit Marchio de Caracena . . . . »
Grassante peste, exponunt Sodales Reliquias S. Rosaliae. 160
Moritur ab Angliae Aula regressus Franciscus Wouters, Principi Walliae Carolo, ut antea Ferdinando II Viennae, Pictor domesticus et Camerarius . . . . . . »
Indicitur in singulos focos pecunia 161
Fundatur S. Laurentii ad Kilam Parochialis ecclesia, eique a Iesuitis communicantur huius lipsana . . . . »
Acceptis aliunde Reliquiis S. Rochi, instituitur ibidem eius Confraternitas. 165

Digitized by Google

Publicantur induciae Hispano-Gallicae 167
Invalescit civium contra Postariam pro tabellariis suis seditio. Violatur Magistratus; spoliatur Consulis Halmalii domus et Decanorum ambactalium quaedam; publicatoque nonnullorum ea de causa exilio, augetur tumultus. Huic sedando et domorum effractoribus dissipandis, utiliter allaboratur a Marcgravio et Senatu, opulentioribus interim res in tutum abducentibus. . . . . . . »
Accurrit Gubernator cum exercitu, spe praedae, numerosiori quam vellet. 173
Adventus causam publico manifesto exponit Gubernator. Castrum ingressus cum Proceribus, iubet exilio damnatos tradi 175
Hinc, et suburbiorum damnis territa plebe, rogatur abduci militem, et mitti qui causam reorum cognoscat . . . 183
Gubernator, multorum intercessione utcumque placatus, gratiam Civitati facit. 185
Tractata per otium coram Senatu et Delegatis causa, supplicium de nonnullis sumitur 186
Definitur honorarium Marchioni dandum 190
Gravantur ligna ad quinque in centum 191
Editur Chronica Gratulatio in Hispano-Gallicam matrimonium, et pacem conclusam . . . . »
Frigidissima et diuturna hieme copiosae nives efformantur in statuas. 193
Iesuitae calumniam patiuntur 194
Gevartius ornatur titulis Consiliarii et Historiographi Caesarei . . . . »
Publicatur inter Coronas pax et matrimonium Hymenaei Paciferi, sub insigni theatro ante Curiam erecto, ornatoque epigraphis Gevartii. 197
Carolus II in Britanniae Regnum reducitur 202
Res hoc anno memorabilis chronicis elegiis VII explicatur. »
Augetur et ornatur suburbana Domus Professae in Deuren. 203

Digitized by Google

Obitus et monumentum Nicolai Sivori, saepius Consulis. 205
Restituta Monasteriis libertas ab accisiis. Exulibus quibusdam facta gratia redeundi 207
Moritur P. Andreas Tacquet S. I., Mathematicis lucubrationibus clarus. 208
Allatis et elevatis S. Francisci Xaverii Reliquiis, institutaque rogante Senatu eius Novena, cessat pestilentia. 209
Herenthalienses turbae per Canonicum Antverpiensem unumque Iesuitam pacantur 211
Regulatur piscatio in Scaldi per ordinationem ab Aula. 212
Cruciformis ecclesiae Andreanae fabrica perficitur. Fossa Saccararia fornice tegitur 216
Suggeritur Civitati modus fossas internas purgandi, immissa dulci aqua; sed consilium hactenus neglectum, suspenditur . . . . »
Mulctatur Senatus a Rege Armorum, ob permissam usurpari in scuto Coronam Imperialem; quam id immerito, probarent exempla ab Advocato Nys, ex vetustis ecclesiarum fenestris aliisque indubitatae antiquitatis et auctoritatis monumentis studiose collecta, si invenirentur 217
Obitus Norberti Abbatis, eiusque acta 218
Obitus Danielis Zegers, Soc. Iesu, pingendis floribus nominatissimi 219
Capucini permittuntur hortum suum extendere 221
Ingravescit annonae caritas. 222
Cornelius de Bie edit lingua patria Pinacothecam illustrium huius seculi pictorum, statuariorum et chalcographorum, magna ex parte Antverpiensium, quorum inde Syllabus colligitur cum laude Auctoris . . . . »
Archidux Leopoldus Viennae moritur. Vita, iussu Caesaris Leopoldi a P. Nicolao Avancino scripta, typis Plantinianis excuditur : eiusdem tumulus et epitaphium. Effigiei honor habitus, contemptus castigatus 232

Digitized by Google

S. Franciscus Xaverius, novo viciniae vexillo electus Patronus, ipsam exinde praeservat a peste 238
Fundatur ecclesia Capucinarum. 239
Gevartii nostri eximia eruditio et felix poesis a Rege Christianissimo insigni honorario condecoratur . . . »
Oirschoto ablatum corpus incorruptum Vener. Mariae Marg. de Angelis, sepelitur iussu Magistratus in Cathedrali Silvaeducensi. Conventus divertit Antverpiam . . 240
Imago Deiparae Neapolitanae apud Carmelitas elevatur honorantibus beneficia 251
Guldae S. Lucae nova ordinatur Camera supra Bursam, cum theatro ad usum poetarum, et Academia ad exercitia tironum pictorum atque sculptorum 252
In singulas funerum faces stuferi sex, et totidem floreni in equos indicti. . . . . »
Reliquiae S. Andreae solemniter inferuntur in eius tandem ferme perfectam ecclesiam . . . . »
In suburbanam ecclesiam S. Willebrordi a fundamentis restauratam, refertur miraculosa icuncula ex sacello Pannitonsorum; in quo tamen non ideo refrixit, sed magis crevit Deiparae cultus, in ornamentis et officiis sacris. In gratiam Marchionis et Marchionissae de Caracena anticipatur circumductio machinarum amburbalium. 253
Excusantibus se rationabiliter Iesuitis ab administratione paucularum, quas pestis infecerat, aedium, suscipiunt eam curam primum Bogardi, tum Augustiniani . . 255
Rediturus in Hispaniam Caracena, recreando Principi puero, praemittit rhedulam cum equulis sex, et celocem parvulam, omnibus maioris bellicae munimentis assimilatam, utramque elegantissimam . . . . »
S. Franciscus Xaverius Patronus assumitur a Parochia S. Andreae, erecto altari; a Praefectis Politiae eiusdem statua collocatur in Camera ipsorum 257

Digitized by Google

Appellit huc, per noviter apparatum Canalem Ostendanum, prima cum vino Hispanico navis 258
Scaldis altius intumescit. 259
Excipitur novus Gubernator, Marchio de Castel Rodrigo. 260
In Domo Professa P. Ioannes Bollandus scribendis Sanctorum Actis immoritur 263
Celebrantur exequiae Philippi IV, eximio erecto cenotaphio, cui exornando bonam operam praestat Gevartius, et mox obit, operibus et effigie a Rubenio picta superstes . . . . »
Novo Regi Carolo II Bruxellis sacramentum dicunt Ordines Brabantici 280
Disceptatio gravis de electione Thesaurarii . . . . . »
Propylaeum portae meridionalis ad ecclesiam S. Iacobi absolvitur. 283
Adventus Ducissae Hannoveranae *Benedictae Henriettae Palatino-Rheni* . . . . »
Nova Henrici Thieullier typographia initiatur edendis compendio Actis Sanctorum plus quam trecentorum octoginta, ad usum sortitionis menstruae, primum Teutonice, tum Latine, ac denique Germanice 284
Latinae Graecaeque linguae praecepta denuo recognita, ad usum studiosae in Collegiis iuventutis eduntur. . . 289
Eduntur Tomi primi de Actis Sanctorum Iunii sub auspiciis Leopoldi Imperatoris, quem secuturi essent alii tomi quatuor, offerendi filio eius ac successori Iosepho, eorumque augustissimis coniugibus Eleonorae et Elizabethae 290
Insinuantur Bibliopolis et Typographis renovata edicta de libris Societatis Iesu absque facultate Praepositi Provincialis Flandro-Belgici non excudendis aut recudendis. 332
Octogenarii senis, nivalem traham iuveniliter per Bursam ter circumagentis, amoenum spectaculum 334

Digitized by Google

Dux Bavarus cum sponsa Polona laetanter excipitur. . . 334
Spectat Dux Bavarus cimelia ad sortem proposita : conditiones ipsius sortitionis probat. 335
Academiae exercitia 338
Moritur Gubernator castri. . . . . »
Initiatur novum in Curia altare 339
Baptizatur solemniter Dux iuvenis Arschotanus cum sorore. . . . . »
Dealbatur denuo tota Basilica Mariana . . . . »
Proponitur iconismus prospectus interioris, chororumque et sacellorum ratio accurata redditur, secundum praesentem statum 340
Vini Francici ingens caritas 358
Enormis elevatio Scaldis supra terram 359
Sacra Rituum Congregatio, rite instructa de veteri a tempore immemorabili cultu Sanctarum Reginarum (ut appellant Lusitani) Theresiae et Sanciae 360
De tertia sorore B. Mafalda. 362
Indicuntur preces, dum Bruxella bombardatur a Francis, et a nostris expugnatur Namurcum 363
Indagantur et puniri incoeptant grassatores, facie denigrata saevientes. 364
Iubilaeum pro pace obtinenda indultum. Bavari Ducis cum Auriaco congressus in Merxem 365
Exequiae Reginae matris celebratae in Cathedrali . . . 366
Nuntiatur pax universalis Rysvici conclusa. 367
Marcgravius in novis subselliis locum inter duos Consules capit. Nuntiatur grandis victoria Caesarianorum de Turcis ad Zentham 368
Instaurantur apud Iesuitas funebria pro caesis in pugna Christianis 369
Obitus devotae Virginis Annae de Torres 370
Adventus Regis unius Americani 380
Amburbalia solemniori et ampliori circuitu acta 381

Digitized by Google

Machinarum eatenus circumduci solitarum ratio 381
Hippodromiae machinas secutae descriptio. 389
Descriptio Guldarum 399
Ex horribili grandine caritas annonae, ob quam pistoribus permittitur sequiorem panem coquere 404
Census animarum in Civitate viventium initus 406
Impeditur popularis seditio, ordinatis nocturnis circuitionibus armatorum civium 407
Obit primogenitus Ducis Bavari Bruxellis, futurus, si vixisset, Monarchiae Hispanicae heres . . . . . . »
Externae omnes manufacturae proscribuntur, et nostrae vicissim a Foederatis. 408
Instituitur apud Iesuitas Confraternitas Bonae Mortis . . 409
Moritur Ioannes Ferdinandus, Episcopus Antverpiensis IX. 412
Antverpiam venit Eremita Burgundus, Lithotomus celebris in utroque Belgio 416
Ad canalem Herenthaliensem, extra portam S. Georgii, praeparatur pratum dealbando filo lineo. . . . . . »
Magistratus succurrit monasterio Norbertinarum, a commota temere plebe infringendo : eaque occasione cognoscens miserum eius statum, propter debita in fabricam eius nomine contracta, et defectum certae ex Abbatia sustentationis, utrique necessitati remedium obtinet. 418
Primus Lovaniensis, ante Iesuitarum discipulus, ab illis excipitur 420
Translato Romae ad novum altare et arcam marmoream corpore B. Aloysii Gonzagae S. I., redit huc, qui praesens fuerat, Conradus Ianningus, cum multo instrumento monumentorum, ad vitam, miracula, cultum spectantium; concinnatumque ex iis amplissimum Commentarium dedicat novo Societatis Generali, P. Michaeli Angelo Tamburino. 421
Hiems fere nulla, praecox fertilitas 427

Digitized by Google

Reginaldus Cools, Ordinis Praedicatorum, ab Episcopatu Ruremundensi transit ad Antverpiensem 428
Initiatur solarium, dealbandis filis lineis praeparatum. . 429
Renovatur ad S. Michaelis vetustissimum S. Martini sacellum 431
Moritur Rex Hispaniarum Carolus II. 432

INDICIS TOMI QUINTI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06839 2110

DO NOT REMOVE
OR
MUTILATE CARD

487963

Digitized by Google

Digitized by Google